VII

17X0885908900 1

815-8947
8859089

Ekötetben van még:

1.) Cantagiser Gasp. Disputatio de matrimonio (XI ont.) 7 kiél.

2.) Maurus Max.: Propositiones Petri Malverdae -. disputatae a Mauro. 7 kiél.

BÁRÓ RADVÁNSZKY L
RADVÁN
RA

Scholae Evang. Aug. Confessio-
nis Cassoviensis erant duo Rectores
eruditi, Albertus Grave,
et Joannes Bocat — ille
amicus Formulae Concordiae,
hic laureatus Poeta, qui postea
Scholam deseruit, et aliam
Conditionem assumpsit

M. IOANNIS BOCATII
Poëtæ Laureati Cæsarei.

HVNGARI-
DOS LIBRI POEMA-
TVM V.

I.	continet	Martialia vel bellica.
II.		Encomiastica.
III.		Nuptialia.
IIII.		Miscellanea.
V.		Sepulcralia.

ex biblio Jean de Clairvaux

Ad
LLVST. MAG. ET GENE-
rosiss. Dominum,
Dn. SIGISMVNDVM FORGAÇZ,
L. Baronem de Gymes, &c.

& ad
NOBILISS. GENER. ET
Egregium Dominum,
CHRISTOPHORVM DARHOLTZ
de Fynthâ, &c.

N 45.

BARTPHAE.

1599

DIVO RODOLPHO II.

ROM. IMP. AVGVSTISS. HVNGARIÆ & BOEMIAE REGI, &c.

Gratias agit autor pro Laureâ & Nobilitari titulo.

AVrea cùm Ducibus des, laurea ſerta Poëtis:
Quas benè diuitias, maxime Cæſar, habes:
Aurea das Ducibus, mihi laurea ſerta, Rodolphe:
Sic Aurum & Laurum det tibi ſancta Trias.
Aurea ſic redeant Te Cæſare ſæcula; ſic te
Aurea, ſed ſerò, ponat in aſtra DEVS.

Vestræ Sacr. Cæſ. Regiæq; Mãtis

humilimus

M. Ioannes Bocatius
P. L. C.

Domine
K 1519
19. XII. 1984
SE 7441
MATICA SLOVENSKÁ

ILLVSTRI, SPECTABILI, ET MAGNIfico Domino,

Dm. SIGISMVNDO FORGACZ, *Lib. Bar. de Gymes, &c.*

Et

NOBILISS. GENER. ET EGREGIO SVO MECOEnati

Dm. CHRISTOPH. DARHOLTZ, *de Fynthâ, &c.*

QVâm sit hoc tempore periculosum, quid publicitùs edere, Domine Sigismunde Forgacz, Comes Illustris, Domine Christophore Darholtz, Mecœnas & Vir Nobilissime; satis experiuntur, qui vel ex tripode canunt & ipso Phœbo digna scribunt. Tanta nimirum est hodie passim doctorum pariter & indoctorum peruersitas; vt isti, cùm ipsi nihil queant: illi, cùm se solos quid esse somnient; aliis lucem & oculos, vt aiunt, inuideant, rideant, liueant. Si qua verò literatorum facultas vapulat & flagellatur, dum in lucem ire cupit; næ Poëtica. Quid enim nomen hoc & numen audit, patitur? Olim docti, diuini, patres & duces sapientiæ; prophetæ, angeli, interpretes & filij Deorum, administri, famuli-

qué Musarum: iam rudes, fatui, vani, mendaces, fabulosi, lasciui, rixosi, adulatores, improbi, plus quàm improbè, vocitantur, accusantur, proscribuntur, eiiciuntur, à poëtica qui nomen habent suum. Causam ego non possum aliam assequi, quàm quòd hoc inuisum genus virtutem laudet, vitia masculè & magnâ cum παῤῥησίᾳ reprehendat. Scilicet hinc illæ lacrumæ. Interea, nolint, velint, clàm fateri coguntur; poëtices studio nil diuiniùs, nil honestiùs, nil excellentiùs, nil vtiliùs esse. Omnis quidem ars donum est Dei, sed tamen potissimùm

Sedibus æthereis spiritus iste venit.

Ciceronem audimus: Iure suo noster ille Ennius *Sanctos* appellat *Poëtas*; quòd quasi Deorum aliquo dono atq; munere commendati nobis esse videantur. Credimus Hieronymo: Dauid Psalterium, in morem Horatij & Pindari, nunc Iambo, nunc Saphico, nunc Alchaico personat. Iosepho & Origeni: Esaias, Salomon & Hiobus hexametris & pentametris in suâ linguâ (sanctam innuo) Marones, Nasones. O Musica corda! Quot vates, tot Dij. Quid Plato (impudicos is eiicit) Aristoteles, Isocrates, Cicero, Quintilianus, Oratorum & Rhetorum illæ Cynosuræ, Poëticæ tribuãt, tritum & notum, Magnus Erasmus, quo nil doctius, illam definit: Poëtica nihil aliud est, quàm ex omnium disciplinarum delitiis ac medullis condita placenta.

En gu-

En gustûs melioris Magirum. Camerarium nostin? Ita vir: De carminum exercitio sic existimandum: *neminem posse vllam eruditionis laudem attingere, neq; in studiis humanitatis locum tueri vllum, qui non in hoc genere & ipse versatus fuerit.* Alios taceo. Sanctaqué maiestas & erat venerabile nomen Poësis, quà cordati, quà magni quõdam. Amati, Scipioni Ennius, Alexandro Homerus, Pompeio Theophanes, Augusto Vergilius, Meccœnati Flaccus, Antonio Oppianus, *Vatibus & magnæ sæpè dabantur opes.* Nec paucos impulit *Penia.* certè Horatium, vt versus faceret, & cui Deus otia fecit.

Carminibus quæro miserarum obliuio rerum.
Carmine Dij superi placantur, carmine manes.
Carmine fit viuax virtus expersq; sepulchri.
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

His ad gnauiter agendum surrexit Hercules, Achilles, Alexander, & plures. His traxit Orpheus arbores, placauit vrsos, liquefecit cauteis. His pietas, his mores, his virtus, his honestas, his, vt reti, capitur Amicitia. Ad gloriam Dei facere, negant fungi Theologastrûm. ἄμυσοι. Mopsi. mentiuntur. Nil sacrum præter venantur poëtæ; vt capiant, saliuam interdum suauiorem humaniter mouent. Delectant, vt prosint iis, à quibus Sol non planè auersos iungit equos. Valeant Misantropi. Curios illi sanctulos, hypocritæ pessimi, simulant. *Parietes dealbati.* Bar-

ba, panno, non re, non vitâ sapientes. Tacete tacete vos mordacia rostra,

nocet offendisse Poëtas.

Parco meis & qui harum Musarum. Increpare mihi licet meritos. Vt in bello cuilibet fas hostium adoriri primatem; sic bonis improbos. *malum virum vel mus mordeat.* Hæc Poëtarum criticis, aut canibus potiùs.

Ad vos redeo, Vir Illustris, Vir Nobilis. O sacrosanctæ poëseos κοσμήτορε δύω; quibus hoc iure do, quod Menelaus & Agamemnon audit in Homero. *Ornamenta duo.* validi Musarũ vmbones. vos & vestrûm aliquot, vt nostis, tam mihi, quàm aliis, ad Musicos illos hortos robustum auxilium. Vobis igitur iure ramenta quædam & nouellas, vt illi, qui rure & ex viridariis redeunt, offero, sacro, dedico.

Primùm, *Baro Magnifice*, tibi tuæquê domui, pro multis pauca. Lusûs & nugas quasdam canoras à me tuus excepit fauor, æs & beneficium. Parens tuus (ah! nedum Heroem satis luximus) quascunq; chartulas, à me poëtico liquore consputas, toties accepit & ἀντιδῶροις remunerauit, autorculo ad se vocato. Antequam fatale suum decurrendo stadium ad ipsum rediret Iouam, Iouem nostrum, Cæsarem, in mei gratiam, scripto cygneo valedicens, orauit & exorauit. Ceram & Laurum meam eidem acceptum fero. Is, Teuffenbachius, Hoffmannus, Orlleus, Kapron-

eius,

cius, cum quibusdam aliis, virtutis ipsius hostis, Honorem, qui penes *magnum* & *felicem* nostrum RODOLPHVM Impp. conciliârunt. Iamné me dignum, vel fore, putent, nescio, vrgent. Beneficium fateor, non iacto, Christus nouit. Sum impius, Magnifice Domine, si non erga te tuosqué pius.

Agè verò simul, *Generose Darholci, Mecœnas optime*, quî non tibi quoq; prolem istam destinem, immò mancipem? Tecum loquor, & in aurem: te Nobilium medullam, bonorum Glyceram, asylon & patronum Musarum, coronam virtutis & humanitatis, Delio iudice, cur non vocem? nec hoc ibo ventilatum, quod purum, putum, clarum. Iam pridem his præflorasti. Peream si de te seciùs. Bilem hæc, inquis, præco, Innasutis electant? Quid moramur? Ringitur Inuidia, boni cùm laudantur; & mutua cum virtuti fiunt, Erebi filiæ magnum est cordolium. Strictim ista, nimirum eò, cur solemniùs paullò Tuæ Dominationi, Nobilissime *Darholci*, domuiqué *Forgacianæ* meas participem Hungaridas. Reuorti decet: Tu me nec visum nec auditum, testatur Balogus, amasti: tu mihi regni proceres ampliter, commendãdo serenasti. Non rumino, quot, quoties loculis & patinæ meæ solamina dederis. Iam rotam, iam epiphium tuum pressare longè latèqué mihi fuit integrum. Nec his ego & sexcentis aliis versiculorum sal-

rem aliquot Gratiam regeram? Nolim tam rusticè Charitas offendere, quæ Veri, quæ Iusti patronæ.

Denique, *Magnifice* re-verâ *Domine* FORGACZ, *Nobilißime* (iure te sic appello) DARHOLTZI, vos vos mihi meæquè isti filiæ Tutores & Patronos ex Egregio illo grege delego. Suscipitis? propages Bocatiana sarta tecta, fouetis, defenditis? arcem habet & Semiramidis muros contra suos & genitoris hosteis. Valete; vt possitis, obnixâ prece Dominum illum valentissimum ter Opt. ter Max vobis cœlo deposcam. Dedi Cassouiæ Cal. Iulij, Anno Domini M. D. XCIX.

Magnificentiæ
&
Dominationis
Vestræ

Seruus

M. Ioan Bocatius,
Poëta L. Cæsarius,
Scholæ Cassouiensis
Rector.

MA-

MAGNATES
&
NOBILES
Hungariæ,

VOs etiam appello, *Domini*; de titulo sic accipite: decennium adequitat, à quo vestrum hunc Martium primitùs inij tractum, re & vsu, quàm propè credere par sit, maiorem. Hinc tamen repedaui Musis imperantibus Germanum ad Heliconem; qui iam ante septem messeis, per quas Epperies me tenuit, vobis de fatorum auspiciis remisit. Heîc, meritònè vel garritu poëtico? melioreis aliquot aureis demulsi, inter quas & vestræ, *Magnifici* & *Nobilissimi* Domini. Cùm verò permulti vestratium, quasi pro iure, provi, gerras has meas ex priuo meo tecto eriperent; prædam tali fronte notare visum fuit. Nec autumo res ad pudorem gentis. Sinite, permittite, vt soboles hæc à suis cunis nomen habeat. Nõ infiteor, vos patri caussa,

Praga mihi laurum, titulos Viteberga Magistri,
Hungaria officium coniugiumq; dedit.

I. M. lineolam vtramque primus duxit. Vestrum igitur fauorem cur non adfectem? Fauete fauete porrò *Magnates* & *Nobiles Hungariæ*. Si quid à me, vestrum fuit, est, erit.

ET TV

LECTOR MI

monita mea,

ROgo, lege. Prolis istius autor vix annorum triginta. Seriùs, cupis? ego, crede iuranti sanctè, ambŋ puer, fateor, thalamum, sed inire tam citò nolui, nisi coactus. Tu næuis parce. Contraria quæ vides arti? indica; stateraâ classem & ordinē examinare si voles; erit fortè quod pondo seueriùs corrigat. Interdum celsior esse potui, nolui. Cur? vt mox intelligerer. Vox vna & altera ab aliis variat, quia variè. Mācero quibusdam mācero; mihi non; quia nec Plauto, Terentio, Horatio. Gratulabundus alicubi exstat; placet, quia primi flexûs, sit gesticulator, Italus illi viam triuit. Aliqua verè vacillant? erige, quia primitiæ, quia in Scholâ, quia in & ex Hungariâ. Typographum interroga, non fuit vel ad describendos versiculos lassitas. δεύτεραι φροντίδες ἀμείνονες, & prælum. *Bonos Poëtas* nil formido; sed nec malos. Illi, quod pecco, clementer & amicè monstrant; isti quod non capiunt, carpunt.

Vale.

EPI=

IN HVNGARIDA M. IOANNIS BOCATII, P. L. Cæsarei.

GRæcos & Phrygios vates cantauit Homerus,
Arma virosq; suæ Vergilius patriæ.
Sed tu Bocatium vatem pro fortibus armis
Hungara præconem gens es adepta tuum.
Mœonides, Maro, Bocatius, tria lumina lumen
Carmine sunt populis quisq; perenne suis.

Franciscus Bornemißa
F. Posonij.

ALIVD.

HVngara quas tellus alit, arte Bocatius, artes
Augens, è Scythica rupe Helicona facit.
Illum carminibus vincat non Thracius Orpheus,
Ipsa nec Aoniæ Lesbis amica Lyræ.
Dij seruate pium vatem, cui tempora lambunt
Serta Palatinæ Cæsariæq; manus.

Leonhardus Mokoschinus
Vice-Archidiaconus Ecclesiarum Com. Liptodu.
manu ꝑpria.

ALIVD.

BOcati vates, palmaris adorea fontis,
Ales Abantiadæ quem pede scalpsit equus;
Quo Ganymede Iouis suxisti nobile nectar:
Mellea quo Phœbo flumina Sicelidum:
Seu Latius sit, seu Phrygius, seu deniq; Graius:

Ille

Ille ſuæ laudis ius dedit omne tibi.
Quin tu, Diuorum toto adſtipulante ſenatũ,
Altera Dictæo cum Ioue ſceptra geris?

Matthæus Zuberus Palatinus,
P.L. Illuſtris & Gen. Dom.
Nicolai Forgacz de Gymes
Præceptor F. Schemnicl,
Anno 98.

ALIVD.

Corda quòd Hunnorum decantas fortia docto
Carmine, Bocati, forte cor ipſe geris.
Pannonij nullus poſt Iani fata poëtæ
In metricos auſus ſic fuit ire pedes.
Ergò Pannonius tu nobis Ianus es alter;
Pannonij haud Iani eſt laus tua, Iane, minor.

Gr. Sar.

ALIVD.

Ede tua intrepidus Bocati carmina tandem,
Bocati, Aonij maxima fama chori.
Laude tuus non iſte labor comitante carebit:
Tale tuum ſtudium, tale probamus opus.
Perge precor proceres verſu celebrare perenni,
Et prohibe Heroum nomina clara mori.
Vngara te meritò gaudebit terra Poëta;
Vngaria ingenio vix habitura parem.

Stephanus Peregius Cæſ.
in Cam. Sep. Rationarius.

ALIVD.

Bella

EPIGRAMMATA.

BElla canis! laudas! acuis tædasq; iugales!
Dulci cum misces vtile! busta canis!
Sed tibi quot flores? quanta est tibi copia mellis?
Dum noua fers Priscè; prisca refersq; nouè!
Nempe satus Phœbo es, diuo patre, matre Minerua;
Et Musæ ad cunas excubuêre tuas.
Vnde tuum meritò nomen, tua lausq; manebit,
Dum cœlum stellas, grana fouebit humus.
Viue diu: & similes plures pòst edere partus,
Bocati ô, felix pergito: viue diu.

IN ZOILVM.

ZOile, quid latras? fremis inuide? rũpere. Noster
Hinc toto vates nomen ab orbe feret.

M. Nicolaus Erhardus Dalheimius Pal. Rect. Scholæ Bartph.

ALIVD.

VSq; noui quiddam Lybiæ olim regna ferebant;
Non minus & nunc fert Hungaris ora noui;
Huius dum Scythico passim cadit incola ferro;
Dum ferus Hungaricos Turca cruentat agros.
Ergò quisquis aues noua sòrs cognoscere mira,
Hungaricus Mars quæ parturit, vsq; ferox;
Hoc opus Heroum studio peruolue calenti
Hungaridos, vatis Bocatij celebris;
Cæsar cui meritò lauri de frunde Coronam,
Et dignos clypeos armaq; digna dedit.

ταχυγραφως 7. April. Iul. scrib. Adamus Kunischius Ludirector Keismarc. fidi amoris & honoris ergò.

EPIGRAMMATA.

ALIVD.

HVngaricis genitæ terris ſaluete Sorores,
Laurigerâ celebres nobilitate Deæ.
Vos ego melliflua ſtillantes carmina venâ,
Gorgonei captus fontis amore, colo.
Et meritò; vigili quoniam noua metra labore
Mittitis ad noſtras emodulata manus.
Spargite Apollineos, opulenter ſpargite flores,
Hungaridos gemmæ Pannonidosqué Roſæ.

Daniel Franconius Sileſius
L. Metallicæ Tarnowicen.
Scholæ R.

ALIVD.

CEu, benè fragranti cùm floret germine campus,
Fundit odoriferas Dædala terra roſas.
Sic liber Hungaridos grato hic quoq; fragrat odore,
AEmulus Hyblæis floribus ipſe nitet.
Adſitis iuuenes; tam lectos carpite flores,
Pannoniæ foliis dant noua geſta ſuis.
Dicite: Bocatius cùm iam ſic floreat; olim
Flora Poëtarum vel Paradyſus erit.

Georgius Hoffman Iunior,
Pannonius, diſcipulus.

ALIVD.

PHarmaca nõ tulit Aegyptus tot, Apollo nec artes
Florida non apibus tot dedit, Hybla thymos,
Quod documenta tibi cultißima ſcripta Bocati,
Diuino eloquio lector amande dabunt.

Hæc

Hæc quicunq; volet Parnaßi inuisere colles,
Voluat & aßiduâ sedulitate legat.

Sigismundus de Kapy.

AD QVENDAM ZOILVM Bocatij.

VAnus, ais, labor est carmen cecinisse Poëtam?
Nil mirum: sciolis non satis ille facit.
Omnibus haud idem est animus, Corydonaq; Mopsus,
Irus item Codrum, Crœsus aditq; Midam:
Ardet nata mari dea Cypris Adonida pulcrum,
Matre satum Maia dux Pataræus amat:
Miretur te vulgus iners, rudis omnis honoret,
Hunc Deus, hunc Cæsar, nobilitentq; Sophi.

ALIVD EIVSDEM AD CLARISS. M. BOCATIVM Patr. Poët. L. C. Cassouiam proficiscentem.

NAte dea, croceo genuit quem Aurora cubili,
Cur tibi dic vno tempore dona ferunt?
Cæsar auem, coniunx puerum, Cassouia munus,
Hungariden Genius, metra Sophi, æra duces?
Nobilis es vates, pater es, factusq; Magister,
Pannonius, clarius, aureus, hæc ratio est:
Ito bonis auibus, pueros rege, ciuibus adsis,
Pannonas exorna, præmia digna cape:
Ito, tibi bona tot sunto quot habet mare pisces,
Astra polus, gemmas India, saxa solum;

Vel

Ver flores, meßis ſpicas, vindemia botros,
Bruma niues, ventos, frigora, ligna, faces.
Te pater omnipotens Cumæos ſeruet ad annos,
Vxorem, ſobolem, diſcipulosq; tuos:
Te viuo vigeant latæ Germanidos oræ,
Hungariæ vigeant teq; docente plagæ.
Deniq; digna tuo meditantem carmina Phœbo
Pierius tollat te ſuper aſtra chorus.

Ioannes Balogus, &

M. IC

M. IOANNIS BOCATII, Poëtæ Laureati Cæſarei LIBER HVNGARIDOS PRIMVS,

MARTIALIA, VEL BELLICA *continens.*

LECTOR BENEVOLE:

MIRARIS CREDO; CVR humeros meos non metiar, & quod Poëtarum quis Atlas vix auderet, onus viribus impar ſuſcipiam, quod illud? *Martialia.* Fateor hoc. Sed audi: in tuam dicam id aurem; robuſtioreis me prouocabo. Vergilium, Ouidium, Lucanum, Sabinum, Lotichium autumas? non. Cinefacti illi. Maioreis, Meliſſos, Poſthios, Reuſneros, Frencelios, Taubmanos? non. nam etſi Muſica illa fulmina, quorum proprium eſt,

Aſpera magnanimâ prælia flare tubâ:

ſuperent, & ſuos heroas magnificâ verſûs cordatioris luxurie pompâque decantent: huc tamen vel accerſiti non migrant, quòd inqui-

línas heíc Muſas non ſic clementer accípí putent (O quàm verè!) Alíos eliciam, qui in hâc *Martiali orâ* me priùs, me meliùs, me certiùs hoc graue opus operací, quà proſa, quà ligata, eminùs & quaſi miſsilíbus hanc aleam iacientem forſan me ſubſequentur. Tu Lector, opta mecum, & *Hoffmannum* & *Francum* exora ab iſtis exſpecta: quia *Caſſouiæ*, hoc eſt, vbí *Bellonæ* noſtræ *currus* & *arma*. Interea tu meam audaciam boní conſule; quæ ſi felíx; à me plura, tuí guſtûs, capíes & ſapíes. Modò trux hæc Dea ſuam pertexat telam: mihí meam, tíbí tuam faueat Atropos. Bellatum eſt hactenus: Claro per quem, cur, quibus auxíliis, vbí, quomodo, quando. Vídeo magnum & ſacrum Cæſarem

æere ciere viros, Martemqué accendere campo:

Deum oro, vincat. vicit: gratulor. Vincitur fato, fortunâ, nón virtute: lamentor, & ſuperos meliora poſco. Vídeo militeis maſculos leones: laudo. mollís, & vt ille, *leporeis galeatos*: vitupero. Míliticæ tuba, domi laus animat: Scis hoc, nec negas. Quare perge perge: non te pœnitebit,

LECTOR BENEVOLE.

Sed tu liuor edax, odio licet ilia rumpas;
Carpere vel noli noſtra: vel ede tua.

EPI-

EPISTOLA AMVRATHIS TVRCICI IMPERATORIS, RODOLPHO II. missa.

REX ego, Christicolûm terror, mundique flagellum,
Sub me: qui populos iura Tyrannus ago.
Tale Boëmorum tibi mitto, Rodolphe, Monarcha,
Qui geris imperio debita sceptra meo:
Offerat ipsa suas vltrò Germania claues,
Et sospes Dominum me vocet vna suum.
Astra docent, & fata iubent: mihi belliger oras
Teuto suas, ipso Marte volente, dabit.
Cùm tua rex: runt Vastum Byzantia mundum,
Tota fuit sceptris debita terra tuis.
Ex hac iam pepuli desessos Marte Quiritas:
Iure mihi cedant oppida, regna, duces.
Nostra Palæstinos virtus animosa recessûs
Annumerat Getico (quæ mea regna) solo.
Ipse ego Tyrrhenum proscindens nauibus æquor
Hellespontiaci littora claudo sali.
Nobilis ipsa suo me ditat Achaia tractu:
Sole coloratus me veneratur Arabs.

Punicà regna mihi, magno dominata Lycurgo,
Se flectunt, & quæ cornua Nilus habet.
Sint mea, cuncta, niueis quâ Iuppiter afflat in Al-
Carpatus aut altas eiaculatur aquas, (pe,
Danubium de fonte bibam, Rheniq; bicornis
Pocla Borysthenijs præbeat ortus equis.
Solus ego totum Cæsar mihi vendico mundum,
Aequor vbi pendens lambit & ambit opus.
Noluit hoc sub pace meum Germania regnum
Mox supplex tremulas porriget ipsa manûs.
Iam dudum posui sub acutâ falce rebellem,
Hastiger in cuius viscera prædo ruam.
Tale diu veterum spondent oracula vatum,
Solus ego pestis totius orbis eam.
Bellatrix dabit innumeras mihi Thracia vireis:
Ibo Pheletronijs concomitatus equis.
Christicolas toruo sat anhelat acynace Moschus,
Et sua vix Parthus condere tela potest.
Tu modò venturis iam pandito Teutona portas
Ora: nouum Dominum Rhenus & Ister habent.
Victori, pauidas qui iam moderaris habenas
Cede Casurgiacâ, Cæsar, ab arce, tuo.
Me paueant montes & saxa Boëma, priusquam
Corruat ad vultûs Hungara terra meos,
Vos ego prosternam, rabidi de more Leonis:
Sæuus, & in pœnas ingeniosus ero.
Miles agat frameis, & misso sæuiat arcu,
Tangat & exsangueis nulla sagitta locos.
Cogat, adulterio sociatas fœdere lecti,

Post

Post opus horrendum vis truculenta mori.
Tunc Mahometicas in leges ipse Monarcha,
Ne quisquam Christi nomen adoret, agam.
Relliquias abiens numeroso milite cingam,
Quando triumphati sic caput orbis ero.
Quod mihi debetur, tandem per secula triplex
Vnicus hoc mundi Rex moderabor opus.

Cordata
RODOLPHI CÆSARIS
RESPONSIO.

ILle Boêmorum qui fortiter arua tuetur,
Totius & mundi sceptra Rodolphus habet.
Sæpè tuos legit per verba minantia fastus:
Terrarum dominum te fore, falsus ais.
Astra silent: vastum nil ipsa regentia mundum
Fata canunt: Orbis me caput esse volunt.
Fortia Romulidum seruent mihi sceptra Quirites,
Donec in hoc pendens aëre mundus erit.
Tu vires iactes: fera tu sis natus ad arma:
Pacis ego studium, bella perosus, amo.
Non confido meis opibus: non regia Martis
Nostra tui vires æquiparare potest.
Ipse valet Deus omnipotens absque ense superbos
Debellare, iubens viuere pace viros.
Auxiliatrices cumulet tibi Thracia gentes,
Quicquid & ad Geticum dat sua regna solum.
Nostra Trientinas virtus moderabitur Alpes,

Et saxosa mihi Carpatus ossa ferat.
Me metuant Reges: patulus mihi pareat orbis:
Imperij metas vesper & ortus habent.
Hæc, virtus, bonitasq; Dei mihi sceptra dederunt:
Numine, si qua gero bella, probante, gero.
Non sum, deuastans ferus oppida, regna secutus:
Audacem non me dira libido facit.
Te mera fraus: te proditio: te sola cupido
Ducit in æternum bella mouere Deum.
Illyricum rupto turbasti fœdere cœtum
Nuper, vbi pugnax arx tibi capta iacet.
Scilicet hoc fidei decus est: ita fœdera seruas,
Perfide, quæ tecum pacta fuêre diu.
Improbus his animo surgis, plenusq; tumore
Ore pharetrato quod vomis, omne vomis.
Quin etiam victos nondum canis ante triumphos,
Ac terrore tuo saxa Boëma premis.
Nostra Boëmorum Leo candidus arua tuetur,
Ille tuâ Dominum clade perire sinat?
Crede mihi (modò Christicolas te transfer in hostes)
Ad patrios referes læta trophæa Deos.
Nobilis exspectat cupidis Germania rebus,
Ac deuota tibi nostra Vienna manet.
Sic, Solymane, tibi supplex prostrata iacebat
Bôemia montosis vndique cincta iugis.
Tristia discedens neu damna pudore tulisti:
Austria neu cæso causa doloris erat.
Sic quoque tu Patrias venies imitatus vt artes,
Pannonicos flammâ depopuleris agros.

Quid

Quid facis Eumenidum proles, quid somnia iactas?
Non ad Danubij post rediturus aquas.
Tempus erit, finem nostris dabit vna querellis
Hora: Deus tecum fortia bella geret.
Non hic in armatos quoque vindex arma resumet;
Vos tamen in Stygias præcipitabit aquas.
Scilicet hoc veterum spondent oracula vatum:
Scilicet hoc longum pagina sacra docet.
Cuius adorantes nomen veneramur ad aras,
Vltima mox vestri meta furoris erit.
Imperio sine fine mihi, qui seruat Olympum,
Cùm dabit omnipotens regna tenere Deus.

Poëta
AD GERMANIAM.

CVR tua bellatrix patriæ, GERMANIA, vires
Incola diripiens viscera prædo vorat?
Ipsa tuos cur dilaceras crudeliter artus?
Quod meruit Geticum transeat hasta latus.
Heu quoties audax nostrum victricibus armis
Limen inerme modò Luniger hostis adit.
Heu quoties tacito fallax in vincula risu
Penè suas nobis porrigit ipse manûs.
Cur non, si quid habes inter præcordia Martis,
Virtutis specimen gens animosa facis?
Semper adhuc bello tu gloria prima fuisti,
Scilicet hîc tellus Hungara testis erit.

Cur tenor hic versus nunc in fera colla Getarum?
Cur iam sopitam torpor inermis habet?
Non desunt vires: non desunt arma: sed hostis
Cur facit attonitos lancea sola viros?
Surge animis contra tandem, inuictißime Miles:
Miles Teutonici, flos generose, soli.
Surge; graueis etiam pugnax vlciscere casus:
Nostra reposce, rogo, vindice regna manu.
Bella pares: toti redeant spectacula mundo;
Marsq; semel positæ præferat arma togæ,
Quos causâ vincis, vincas felicibus armis:
Arma vetat nunquam pro pietate Deus.
Eia age rumpe moras: si iam non viceris hostem;
Trux Geta perpetuâ laude superbus erit.

MAGNIFICO ET ILLVSTRI COMITI FERDINANDO AB Hardek, in Hungaria superiori Gen. Capit. bellico, Cassouiâ discedenti.

CVR has, magne Baro, cur Martis nobile, terras
Deseris, & misero deseris hocce statu?
Thrax equidem gaudet te discedente: Sed ora
Pannonis in lacrumas cogitur ire suas.
Scisne quòd insurgat nos contra Luniger hostis?
Arua Croatiaci scisne iacere soli?
Scis credo: quid enim belli Dux nesciat ipse,
Qui scit, vt vnguiculos, hostica quæq; suos?

Tu loca læta petes; tristi nos orbe relinques?
Iam primùm patris te cor habere decet.
Hactenus exsangui se Turcus acynace regno
Continuit, pax heic vt quoque cunque fuit.
Iam noua de Scythiâ furiis agitatur Erinnys,
Trux venit Hungarico bile Megæra solo.
Heu si contigerit nos bestia tanta! cruore,
Quantò & quam latè nostra madescet humus:
Sicut aper cultis miserè grassatur in hortis,
A radice suâ germina quæque ruit.
Non secus is castas ferro aras perdet, haraſqúe
Consumet flammis! depopulabit agros.
Tenè sequi & patriâ nos vis discedere terrâ?
Ah! nos turba fugæ non satis apta sumus.
Hunc pater, hunc mater, hunc nati, hunc detinet (vxor,
Cur maneat, causas omnis habere potest.
Pro quibus aut caram vellet profundere vitam,
Sub duce te tantum publica salua forent.
Ergo mane, generose Baro! gere mascula contra
Bella Saracenos, horrida monstra canes.
Te nec adhuc præsente suas (modò vita supersit)
Hungariæ fractas esse fatebor opes.
Si bellis aliis moderaberis arma, laboreis
Non ita succedent forsitan; ergo mane.
Sæpè quis egregium se plus his geßit in oris;
Non omni quæuis terra fauere solet.
Ergo mane, frenare scius benè legibus orbem
Hunc! ruit ad nutûs quandò ita quisque tuos.
Te moueant gemitus, lamentaq; publica; votis

Annue totius, Dux venerande gregis.
Eximium decus est miserorum Heroa rogatis
Duritiem cordis mitificare sui.
His etiam extendit tua se celeberrima virtus;
His etiam æternum nomen habere potes.
Ah! video, ah animose Baro, te nemo tenebit,
Cogeris ante tui Cæsaris ire thronum.
Iam primùm disco, te nobis inuidet alter
Orbis, ad Istricolas hoc capietur iter.
Non igitur frustra precibus remorabor euntem;
Sed magis orabo Numina, prosper eas.
Arcanas cœli scrutari nescio vires;
Tu tamen ad fatum fortè trahere nouum.
Dij faciant, nostris longè semotus ab oris,
Non minus Imperium nos quoque porrò iuues.
I: tua laurigeræ victricia gesta puellæ
Orbe canant toto, te super astra ferant.

QVERELA SPONSÆ CHRISTI, TVRCIS IN CROATIA furentibus, & multa hominum millia cædentibus, abducentibus, M. D. XCII.

SPonsa Saracenæ mœstos tua proxima terræ
Hos tibi iam planctûs anxia Christe, fero.
Illa racemiferis tibi vinea culta figuris
Corruit, immundâ depopulata sue.
Dant lacrymas gemmæ, dat plantula læsa dolorem:

Et gemit

Et gemit euersum tristia fata solum.
Barbarus incuruo Mahumetus acynace passim
Inque tuo tinctas sanguine sæuit oueis.
Testantur fuso rorantia prata cruore,
Quæq; iacet nostra falce remessa seges.
Cernis? at hoc dubitem? quid enim nõ cerneret ille,
Qui nostros renes cordis & ima probat?
Hectora cùm tellus alat hæc, non Ister Achillem:
Te præter victis non feret vllus opem.
Iam quoque perpetuò ciuilibus ipsa sub armis
Inclyta belligeri Teutonis ora iacet.
Hic duo de fidei peragunt certamina rebus:
Alter in alterius cuspide sceptra furit.
Hei nihil est nostro, cùm tam sit laxus in orbe
Quàm timor & dubij flebile Martis opus!
Illa dies hæc est, quam tu mihi, Sponse, canebas:
Illa mei reditûs nuncia signa feret.
Nuncia signa ferat reditûs: quid gratius optem?
Vix tueor castum flensquè gemensquè torum.
En mundi furiunt in me proceresquè manusquè,
Et petor immundis viquè doloquè procis.
Aspice, si qua meæ te tangit cura salutis:
Si tibi, quid toto fiat in orbe, patet.
O quàm sancta rudes habuerunt secla colonos,
Qui de fronde suas cnmposuêre casas!
Mars nondum genitus fuerat: Bellona columnam
Nesciit, ac terretem quæ super hasta iacet.
Sed postquam magnæ cumulârant ossa Parentis,
Et saxis clausos vix habuêre Lares.

Hen-

Hem, non tum lacrymis, non tum caruêre timore:
Frigida mors Martem sæpè secuta fuit.
Quid iuuat ingenti vicos circumdare muro?
Fortia bellaci castra replere viro?
Cùm patimur nostras sopiti scandere turres:
Ducitur è medio præda cupita toro.
Fortia nil obstant congesta mœnia saxo,
Quæq; paludosis turris obitur aquis.
Cura Ducum fuerat pia, pro fumantibus aris,
Proq; focis cupidâ sumere pila manu.
Impiger Hectoreis meruit qui signa columnis
Cæsar, ab his Turcas victor abegit agris.
Dat sua terga Getes, nec te quoq; viderat hostem
Carole: sic belli nomine clarus eras.
Maxime, sanguineo cur, Æmiliane, per vndas
Cuspide agit celeres transfugus hostis equos?
Martia fortis adit cùm Regis pectore miles,
Nec retrò Scythicus prælia clamor agit.
Inclyta Martigeris virtus Heroibus æquat,
Cui dederat primos rustica mamma cibos.
Cepit aues laqueis Henricus: at expulit Hunnos,
Pòst quoq; communi nomine Cæsar erat.
Quà cadit & surgit Sol, stat Germanica virtus:
Gens se belligeris Hungara iactat auis.
Turpe quidem fateor, iam nostris cædimur armis,
Et damus hostili colla secanda manu.
Effuso passim scit sanguine squallidus Ister,
Quà Geta dat potæ nomina Silys aquæ.
Nobile quale fuit, præclaræ tecta Sionis,

Quod

Quod media in cineres hora redegit opus.
Non victor saxis contermina saxa reliquit:
Atq; solum rediit, quod fuit ante solum
Tale iacet, noster sudor, manuumq; labores,
Iam rapto curuus quod boue vomer arat.
Floruimus quondam, quod ego non glorior, armis:
A virtute Dei quod sumus omne sumus.
Omnia cum vento mutantur: sæpe sub hortis
Vna dedit flores, abstulit vna dies.
Si non Lunigero sonipes premeretur ab hoste,
Omnibus hæc rebus turba beata foret.
Christe Deus, iam cernis adhuc ceu gens ea nostras
Dissipet ac celeri falce cruentet opes.
Parce nec extremâ stirps à radice reuulsa
Denigret Geticos igne cremata focos.
Iam satis, illa, satis, data pœna: recondat habenas
Ira; suo ceruix non satis apta iugo.
Vt tua conciliet commotum gratia patrem,
Pro me iam paucis ora resolue modis.
Non quia te merui, sed quòd tu mitis, & iræ
Nescius, in fracti cordis anhela Deus.
Nos sumus (heu!) rari sollerti Martis in arte;
Nec mihi bellatrix diua Magistra fuit.
Si qua Parens mediis concepit semen in armis,
Gradiui suboles fortior egit opus.
Fœmina sum, Volscâ de gente ignara Camillæ:
Me mea simplicitas, me mea vota iuuant.
Tu modò, Christe, tuas pro me nunc exsere vireis.
Te melius viduas nemo tuetur oueis.

Et soror,

Et ſoror, & coniux tua ſum; tua dicar oportet;
Dum noua perpetui tempora Veris agam.
Pelle, Benigne, Getas, & in hac fer Morte ſalutem,
Qui mihi cauſa tuâ Morte ſalutis erat.
Sic te cum Lunâ, ſic te cum Sole canemus:
Laude tuâ prompti Veſper & Ortus erunt.

HVNGARIA
GERMANIÆ
Salutem.

Eſſe ſalutatam te vult, Germania, tellus,
Quæ ſi Marte cadit, tu quoq; fracta iaces.
Auditurnè tuis noſtri, pigra Teutonis, oris
Rumor & hæc miſeri perdita turba ſoli?
Forſitan arrectâ capis aure, nec vlla moueris
Sorte, meam rurſus quæ grauis vrget humum.
Ferre potes, rigido quòd Pannonis arua Tyranno
Thracidos accedant amplificare plagas?
Prompta fores vtinam miſereri; promptus ab Hun
Ad te ceu rumor ſapè venire ſolet. (nis
Pauca querar: non quòd ſis rerum neſcia; ſed ne
Tu de more, meam fortè querare fidem.
Ah quid opem miſſura tuam, vicinia deſes,
In longas differs, tarda patrona, moras?
Nil ad te quaſi pertineat, deſendere terram
Hungarin, hinc diſtent quòd tua regna procul.
Si propriùs furiat, ſeruatis viribus hoſtem
Rurſus ad Euximum pellere Marte velis?

Scili-

Scilicet Orator non hoc ſuadebat Athenis,
Hoſtis Olynthiacos donec haberet agros.
Quando minas porrò Demoſthenis ore tonaret,
Defendi ſociam vellet amanter humum.
Poſſet enim patriis longè ſemotus ab oris
Commodiùs parteis Mars tolerare ſuas.
Sit Macedo potius tractû prohibendus Olynthi,
Vrbs procul ipſa queat pace Pelaſga frui.
Turba recuſauit parére; quid accidit vrbi?
Barbarus eſt Graiâ cæde potitus humo,
Pectus habes & ſcripta, Tuiſcone nata propages,
Græcorum exemplo cautior eſſe velis.
Si te non pietas, nec honeſtæ gratia famæ,
Nec mouet vnius relligionis opus.
Aſt perpende, tuis quænam diſcrimina terris,
Me iuga ſubmiſſâ Turcica, nata forent.
Eſt mea natiuo fortis munimine tellus;
Tot nemorum latebras, tot iuga celſa gero.
Montibus incingor; fluuij ſunt horror ituris,
Hactenus & noſtras palluit hoſtis aquas.
Te mera planicies, obſtacula nulla coronant,
Sunt paſſim campi libera rura tui.
Area quàm Geticis miſera eſſes apta moloſſis;
Quàm citò tam ſolidos is popularet agros.
Non eſt, crede mihi, non eſt tibi cognitus armis
Turca ferox! genti Beſtia nota meæ eſt.
Neu faueo, ipſa truceis miſera experiare furores;
Te ſociam tanti nolo videre mali.
Sat, quòd ego pro te Scythico ſim præda latroni;

Huic

Huic dare cogor inops membra voranda lupo.
Mactor, & effuso tepet (heu!) mea sanguine tellus;
Heu! cruor in rubeis flumina spumat agris.
Prò; sceleratus opes congestas tempore longo
Prædo rapit; miseros deuorat igne Lares.
Infanteis, pueros necat, imbelleisq; puellas,
Sors ea decrepitos diruit ense choros.
Sub iuga seruitum trahitur pars relliqua, loris
Acta, propè & celereis cogitur ire rotas.
Nos profugas latè plebecula linquimus ædes,
Degitur in trucibus vita misella locis.
Sylua capit bello flagrante, vel antra ferarum
Incolo; dant tenebræ lustraq; cæca domos.
Scilicet hæc animo si tu perpendere nolis,
Nonnè, precor, mecum, Teutonis ora iaces?
Si quid adhuc superest tibi mentis, & ardua gens es
Consilio, populis prospice, quæso, tuis.
Ante tuas mala quanta fores nisi cernis, & hostem
Prouida non prohibes; iuro, peribis humus.
Non mea te moueant, exempla tot adspice; plureis
Turca sibi terras hac ratione gerit.
Sancta Palestinæ, testantur, Achaia, Persis,
Troia; grauis reliquas commemorare mora est.
Implorauit opem Germaniam sæpè Propontis,
Vt Byzantinas illa iuuaret aquas.
Si non Christigenis miserè deserta fuisset,
Haud puto, vicisses, tu Solimane, Rhodon.
Surge igitur, tellus Germanica, surge; nec ipsos
Differ agros presset Thrax malè mole tuos.

Respice

Respice me, propter superos & vulnera Christi,
Oro, mihi socia, Regio, iunge manûs.
Et poteris: satis ipsa tui sum conscia Martis;
Quàm valeas armis, robore, corde, scio.
Linque parùm tua bella domestica; turpè Fideleis
Inter se frustrà belligerare viros.
Nulla salus furiis vnquam ciuilibus; hostis
Vtiliter patriis pellitur exter agris.
Si me defendis; validis si Pannonas armis
Protegis, ipse tuas asseris hisce domos.
Quàm, Regina, tibi pòst inclita gloria surget;
Hostibus, vt quondam, causa timoris eris.
Aura tuæ latè virtutis perstrepet; omneis
In mundi bello clara vehèrè plagas.
Relligio partis gratabitur ipsa triumphis,
Prospera te porrò sceptra tenere volet.
Eia viros viresq; tuas, Germanis, amicæ
Mitte, precor; Martis filia, mitte precor.

AGMEN TVRCICVM

Hyeme in lacu quodam submersum.

FAta per æquoreos feralia condere bustis
Carmine fert animus tumulos, & triste virorũ
Diluuium, horrendasq; minas, superûmq; marisq;.
Musa faue: vobis mihi nil sine tale canenti
Dextrum cedet opus: neu me ausim credere vento,
Quà se dura Thetys monstrat, cùm nauita tutus

Se sperat penetrare sinûs, furit ima Charybdis.
Iam canimus, per bella Ducum, non vltima Martis
Pectora: me reboare tubâ, Diua alta, Maronis
Grande opus edoceas, mea quæ spectacula poscunt.
Quà sæui accensus diro Mauortis ab æstu
Aeternùm Mahometa ferox bacchatur in Hunnos,
Iuppiter albenteis nimiùm voluebat arenas.
Danubiusq; Sauusq; Vagusq; augmenta carinis,
Et quæ præterea Geticas spatiata per oras
Flumina, nymbosâ vellus patiuntur ab Arcto,
Hunnorum hæc vastare sinûs, & tecta colonis
Vulcano miscere iubent, aditusq; ministrant
Per vada squammigeri cœtus, amnesq; profundos.
Diues aquis Geticas quà Ister dominatur in vndas,
Respuit os Latium quem tergò allabitur amnis,
Adq; duos bombardæ ictûs huic ostia pandit,
Post geminos, miscent nullo discrimine fluctûs.
Hìc vbi rura colunt ingentia Vere colonum
Tuta cohors, Scythico Bruma vexantur ab hoste.
Huc quoq; delatos tacitâ sub nocte propinquùm
Tercentum, clypeata phalanx, ducebat equestreis.
Nox post terga manûs somno vincire sepultos
Suadet, opesq; hominum pecus à præsepibus actum.
Iamq; amnes præbere vias, aditûsq; patenteis,
Postquam adiere rati, monstrare peculia campos.
Exploratores primò mittuntur ad alta
Littora, qui referant tantam conscendere molem
An patiantur opus concretum, extrema laboris.
Progressi ad lapidis iactum, responsa ferentes

His

Hls redeunt: iter emensi, tutumq; putamus.
Vos modò ne, socij, celeres vasto ordine gressus
Maturate, fores ne pandat rima fathiscens,
Iratusq; voret, quo pressus pondere gurges.
Talia suadentes, ceu longo fune ligati,
Succedunt. paritérq; operi incumbuntq; petuntq;
Quò se pandit iter, longo per compita tractu.
Strimonias sic sæpè grues vestigia Regis
Vidi obseruanteis, quatere alta per aëra pennas.
Interea mare calcatur, mediumq; tenetur.
Ecce ruit. pronus Princeps nutansq; molossus
Fit pedibus minor: hic clamans sic ora resoluit:
State viri: Lethum hæret aquis, succedite retrò.
Hæc neq; plura loqui auditus: fragor occupat aures.
Consurgunt sonitus spumis crescentibus albis;
Quales cum canibus frondosa per arua fugati
Anserum, aquas pennis notas petiere, cohortes.
Rursus it in veteres moles reuoluta figuras,
Rupto inter sese pugnantes flumine mensas
Voluit: eques per equos rarò aëre saltat anhelus,
Sed picti apparent clypei, incuruataq; Lunæ
Cornua, quæ rabies malesana ad littora iactat.
Proxima tum monitis vrbs tanti conscia casus
Ducentes gratum extemplò vocat ære soporem.
Iamq; ter Auroram cantu prædixerat ales,
Paulatimq; Polo Titan alta astra fugârat,
Cùm delecta Virûm, longo se corpora Marte
Vrbe mouent, thalamisq; citi vestigia linquunt,
Diluuium moniti læto spectare triumpho.

Deueniunt loca, quà Stygiæ se tristis Erinnyès
Monstraret facies, per fata suprema virorum.
Cæduntur syluæ: conuexo pondere moles
Ingens extruitur: ratibus se condere pontes,
Incipiunt: redit ipse Typhis vectare carinas.
Fas natitare rates, ferit indignata securis,
Tacta adamante: docet curuata harpago latebras,
Per luteos serpit tractûs, fundo extrahitur vi
Deus quidcunq; tenax semel arripit: ille retentus
Ore, ille ex panno, guttis stillantibus auræ
Reditur, obscœnum monstrum ac informe cadauer.
Cætera secretis norunt vaga flumina fundis.
Hi læti ad dulces remeant sine Marte penates,
Inq; manûs prædâ oblatâ, super hoste resultant.
Sic, ô sic post deludas, Pater optime, rerum
Quos crudele iuuat, per mania bella, Gradiui
Ire opus, innocuasq; ciere ad prælia turmas,
Quæ tibi se soli sacras deuouit ad aras,
Gens immota manet, seu horrendum accendere Mar-
Ante fores struat, affixis de cardine peilis; (tem
Impius, aut laqueos obscura ad limina ponat.
Te duce, spes hominum, tantos contemnere motûs
Audemus: tua per munimina suffice vires,
Qui firmâ tibi se coniurauêre cathenâ.
Neue his, neu superis, tua laus cessabit, in oris.

AD

GENEROSVM ET EGREgum Heroem ac Dominum IOANNEM ISDENCIVM, Hungaricæ Militiæ laurini Præfectum.

HEros clare ſago, timor hoſticus! optime præſes,
Cuius ad imperium Mars citus arma rapit.
Si memor es (quod eras) etiamnum fortè Bocatl,
Qui cor Hederuarij ſtruxerat arte tui.
Heîc Oſtroſiticæ quà labitur arcis ad albæ
Littora præproperi nobilis vnda Vagi.
Huc ex Teutonicis iterum ſeſe attulit oris,
Egregium veſtræ viſat vt arcis opus.
Vt ſi Turca (Deus quod clemens differat annis
Aeternis) bello ſterneret hancce ſuo:
Nota & viſa tamen ſuccurrat imago reuerſo
In patriam, hinc nobis quæ procul ora iacet.
Ille idem heîc etiam tibi ſe commendat, & orat
Sis placidus Muſis fautor, vt antè, ſuis.
Sic cùm fratre tibi Bellona ſit æqua; triumphos
Sic tibi magnificos cedat ab hoſte Deus.

Iaurini 1592.

IAVRINVM.

ARX ego Iaurini certare potentibus auſim
Mœnibus haud ſolum, ſplendida Roma, tuis.

Sed Babyloniacis etiam nil robore muris
Cessero per fimæ tecta superba domûs.
Fortia per structi tot propugnacula saxi;
Per validas turreis, grande laboris opus.
Per tot belligeri fortissima pectora Martis;
Per tormenta, per & dura tot arma virûm.
Fabrica totius fòrs ergò Dædala mundi
Dicar Christigenis quà iacet orbis honor.
Quæ natura loci? crudelibus aspera Turcis
Area, quam geminis flumen oberrat aquis:
Danubij vel sola potest Arabonis & vnda
Reddere securam nocte dieuè Getes.
Me colit egregio de stemmate plurimus heros;
Troianus mereor dicier alter equus.
Ventum est ad pugnas, crudelia prælia belli;
Quàm meus hinc miles clara trophæa refert.
Classica dira fremunt: se quilibet ocyùs aufert,
Magnanimusq; suos protinus vrget equos.
Formidanda feris ego si non Thracibus essem;
Austrias heu miserè quàm citò præda foret.
Romani imperij sum porta; nec ora pauescat
Teutonis, Euximos me superante caneis.
His donec felix & sospes honoribus vtar,
Turcæ exosa licet, pace fruetur humus.
Sed quoniam instabilis res est, quantumq; parauit
Fabra hominum summâ dexteritate manus.
Me commendo tibi, Deus ô ter maxime: dextrâ
Meq; meosq; tuâ post tueare, precor.
Mœnia nil prosunt: nil propugnacula; nil &

Turmæ armatorum; millia multa iuuant.
Tu nisi sis arcis præses; fiducia, custos;
Maxime, tu, quæso, me tueare Deus.

Ad Deum

Sub aduentum in Hungariam superiorem

MAGNIFICI ET ILLUSTRIS Domini, D. CHRISTOPHORI TEVFFENBACH, Liberi Baronis, &c. Capitanei supremi bellici.

MAxime Rex regum, cui parent omnia soli
Regna soli, vnda sali, lucida templa poli.
Celse potensq; DEVS, cui porrò Ecclesia curæ est,
Dum, residens cœlo, sufficis orbe Deos.
Quodq; tibi acceptũ ferimus, quà Pannones agros
Hos colimus, miseras respicis vsq; plagas.
Martia, qui teneant, das, sceptra: potentibus armis
Imperitent magnâ dexteritate Viros.
Ne fera Barbarici nos occupet ira Tyranni:
Laudibus heîc etiam fumet acerra tuis.
Quâ rursus bonitate beas, Pater optime; terra
Quòd mittis nostræ Martis ad arua Ducem.
Quo belli potior studiis, cordatior heros
Quo non est alter natus ad arma senex.
Illius est satis antè fides perspecta per arceis,
Quotquot habet contra Turcica monstra solum.

Qualis erat Iosue, qualis Macabæus & ipse;
Talis & hic noster præses in orbe fuit.
Nunc ætate grauis, longo prudentior vsu,
Quo nos consilio iudicioue reget?
Gratia, magne Deus, tibi maxima gratia, tanto
Nos Duce quòd rursus, pro bonitate, beas.
Sed quia te sine tantarum moderamina rerum
Nemo capit felix hoc graue Martis onus:
Illius ipse potens armes in prælia dextram,
Pro te proq; tuis prospera sceptra gerat.

SOLIMANO

Imperatori quondam Turcico, de Viennâ.

REgia seu cœli (quod ego non arbitror) Oreo
Seu te (quod credo) Tartarus ater habet.
Viuit adhuc, Solimane, tuus dolor. ecquid acerbas
Cor tibi vel merso funere nostra salus?
Est secura Vienna tui, secura tuorum,
Et secura suo numine semper erit.

IN TARTAROS

Anno 1566. non procul à Cassouiâ diuaganteis.

TErram quid, ô quid, gens Boreetiden
Linquis? sali nigri per aquas procul
Huc nauigasti; Saxipes &
Culmina montibus in prælatis
Tam præpotenti robore patriæ

Hos ingredi quis iußit agros Virûm,
Quà innoxias vrbeis ſequeſtrant
Legitimumq; Ducem coronant.
Quiſnam egit huc te, partes Erinnyas?
Quiſnam, nigros præter Cacodæmonas?
Hi ſunt tui calcar furoris:
His tua prælia mancipantur.
Caſſouiæ te fortia nobilis,
Tam dirum, atrocem, mœnia reſpuunt;
Neu cœlitum ſuadet voluntas,
Cæſaris hanc dare Ferdinandi
Vrbem, per oras has benè principem.
Cui laudis hæc eſt ſemper adorea,
Vt Chriſtiani nominis Rex
Vrbe decus ſibi ſeruet iſtâ.
Heic arma, currûs heic quia Martios,
Contra Getas contra quoque Tartaros,
Adſeruat, & prolem tremendam,
Cœruleis grauidam cateruis.
Quà tu morarum deſine inanium!
Nil proficis; nil Marte tuo facis.
Iam Tartaras oras viciſsim
Ire velis, furiale monſtrum.

TVRCA.

T hrax canis; horrendum quo nil magè maximo
(in orbe es T
V ngarico toties trVx beſtia ſangVine tract V
R omani imperij flagRum! lacruma vnica; mœroR
C hriſticolum, Crux peccati! Cura anxia done C
A ſpera præt creant, redeant felicia ſecl A

Hungarici Proceres ad CÆSAREM ET REGEM SVVM RODOLPHVM II. &c. pro sibi misso Generali belli Capitaneo, Domino CHRISTOPHORO TEVFFENbachio, gratias agunt.

OPtime Rex! patriæ pater! augustißime Cæsar!
Cuius ab arbitrio pendula turba sumus.
Quas tua non virtus igitur meret inclita grateis,
De duce quòd nostro prospicis ipse solo?
De duce præstanti studio Mauortis & artis,
Consilio, ingenio, stemmate, corde, fide.
Bellica iam cuius sollertia splendida terris
Est nostris: cuius gloria nota prius.
Sacmaris atq; aliæ paßim testantur id arces,
Qualem se nostro gesserit orbe virum.
Fortia gesta manent, veterisq; stat ardua sæcli
Gratia Rectoris prisca per arma sui.
Par huic nemo fuit cordati à tempore SwendI,
Martius armorum qui quoq; rector erat.
Successu felix, animis præclarus, in armis
Teuffenbachiacus multa peregit bonos.
Sed fandi quoniam ore grauis virtute valebat,
Ardua per talem res peregrè acta fuit.
In rigidæ dominam tunc missus Thracidos vrbem

A patre legatus, Diue Rodulphe, tuo est.
Qualiter heic vestri tractârit commoda regni,
Nobiscum, Cæsar maxime, scire potes.
Qualiter inde redux, Romanas iuuerit oras,
Si qua domi fuerant aut peragenda foris:
Clarius est solis face: toto notius orbe,
Res quàm præclaras nos repetamus heri.
Ergò gubernandos quòd eidem rursus equestreis,
Inclite Rex, tradis nos, tua membra, Viro:
Gratius Hungaricis certè nil accidit oris;
Terra bonum hoc nullum maius habere potest.
Nemo seni fasceis hos inuidet; omnis honorat,
Ardet, & ex animo gestat habere Ducem.
Quas tibi propterea debet Respublica grateis,
Auspice quo Iosuam nostra habet ora suum?
Sceptra Ducis promti venerabimur; ocyùs omnes,
Quod volet, extemplò perficiemus opus.
Vox erit oraculum poscentis; in arma ruemus
Protenus, & subitam quisque feremus opem.
Omnia sunt: isto sub principe bella geremus
Prospera! iam tristeis cernimus esse Getas.
Iam recipi tot propugnacla videmus & arceis,
Et quos ereptos Turcus arabat agros.
Salue magne Senex, magno cum Cæsare salue,
Mascula queis virtus iam sua serta parat.
Pergite, nos, vestros, defendere iugiter armis,
Omnia sub vobis nostra duobus erunt.

De Ha

De hastâ cruentatâ!
A
BERTAL BASSA
Agriæ missâ,
Anno Domini 1566.

TEmpore quo nostras intrârat Swendius oras,
Swendius armorum gloria, Martis honos.
Vt per eum caderet discordia nata duobus
Regibus ob sceptrum, Pannona terra, tuum.
Germano procereis dum Regi pacat, & arceis
Eripit, alterius quæ modò partis erant.
Turca ferox Agriæ bella, horrida bella, minatur,
Arx sibi quò cedat deditione, furit.
Præcipuè validus Dux ipse, Magocius heros,
Poscitur, ac duri cætera membra sagi.
Ni faciant, euersurum se glandibus arcem,
Aerea quas nitri puluere canna iacit.
Perq; cruentatam rem protenus indicat hastam,
Asserat vt vitam miles & arcis opus.
Agria sed frustrà tentatur, & arma Tomitis
Obiicit, hostileis temnere gnara minas.
Gratia sit superis, quòd adhuc nos illa tuetur,
Protegit & nostros auget & vsq; Lareis.
Arcibus ergò, licet furiat feriatq;, potestas,
Adseruante Deo, nulla nocere potest.
Est Deus orandus, ne tandem ea sæuiat hasta,
Sæpè ruina quidem sera, sed ampla venit.

OPTIO

OPTIO

PRO ILLVSTRI ET

Cordatißimo Heroē ac Domino

D. CHRISTOPHORO TEVFfenbachio, *Libero Barone, Prorege Hungariæ.*

SIC *te ipſe omnipotens Pater,*
Sic te Filius & Spiritus optimus,
Bellorumq; regat Deus,
Victis hoſtibus vt Martis adoream.
Reddant incolumem ſolo,
Et ſeruent animam, Neſtor vt inclitus
Longum robur & æs triplex
Circa cor habeas, vt, querimoniam
Porrò Chriſtiadum trucem,
Turcam cuſpide ſternere barbarum
Hector ſuſtineas, bonus
Pro Chriſto & patriā heū omnia perpeti;
Dum mortalibus erutum
Te cœli Herculeus parte labor beet.
Teuffenbachiacæ domûs
Heros floride, gloria palmaq;.

Doctiſs. & opt. Iuueni

MARCO SCHVAGERO

MISNICO.

HVC *etiam tu, Marce, venis, Miſneidos oras*
Propter & ob patriā vertere visne ſolum?

Iure

Iure facis; laudo. mores imitaris eorum,
Qui à longè exstinguunt omnicremũ ignis opus.
Mulciber iste lareis quùm nostros proximus ardet,
Res agitur vestri, Marce Schwagere, soli.

De
Disciplina militari
Ad
Milites improbos.

Quid lætare, Scelus, Christiani dedecus orbis;
Fax hominum, profugus, fur, latro, adulter iners?
An quia Romani iam Cæsaris arma secutus
Impia militiæ sis quoq; massa piæ,
Heîc impunè queas Genio indulgere maligno?
Falleris! haud furtis Mars fauet iste tuis.
Carpe pyrum, inuito Domino; arbore rursus eâdẽ
Tu pendes, hominem percute; rursus obis.
Scilicet est bello tam certum rete malorum,
Vt ruat in casseis bestia quæque suos.

Hussari.

Tecta serè exsuuiis & pelle Libystidos hæc est
Quænã turma? Scytas nonnè ea forma decet?
Sic ego! respondit Bellona! enixa iuuentam
Ipsa parens hanc sum; laus mihi prole mea est.
Sunt animæ horrendæ: suriatâ Corus hic hastâ
Trux ab equo Thracas præcipitare solet.

Gloria

Gloria & Hungaricis oblectamenta Dynastis,
Post etiam, Hussaridæ, promptiùs este Viri.
Militiæ decet ira truceis imitata furoreis;
Horrida plus armis pectora sæpè nocent.

Prælium TVRCICORVM PVERORVM, Albæ Regali iussu Beglerbegi Græciæ fustibus commissum.

ad

ILLVSTREM, MAGNIFICUM, & felicißimum Heroem ac Dominum D. CHRISTOPHORVM TEVFFENBACHIUM, Liberum Baronem.

AVdi, magne Baro, quæ risu ac digna relatu
Scribitur à nostris res agitata Getis.
Terror es Albanis regalibus! illius arcis
Turca Saracenos qui moderatur agros,
Ludicra per pueros ex Marte pericula fecit,
Disceret vt sortem ficta per arma suam.
Sexcentos legit duodeno, aut circiter, anno,
Qui facerent numero prælia fuste pari.
Altera pars bello moreis imitata patritos,
Altera Christicolis æmula signa gerit.
Congreditur clamore grauis bilem vtraq; proles
Fictitiam; hinc ambo claßica dira fremunt.
Poscitur heic nostri ter clarè nomen Iesu;

Sed

Sed ter ibi Stentor barbarus Halla boat.
Fuste caput feruente dolant ſatis acriter vdum
Sanguine: nec fictis amplius arma rotant.
Seria iam gliſcunt: ſuperare laborat vterq;
Mars; agit in vero potenus hoſte furor.
Anceps pugna diu; Chriſtianis hoſtibus impar
Deniq; ſuccumbit Lumigera illa cohors.
Pellitur à ſtatione domumq; recurrere fruſtrà
Tentat, & à reliquis vulnera nulla capit.
Sæua per armatos diſcordia ceſſat alumnos
Milite crudeleis vix dirimente manûs.
Sic iſta in lacrumas abeunt tentamina largas,
Matres natorum fata cruenta gemunt.
Cum grege rex omen ſormidat, & arma futura
Hoc anno credunt perniciosa ſuis.
Prælia Chriſticolis iterum felicia ſpondent,
Tali quod rerum ſchemate noſſe queant.
O Tenffenbachi! noſtri ſpes vnica Martis,
Tu rogo per taleis ipſe notère vices.
Alma Trias faxit, duce te prudente viciſſim
Amplificent noſtrum læta trophæa ſolum.

De Fileco
PER ILLVSTREM ET
cordatiſſimum Heroem
D. CHRISTOPHORVM TEVFſenbach, Hungariæ reddito.

Quod

QVod felix nostris fortunatumq; sit Hunnis :
Tandē (summa Deo laus) propugnacula dura
Diruta Sabbatsæ fumant, arxq; alta Fileci
Iam supplex tremulam porrexit dedita pacem.
Exanimata metu procul oppida cætera mugrant
Aduentûsq; Senis formidant. proxima Præsto
Buda potens, & Danubius felicia sentit
Prælia Christiadum; Germanorum arma virorum
Extimet arx frustrà ante annum oppugnata StrigonI
Millia multa Istri, rapidè comitantibus vndis,
Diffugiunt. Græcas latè timor occupat oras.
Efficere vna potest tantum expugnatio felix.
Omnipotens, Regni Deus arbiter vnice! vireis
Suffice pòst illi Heroi, sapientia cuius
Iam per Lunigeras se differt notior oras.

DE SVSPENSO IN CASTRIS

Nobili fure.

QVi, grauis vt Princeps, herè maiestate veren-
Inter honoratos ibat vbiq; viros : (dus
Ecce hodie cruce suspensus quàm turpiter idem
Nunc cœlum ac terram pensilis inter agit.
Discite iustitiam reliqui, neu spernite legeis;
Nec magnis bello furibus esse licet.

Viro Reuerendo & doctiss.
D. M. SAMVELI SAVTE-
ro Pastori Epperiessimo.

EXhibet hoc nostræ præsens spectacula pubi
Tempus, & à Gallis bella quotannis habet.
Vt cernat, sit quanta ipsis sollertia brutis,
Discat & exemplo laudis amore regi.
Ergò docebo meos pro tempore pauca vicissim,
Ales & Auroræ nuntia doctor erit.
Committent pueri gallos, de more vetusto,
Et schola sanguineum cras mea cernet opus.
Si bellum spectare cupis, siq; otia suadent,
Tu iudex Martis crastinus esto mei.
Sol medius cœlo primam cùm fecerit horam,
Arma armis, castris castra parabo suis.
Te decet aspicere hæc, reuerende vir, ipse Senatus
Vult operas nostræ te quoque scire scholæ.

Slesiaci Milites.

SLesia quos genuit, sat idonea pectora Martî
Sufficit, heîc tellus Hungara testis erit.
Præcipuè quà turma sedet generosa caballis,
Non homineis murum Turca sed ipse vocat.
Assere te laudesq; tuas, gens inclita, porrò
Muri more hostem patriæ amore feras.

ESTOTE CONTENTI
Stipendiis vestris. Luc. 3.

Heus

HEu heu, turba rapax, & auari gloria Martis;
Illicitas quid quæris opeis? stipendia Cæsar
Quùm soluat; desendendos cur more raponum
Latronumq;, prophana cohors, has Pannonis vrbeis
Et pagos spoliare venis. te castra secutum
Si qua fides pietasq; tenet, contentus in armis
Accipe, miles atrox, quod menstrua Cæsaris arca
Porrigit; ad luxum neu posthac vtere nummis.
Non tua Sparta Deo grauis est; solùm ense tueri
Disce tuos, non incursare! nec arma beatis
Officiunt pia, iusta, decentia; cætera damnant.

DE
LAZARO SWENDIO,
Capitaneo olim in Hungaria bellico.
Ad
GENEROSVM ET EGREGIVM
Dominum Valentinum Vsz.

MIlitiæ superis labor est Heroibus, intra
Vincula concordi lege tenere suos.
Quà non est pallor, nec honos: reuerentia friget;
Nemo ducem curat; propria quisque gerit.
Ergò Ducem miratur adhuc hæc Lazaron ora,
Quem de Swendiacâ clarat origo domo.
Hunc proceres tremuêre soli, quasi cerua leonem,
Neu sic agna solet fortè pauere lupum.
Scilicet is norat vir, debellare superbos,
Effera militiæ corda domare suæ.
Non minùs, vt vileis lixas miserosq; caloneis,

Illius egregios sustulit ira viros.
Crux pro Nobilibus cùm semper aperta colonûm
Ceu pro subiectâ rusticitate foret.
Efferus haud quisquam se contra impunè ferebat:
In cruce magnificum sæpè pependit onus.
Nonné putas, VSZI, belli si Swendius armis
Nunc istâ rursus præficeretur humo:
Cæsaris edicto magè grex parèret, in altâ
Nî fieri vellet littera longa trabe?

IN
HORRENDAS MILITVM
Exsecrationes.

CVr ita saluifico facis ô noua vulnera Christo,
Gens, quæ de Christo nomen habere cupis?
Non mirum est, tellus tibi mox quin ima dehiscat,
Fulmine & in Stygias mox adigare plagas.
Turca suo nunquam, sed tu conuitia semper
Ipsa tuo facis, heu bestia cruda, Deo.
Cæsar & Imperij Reges prohibete; profectò
Hoc vnum perdet nostraq; nosq; scelus.

Quinq; Hussari
FVGANT ET CAEDVNT CENTVM
Turcas.
ad
ILLVSTREM ET MAGNI-
ficum Dominum, Dominum
SIMONEM FORGACZ, L. B.

Clare

CLare Comes, si cura sinit grauis, accipe, Vates
Dulce tibi forsan commemorabo recens.
Scripsit heri quidam Cassouidos vrbis amicus,
Acciderit paucos fortè quid ante dies.
Dux Agriæ Præpostuarius legauit equestreis
Hussarici iuueneis pectora quinq; chori.
Rustica iuratos illi quà pendere census
Turba solet, binos quæ veneratur heros.
Heîc vbi sistuntur, se centum angusta per arua
Obuia Turcarum bellica corda ferunt.
Territa per quinos proles Meseecia vertit
Terga, retrò plurcis Pannonas esse rata.
Hungarus insequitur, trux quattuor ense trucidat.
Atque vnus viuum dulce refertur onus.
Victoriq; simul vexillum cedit habendum
Agriaco munus gratius ære Duci.
Mascula sic virtus numerum nil curat & audax
Gloria belligeros sæpè iuuare solet.
Censuram tamen oro tuam, Marte inclite Magnus:
Nam quiuis melior censor in arte suâ est.

De Legatione ILLVSTRISSIMI TRANSyluaniæ Principis, D. SIGISMVNDI BATHORI, &c. ad Cæs. Rom. RODVLPH. II.

QVos, præter morem, quosnam hâc, precor, vrbe togatos

Si tamen est rectè cernere, cerno viros?
Hungara vox equidem; sed ritu Pannonas omneis
Haud referent nostros: quos tamen esse rear?
Credere nec possum, tellure Polonide missos:
Ex manicis nosci Sarmata quisq; potest.
Turcigenasnè putem? non sic. Mesecia proles
Rasa caput penitus sindone tecta gerit.
Sunt Hunni; sermo docet: aruis fortè remotis
Ad notos faciunt, Principis instar, iter.
Heus puer; Hungaricinè satûs vos? vnde profecti?
Tempore cur isto? quò via? quæso, refer.
Quis cygnus iste gerit niueas qui tempora plumas,
Cui grauitas oculis emicat, ore Lepos.
Nec dubito, doctrina viro est, & plurima rerum
Cognitio grauium: fascibus altus bonos.
Alloquar ipse; meis poteritnè vacare Camœnis?
Alloquar, hûc vultûs dirigit vsq; suos.
Salue, magne Senex, nostras qui diceris oras
A Transiluani Principis ire throno.
Quonam te vates excepero more? quibusnam
Versibus illustrem te celebrâro meis?
Fas erat, huc omneis Helicone venire patronos:
Fas erat, huc doctas approperare Deas.
Ardua, cur venias Brumali flore profectus,
Causa facit, nec nos fortè latère potest.
Coniicio; diuine senex à Principe missus
Hinc procul, Ausonios præpes adibis agros.
Sunt commissa tuæ peragenda negotia curæ
Ardua, Romanus Rex vbi sceptra gerit.

Nempè

Nempè Casurgiaden rectà properabis ad vrbem,
Imperij fasceis ante disertus eris.
Cæsaris heîc vultûs scripto exhilarabis honesto,
Cui robur mirâ dexteritate dabis.
Maxime Cæsar, aue! Rex maiestate verendus!
Vnica Christigenum gloria, cura, salus.
Qui terram ditione tenet de monte vocatam
Septeno, rerum te Dominum esse cupit.
Gratatur vestris ex corde potentibus agris,
Virtuti & sorti læta trophæa tuæ.
Quòdq; Saracenæ moueas felicia turbæ
Bella, Deo grateis lætior ipse canit.
Dent superi tantis posthac respondeat ausis
Successûs, vestros Marte iuuante viros.
Te rogat, immò monet, sacra per communia, bellum
Tam sanctum porrò continuare velis.
Nil poterit nostris contingere dulciùs oris:
Nil Transiluano gratiùs orbe fuit.
Scilicet hoc vnum feruentibus omnia votis
Agmina cum Domino iam voluêre suo.
Dacia lætatur: Moldauia tota triumphat:
Bulgaris exsultat: Doridos ora gemit.
Contra Thraca simul vaginâ diripit ensem;
Nauseat & solitum ferre recusat onus.
Quod pietas etiam suadet, quæ fortiter hosteis
Contra pro sociis induit arma suis.
Hoc dictamen habe: te belligerante per Hunnos,
Iazyges Euximos Marte sequentur agros.
Nesteridos flumios nigrasq; Propontidas vndas

Egregius turmis noster adibit Herus.
Integer est annis iuuenilibus: arma capessit
Strenuus, ingenio consilioq; potens.
Fortis & ad duri quasi natus prælia Martis,
Pronuntit nostro plurima gesta solo.
Addo; suam defert operam tibi, maxime Cæsar,
Militiæ consors percupit esse tuæ.
Nec vult tam prauo posthac seruire Tyranno:
Pro te proq; tuis omnia ferre studet.
Præterea, quo certa fides; tua fœdera poscit,
Vt post se stabili tuq; fauore iuues.
Legitimos ex strpe tuâ meditatur amoreis,
Et generis sponsam gaudet habere tui.
Quam si, dante Deo, vestrisq;, quod orat, amicis
Auspiciis, patriæ ducere posset humo:
Quânam te coleret pietate, fideq;? quibusnam
Pannonas auxiliis ipse iuuaret agros?
Annue; sic nobis in fœdera certa coibunt
Arma; duplex regnum consociabit opem.
Sic vireis iuncti pars vtraq; Martis habebit,
Vt melius belli sustineatur opus.
Sunt animi nostro, sunt arma viriq; Dynastæ:
Munita est Genij terra fauore sui.
Principis ergò preceis tanti ne despice Princeps,
Vtiliter Domino iunctior esto meo.
Sic tua supremus felicitet arma Monarches:
Sic possis vrbeis amplificare tuas.
Cerno; Dei prompto duplicis nos gratia vultu
Respicit; iste soli Numen, at ille poli.

Hæc

Hæc tu Baczkaides, vir maxime, Cæsaris ante
Ora, nisi fallor, dicta seuera dabis.
Nec dubito, responsa feres gratissima; voti
Vt fieri possit patria compos humus.
I, precor, I felix; magni cura vnica belli!
Iam te responsum cerno referre bonum.
Iam cerno, Imperij te concio tollit Olympo;
Iam te felicem cerno redire domum.
Celse Deus, Regum Rex Optime, Maxime! cœptis
His ades; in laudeis cedat vt omne tuas.

Celadon.
ECLOGA NOMINE MEI
Soceri Ioannis Belsij, nuper piè defuncti, scripta ad Cæsarem
RODOLPHVM II.

NVper ego virides lustrans, de more, recessûs,
Dona Dei campo, varios mirabar honores:
Et lætas segetes, & multo flore superbam
Tellurem, humani generis rerumq; parentem.
Interea tectos per agros dum lumina voluo,
Ecce mihi Celadon venit obuius, inter aristas
Mixtus, in obliquo solus per deuia gressu,
Non procul irriguas lentè spaciatus ad vndas.
Aspicio primus, dictâq; salute vicissim,
Quæro, quid ad fluuios & amictas gramine ripas
Solus eat? quid agat? tacito quid pectore vertat?
Nam defixus humi vultûs oculosq; tenebat.

Ille mihi contrà reddit: quid & ipse vagaris
Non comiti monstrans humano culta labore
Quàm stent arua suis mox frugibus apta secandis?
Tunc ego subiiciens: equidē hic ego sæpè frequens
Et flauam Cererem, cœlestia munera miror. (q;
Nescio sed falcem quis subiecturus aristis,
Grana domi teret & nostros quoq; vertet in vsus.
Messores alios metuo: vel corpora tradet
Mille neci cædes funesta: aut miles habebit
Hæc Geticus tandem, patriisq; fugabit ab oris
Nos, procul ad septem, sub sidera dura, Triones.
Ancipiti solet ire gradu Mars: brachia latè
Quamuis pandat, & hic nostris arrideat armis.
Quâ victis rediit semel in præcordia virtus,
Quîs vltrò se tot castella, tot oppida dedunt.
Sic ego: sic Celadon non impiger ore profatur:
Quæso potes mecum si quid cessare sub istâ
Ilice, quæ patula est, viuoq; sedilia musco
Præbet, in hâc dulces vmbrâ sedeamus amici:
Maior ego, mihi te nunc auscultare necesse est.
Efficiam melior tibi quò sententia surgat.
Iamq; (fatebor enim) sæuus licet omnia circum
Hostis ad Istricolas sua sub iuga misit, & Hunnis
Intulit innumeras clades, latèq; gubernat:
Non tamen hoc semper curret fortuna tenore.
Ipse ego qui quondam Bizantia mœnia vidi
Et multum, Solymanne, tibi donatus abiui,
Triste loqui Mahometigenas his auribus hausi.
Namq; querebantur veluti vi rapta potestas

Olim præcipites fato passura ruinas,
Nec sit, vt antè, suos felix habitura triumphos.
Omen id & veterum cecinêre oracula vatum:
Quemq; diu captum tenuit Babylonia pellex.
Estq; adeò decus Hoc æui, quod carmina nobis
Præcinuêre diu, Getici ruitura Tyranni
Regna, & Romanis rursus cessura triumphis,
Amplius angusto cùm fines limite claudi
Turpè erit, & frustrà tam longos mittere census.
Iam noua Christicolas cœlo delapsa reuisunt
Numina: iam redeunt populi & felicia regna
Quæ gelidi fontes, cum saltibus antra vocabunt
Quæ Saus atq; Draus, flumenq; binominis Istri
Quæ quoq; supplicibus clamabant oppida muris,
Oppida diuini nec adhuc ignara cruoris.
Scilicet hoc lapidesq; domusq; hoc antra loquuntur:
Scilicet hoc votis est tempus mille petitum.
Scilicet hoc series optauit longa nepotum.
Hoc rigidi montes: hoc saxa minantia cœlo.
Hoc inhumatorum poscunt, manesq; animæq;.
Non oblita sui surgit Germania: surgunt
Omnes saluificum qui Christi nomen adorant.
Cuncta iubent metam veterum sperare laborum.
Quem sonipes metuat posthac non Hunnus habebit
Non quis ob abductos Genitor, sua pignora natos:
Non natus cari plorabit vincla parentis.
Optima libertas sub dio altaria ponet,
Vota potestati Trinæ de pectore fundens.
Hæc, inquam, talem Genuerunt secula Regem,

Sub

Sub quo mitescant nimiùm crudelia fata,
Turcicus Hungaricis furor vt discedat ab oris:
Thracia victa manus duris post terga cathenis
Præbeat Arctoo supplex spectacula mundo.
Hæc ita, si vatum non stant monimenta priorum
Irrita, sidereo Rex quem demisit olympo,
Hungariæ explebit fatorum arcana Rodolphus
Hic Othomannigenas à sedibus vltor auitis
Belliger, extremos solis depellet ad ortus,
Europæ phryxi transostia limite cassos.
Auxilium superi promittunt: campus & vnda
Coniurant: aër gestit: sunt flumina læta.
Rex Arctoarum sua gaudia sentit aquarum,
Paulatimq; videt rapidos procedere cursûs,
Conciliis etenim prohibetur & agmine denso
Squamigeri sine fine gregis, qui lege Senatum
Conuocat, & certos regni dimittit ad omnes,
Quàq; suos ortus habet, aut quà angusta Propontis
Euxini commiscet aquas, & cornua flectit:
Sollicitantq; duces per mutua vincula fœdus,
Vt quàcunque queant pertæsa hucvsq; Getarum
Imperia effugiant, Christiq; à nomine cœtus
Iam dominos videant, populos qui pace gubernent,
Altâ abigantq; Deum quæ ridet in arce cateruam.
Omnia & exercent lætos animalia plausûs,
Vtq; iuuent animis, bellorum oblita priorum,
Inter se dulcem componunt ordine pacem.
Non lupus est inimicus oui, non cerua leoni:
Non canibus lepores laniantur: acerba cruore

Tigris

Tigris fauce caret: non tauro cornua sternit
Prata per & sylvas, villis horrentibus vrsus.
Omne genus volucrum coniurat in arma: per auras
Dant plausus gyro, veteremq; auertere pestem
Conantur, longos acuentes vnguibus vngueis.
Rex oratores dimittit, & vndique cogit
Auxilia, & primus vibrat per nubila pennas,
Magnaq; diuersi nutrit duo fulmina belli.
Vnum illustre domo & Germano sanguine iunctum,
Quod Strigoniacas feliciter occupat arces
Victor, cuique vlnis mox obuia Buda duabus
Ibit, eatq; precor Dominum, qui fautor & autor
Arma iubet capere hæc, pro Relligione fociscq;.
Ille dabit validas vires, animumq; cateruis,
Milite quæ modico patriæq; Deiq; tuentur
Laudem: vt sancta queant immanem excindere gentem
Agmina, sacrilegas aut hinc dispellere turmas:
Sternere iactanteis longis sua robora pilis.
Namq; adeò non est inuicta potentia Turcæ,
Vt perhibent: Deus omnipotens est fortior, aut qui
Iussa colit veneranda Dei, roburq; salutis
Ipsius in Gnato locat, auxiliumq; Iehouæ
Inuocat: ille potest Iosuas ceu victor, ad Orcum
Millia multa virûm dimittere fulmine cœli.
Aut Manoâ satus, armatos qui strage Philistas
Totus inermis maxillâ concussit asselli.
Pastor & ille globo, vasta qui mole Gigantem
Perculit & pronâ caput à ceruice reuulsit.
Nos precibus duplices tendamus ad aurea palmas

Sidera,

Sidera, falcato qui ſæuit acynace paßim.
Vt ruat, aut ſupplex Romanis fiat & Hunnis.
Hoc faciat orbis & vrbis apex, & vt exigat armis
Omnis in Hungaricâ ſtat cura ſalute Rodolphi.
Ille pater patriæ tot gentes eripit Orco,
Ipſe ſuos regni mittens ad prælia ciues:
Nunc arces Hunnis nunc Hunnos arcibus auget.
Illum longa mihi ſeruet quoque parca Monarcham.
Namqúe mihi ceras mittens, & nobile ſignum
A grege ſelegit maculosâ Trigide, fauces
Quæ rictat: quæ calce roſas & lilia calcat:
Addidit & fuluum, quo nil eſt gratius, aurum:
Vtere, ait, felix hoc nobilitatis honore,
Tuqúe, tuiqúe, & qui tandem naſcentur ab illis.
Annuo & ille mihi argentô prouidit & aurô.
Ergò prius montes hæc neſciat Hungara tellus:
Ante ſuos ortûs repetat ſolemqúe cadentem
Iſter, & ad celſos voluat ſua flumina colles,
Quàm non pro pietate meas ego pectora grates
Depromam, aut cuius me temporis arguat ætas
Immemorem, cui non venientia ſecla ſenectam
Laudibus imponent: iam quantulacunq; rependam
Ipſius ſimiles venerans in imagine vultûs
Pronus adorabo, ceu numen, & ara Sabæo
Thure frequentabit iucundos pingueis honores.
Vtqúe mihi certo in numero dedit æra quotannis:
Sic ego, ſic illi faciam quoque vota quotannis:
Vt nunc Romanis amiſſas reſtituat res,
Adiiciens noua Pannonicas Auguſtus ad oras

Regna,

Regna, quibus Christi cœtus fœdißimus hostis
Præsidet: vt mundo pòst solus regnet: vt ipsi
Longa sit & nullis ætas obnoxia morbis.
Vt beet Austriacos laus non moritura penates.
Vt pax, aurea pax regni intestina gubernet.
Inclyta Romanis vltrò gens dedita sceptris
Pareat, & pariat venturis commoda seclis.
Ergò vale diuine Rodolphe, Rodolphe, Rodolphe,
Lux mundi populiqúe salus! Felicibus armis
Vince Getam, vt causâ vincis: non fata negabunt
Prospera sucessûs, exoptatosq; triumphos.
Non Aquilas crudelis Epops, cernusq; sonorus
Vociferantes non vlulæ, picæq; loquaces
Suspendant, sanctis neu dent incommoda cœptis.

Theol. & V. opt. doctiss.
D. MARTINO STVRMIO,
Concionatori Leutschouien.

QVam causam rear esse? iam duello,
Sturmi, Barbaries agone vincit
Gregem, numina vera sed professum.
Qui Christi roseo cruore tinctus
Vexillo roseoqúe militauit.
Etiam nos miseros breui fugabit:
Nostris aut domibus necabit ense
Nos nostrosqúe: Deus Deus resistat.
O Sturmi! hercle pudor licet fateri est!
Pòl verum tamen heîc ego profabor:

Poclis

Poclis militiæ, domiq; poclis
Luxu militiæ, domiq; luxu
Certamus: nihil hostis acer horum
Patrat militiæ domiq; Turca.

Viro Nobilifs. & Strenuo D. ERICO LASSOTÆ CÆS. Lustrationum in Hungaria superiori Magistro.

HAud, Generose vir, est verum, quod castra secu-
Nulla fides etiam dicitur esse viris. (tu
Miles Abrahamus erat: quo milite nostra triumphat
Relligio: Dauid, Iudita miles erat.
Miles erat Iosuæ, Gedeon, Patris vnica proles
Christus erat miles, militiæq; decus.
Nostra nec est aliud, quàm bellum & prælia, vita:
Militat at Christo qui duce victor erit.

SARMATÆ GERmanus.

HOc prudenter agis, quòd, Sarmata, cautior ar-
Nemine pro capias, sit nisi sarta fides. (ma
Hoc sed deliras, armata, ô Sarmata, contra
Te Marte & bellis agmina quando vides:
Fracta fides est: nonné vides tua? Turcica contra
Nos cùm Christigenas agmina bella mouent.
Non mea, non tua; nostra fides est, Sarmata, fracta:
Arma cape, aut non est sic tua sarta fides.

IAVRI-

IAVRINVM

Anno 1594. perditum.

DIuide laurinum, *cedat pars altera Turcis,*
Altera Romanis; nomen id omen erit.
Pone modò in medio duo cornua, dixeris, illa
Fregisse Hungarico cornua bina solo.
Vnum laurinum *est cornu, Agria nostra secundum,*
laur*is ob* vinum *hæc cornua bina iacent.*

Nota.

Christianos nos laur *suâ linguâ vocant Turcæ, quasi infideles vel Ethnicos; inter* laur *&* inum *pone* v, *euadit* laur–v–inum.

ALITER.

Turcicogræca facit laurino *dictio nomen,*
Immodicè quòd laur *Teutones* ὄινον *ament.*

Acrosticon
VOTVM PRO HVNGARIA

contra Turcas & Tartatos M. D. XCV.
anno clementer defendendâ.

REx *nunc* Orbe *gerens venerabile pusio nome* N
Verus *es æthereo missus mortalibus ax* E
Christus *homo; æterni* Soboles *æquæua parenti* S
Iouæ; *qui mare: qui terras, quiq; alta guberna* T
Mens *æterna* Dei *patris: mens edita null* O
Vnica *spes hominum, satis exspectate* Redempto R
Serua, *Christe, tuum ne post Lupus intret ouil* E

Immanuelem qui te cœlo turbat ab alt O
Noſter is & tuus eſt, Chriſte, atrociſsimus hoſti S
Viue Deus, quem virgo hominem tulit inclita part V
Impia quò Barathri citiùs procul inde faceſſan T
Fulmina, quæ ſedeis Furiæ iaculantur ad Alt I
Tolle, tuis tandem populis ſis, Maxime, Nume N
Occurras Parthorum armis ſocia agmina dur A
Telis cœlicolûm rumpas, Martemq; nefandu M
Orbi huic & ſociant vno quæ vincula nex V
Tunde Othomannigeni nobis horrenda Tyrann I
Agmina: ſterne, Potens, ſterne atri Dæmonis illu D
Monſtrum informe, ingens; & nos da viuere pac E
Suſcitat æternùm, nunquam placabilis arm A
Vngaricam contra gentem trux Belua belli S
Bellator: Sed, Gnate Dei, noue iuſtitiæ So L
Perdere quid ceſſas Getica Hoſtis fulmina ſanct AE
Terram quæ gentis ſacra fana arasq; prophanan T
In vada iam nigri protrude profunda Barathr I
Nos q; malis miſeros, ô vindex, eripe tanti S
Conſtrictos ſtygiis, Rex ſumme, vlciſcere vincli S
Intendens iamiam labentur mille quod ann I
Perfidus vt noſtram perſtringit acynace terra M
Enſeis atq; haſtas hebetans: hoc percute vult V
Vexatosq; iterum maneant ſua præmia Turca S
Tandem in eos heic paſſa diu ſint omnia verſ A
Iam ſat pœnarum Chriſti ob venerabile nomc N
Da requiem laſsis exoptatumq; leuame N
Viuere dulcè ſinas modicè & placabilis eſt O
Pace tibi ſundet magnas ECCLESIA gratei S

Hunga-

Hungaria gratulans, SERENISSIMO AVSTRIÆ ARCHIDVCI Dom. Domino MAXAEMILIANO, Hungariam sup. intranti.

INduperatoris Frater germane RODVLPHI,
Maxime qui nobis fers Æmiliane salutem,
Austriace salue, terræ Augustissime Princeps,
Pannoniæ salue, salue Heros inclite, salue.
Vngarici salue regni spes optima, salue.
Vltima, sed rerum spes ô fidißima salue:
Cuius in Aduentu Mars iubilat, aurea Pallas
Frena resoluit equis, salit & Victoria plaudit,
Iustitiâ comite Astræâ; simul omnis & ordo
Pieridum progressus agris, Helicone relicto.
Has etiam has oculis clementibus aspicis oras,
Tot iam vexatas ab eo crudeliter annis;
Qui Christum abiurans & acynace fretus in orbem
Christiadum furit, ac solio se iactat auito
Clara potiturum superando sceptra Quirini,
Ebrius is toties, sine vindice, Marte secundo.
Priuat honore suo delubra, & viribus aras,
Olli Relligio ceßit, subuecta caballis
Quattuor ad cœlum, furiis per templa relictis.
Salue igitur toties, ô Clementißime Princeps!
Nos quoties votis te te exoptauimus omnes:
Absentem veluti Genitricem vagiit infans,
Solus in angustis cùm lamentabile cunis

Guttur hiat ſtratum lacrumarum immergitur vndis.
Tuq; adeò ſalue lux feſta, quòd aurea nobis
Gaudia reſtituis tandem, cœlumq; ſerenas,
Cœlum, quod nebulas tempeſtateisq; per annos
Mille tulit; tulit horrendos ad littora fluctûs.
Tantùm, vt ſi lapſis iam iam ſuccurrere rebus,
Qui proram puppimq; regat, non cerneret: vndas
Merſa ſub Aeoleas, tantis, ſine fine, procellis
Obrueretur, in horriſono membra omnia ponto.
Centimanum natura Gygen ſi me alma crearet:
Si tot Apollineæ dictarent ora papyro,
Quot cœlum ſtellas, quot apes Ver, littus arenas,
Bruma niueis, mare aquas, animalia cuncta capillos,
Arbor habet folia, & diſtinctum grana papauer:
Non ego balbus ad hæc iuſtos dare gaudia cantûs
Sufficerem, Æmiliane: tuos quòd copia ſtandi
Vultûs ante iuuet, ſed amicas, reddere voceis.
Non ita, qui tenebris & carcere ducitur atro,
Ferrea crura diu, vel palmas tædia paſſus
Exultat: non ſic inuentis Tearus alis.
Non ſic à ſocio Stygiis reſeratus ab vndis,
Herculeâ Theſeus poſuit quùm vincula clauâ.
Quare age quiſquis aues, vt oues, mecum ito lu-
Omnibus in triuiis lætum pæana canamus: (benter,
Iubila vel calamo ſignemus, & ora papyri
Paulatim niueo madefacta liquore feramus;
Quà ſol extremos vrit Garamantas & Indos.
Quàq; ortus veſperq; diem noctemq; ſalutant.
Nos laudes Domino dabimus, quas poſſumus, illi.

At tu

At tu has cantandi meritus non respue flammas,
Neu te hâc infantum celebrari voce sequaci
Pœniteat, pudeatq; altorum ô Maxime Diuûm.
Illius, ipse Deus, qui pendet ab vbere matrum,
Laude chori gaudet, quando is balba ora resoluit.
Nunc etiam volucres concentibus aëra mulcent,
Magna creatoris referentes carmine facta,
Proq; nouis grateis tunicis dant lilia campi
Læta Deo: arboribus famulæ stant vertice cristæ:
Semper odoriferæ Laurus & aquatica Myrtus.
Ecce autem hæ turres, atq; hæc dant mœnia plausus,
Lætitiâ incensum feriunt magnum æthera bombis.
Montibus occiduis dat sylua reciproca voceis,
Insuper hic totus reboat modulamine campus.
Quæ mora segnis vos habet Ciueis? ora quid vno
Fixa loco geritis, cur ardetisq; tuendo?
Quin potius, tellus quos fundit Dædala, floreis
Sternite; quos passim iam quilibet educat hortus
Spargite; sunt Veneris, sunt heic beneolentis Anethi,
Dulcis Amaracus, Hysopus, Casia atq; Cupressus.
Gratus odor Diis est, grata officiosa voluntas,
Ferte citi, Ciues: ex mille theatra paremus
Frondibus; olim istas habitârunt Dij quoq; frondeis.
Tu modò magnorum magno sate sanguine Diuûm,
Ingredere hanc etiam, penitùs quam pandimus vrbem,
Quamq; auus ille tuus magno decorauit honore,
Pro meritis olim, pro belli fortibus ausis.
Hospite sit licet hæc nec tanto Principe digna.
Cùm nihil hic altum, nil maiestate verendum.

Magna fides tamen est populi & constantia magna,
Debita Romanis ingens reuerentia sceptris.
Primus hic Vngarici locus est & ianua regni:
Ingredere hanc etiam penitus quam pandimus oram.
Huius corda adaperta tibi stant orbis, & vrbis.
Gratior hospite te reuerâ non fuit alter.
Ingredere Austriacum lumen, tibi limen ad vrbem
Hoc patet: hos, vbi gratus eris, succede penateis.
Semideo quis enim hospitium tectumq; negaret?
Simplicitas morum non te hæc offendat; inerteis
Cernis, at affectûs in te non cernis amoremq;.
O introspiceres latebras & pectora turbæ.
Mentibus in promptis studia officiosa videres.
Non oculis vnum lustras: tamen vna voluntas,
Vna parata tibi mens est, ac serua cupido. (ceps.
Ingredere hanc etiam portam, Illustrissime Prin-
Heîc manibus, si vis: heîc te portabimus vlnis.
Heus tubicen, solito magè iam taratantara clangat,
Cedite vos; venit, eia venit Dux, ecce, Quadrigis
Austriacis, pictâ circumcurrente iuuentâ.
Iunonem Austriacam thalami vitæq; futuram,
Consortem ducens tibi, Princeps inclyte septem
Castrorum, ac victrix cui Transyluania páret.
Iaziges ô nimiùm felices! ducit ab Austro
Ipse Heroïnam, felix qui præsidet orbi,
Septenâ quondam arce dedit cui Dacia nomen,
Cedat ei Venus, & formosæ filia Lædæ,
Turpiter absenti quam cùm Troianus adulter
Hospes Hero rapuisset, agros & nobile regnum

Perdi-

Perdidit, Iliacum in flammas cineresq; resoluit
Vnus opes Danaum Priamiq; Asiæq; doloreis.
Tu melius longinqua per arua, ô Maxmiliane,
Ducis ab Austriaco generatam sanguine sponsam,
Auxilium, Illustri quo septem Principe castra
Patre, forisq; domiq; ferant pergrata Tonanti
Coniugia, ex alto prognatos stemmate natos.
Mascula quos celebret virtus, & auitus in orbe
Fulgor, opis nec egenus eat, cùm res ita poscet,
Quam Deus & fati concordia firma ligauit.
Mygdonides socero socium sese addidit armis,
Et (quamuis aliter Diis visum) Graia vetabat
Agmina Cassandram vexare, ipsumq; Parentem,
Sæpè habuit Siculas pro fœdere Sparta puellas:
Sæpè remisit & hæc præstanti corpore natas
Munera perpetuumq; æterni robur amoris.
Tempus erit, cùm progenies hinc firma nepotum,
Transyluano habitu, cristisq; superbiat altis.
Vnus & alter in Austriacâ cùm luserit aulâ,
Hospes ad Infantem pariat tibi gaudia linguam.
Finge; quòd ambabus iam te hic amplectitur vlnis;
Hic Eques & baculo Geticos abiturus in hosteis
Militet; ex patriis ea bella penatibus ac Diis.
Ille sed oppositas iungat, socia agmina turbas,
Ille suas Aquilas gerat alter cornua Lunæ,
Bellica iura detis, legeisq; cohortibus: alter
Inflammet iuuenum cædeis, animasq; labanteis.
Stent circum angelico fulgentes more puellæ,
Quæ matrem referant, illustris dulcè pudoris

Exemplum, ac ſpeculum pietatis, imagine paruâ.
Cor pertentabunt iſta, ac tibi pectora tangent
Lætitiâ tandem, quin ipſe ſilentia rumpas,
Talibus: hinc paucis, pueri, labentibus annis,
Duxq; comesq; fui veſter per ſingula matri.
Præuius hâc noſtrâ de ſede profectus ad Hunnos:
Quando nullus adhuc, qui coràm luditis, auras
Vidit, vt arderet lecto ſociare iugali.
Hanc pater hanc noſtrâ Genitricē ab origine ductam,
Viuite, ſed generis memores: nomenq; decusq;
Pullulet hoc magni clariſsima lumina mundi
Adſis, te primum vultu complectar amico.
Tu mihi baſia des; tu dextram; tuq; ſiniſtram.
Maiores annis, quando hâc ſtatione locati.
Seria, pro patriis ſi forſan inibitis aruis,
Marte geratis inexhauſto: ſic nomen olymp.
Imperium, terris æquabitis: omen ab iſtis
Luſibus exoritur fatale: ſit exitus idem
Comprecor, Alcides robur, Sapientia neruos,
Ingenium Pallas, palmam Victoria donet;
Auſtriadum Deus Illuſtri quia ſanguine iunctis
Neu metas rerum poſuit, neu tempora regni.
At tu ſalue iterum, ſalue, Maxæmiliane,
Sis memor, ô patriis cur huc digreſſus ab aruis,
Tot cataphractorum latè ſtipatus aceruis,
Conſilij iuueneis inter Martisq; peritos,
Has Aquilis comples Dux atq; Leonibus Oras,
Parcere ſubiectis quorum pulcra ira, ſuperbos
Debellare ſolet, vindex crudelibus armis.

Finge,

Finge, tuos nunc ante cadat mœstißima vultûs
Fœmina, quæ supplex vlulet lanietq; capillos,
Quadrupedum humectent lacrumis & crura resoluant
Pulueribus, sine fine eius, crescentibus vndis.
Ex oculis, tepido labantur flumina cursu:
Fecit amor rapidum ceu quondam Biblida fontem,
Ter caput & palmas ea sidera tollat ad alta,
Squalida det gemitum: dein tales pectore voces:
Illa ego cunctarum quæ passa miserrima rerum,
Gratulor, illa tuam quæ exspectat anhela salutem,
Lux ô Austriadum! quòd in has te cœlitùs oras
Miseris: Ah videas, quæ mœstæ noctis imago
Me maneat; quæ me furiæ, quæ turbet Erinnys,
Ilias heîc mera me, compostaq; lerna malorum
Frangit, vt attollens vocem hæc tua numina poscam.
Vt potes, ô miserere mei, miserere ruentis.
Præsens exitium & certam licet omnia mortem
Intentent; precor, affer opem, potes; affer Achilles
Alter: inhumanos nisi tu prostraueris hosteis,
Ac nisi quod superest, duce Christo, viceris armis:
Nulla salus, nostro nulla est hoc orbe relicta
Spes: adeò extremos casura exantlo laboreis.
Ergò, velut rebus cœlestia numina in arctis
Aspiciunt oculis motum clementibus æquor,
Nauiget vt puppis Pelagi tranquilla per alta:
Sic tu sis, oro, placabilis: Aequora præsens
Hæc tumida & motos componas ordine fluctûs.
Rumpe, doma, vince, aduentu, concursibus, armis,
Crudeleis superis Turcas, Nomadasq; ferocis;

Concordeis in bella animas, Martemq; ligatum.
Causa dabit vireis, pietas cœlumq; triumphos.
Maximus at quoniam nobis ac tertius ille es,
AEmiliâ de gente trahis qui nomen auitum,
Ardua iamdudum quos vexit ad æthera virtus,
In patris proauiq; tui decus inclitum abibis.
Omen habet fatale, gerat quem insignibus aureum,
Austriacæ Phœnix domui quæ viuat ouetq;.
Illa sibi Pater & soboles rediuiua per igneis
Absq; toro generosa parens, incendia postquam
Fecit, in has rursus post seclum nascitur auras.
Hanc imitaris auem: bis quinquagesimus annus
Labitur hinc, primò postquam Romana dederunt
Sceptra illum auratum, pro quo iam fortis es, orbem,
Nominis huius & Austriaco, Maxæmiliano.
Hinc miles tulit in Scythicas trux arma cohorteis,
Aras atq; focos pro Christi nomine nostros
Defensurus: at egressum vix horruit hostis,
Terga fugæ nudans infamia; qualiter alta
Cùm Lupus arua tenet, se subtrahit ocyùs agna.
Tempus adest, reparet virtus Heroica cursum,
Ad pœnas vocet Harpyias, Geticosq; Tyrannos;
Qui Christũ abiurant, qui templa & fana prophanãt,
Quare agè, finge tuo quoq; te iam sanguine dignũ,
Omnia florebunt per secula: sceptra Quiritum
Romanasq; Aquilas, donec fulgore corusco
Sol cernet, donec fama, & prælustria facta
Relliquiæ Aeneadum, vel nobilis Austria viuet.
Austria magnorum genitrix & alumna virorum.

I: decus

I: decus Austriacum, nostri noua gloria secli.
I: refer innumeros pulcrâ cum laude triumphos.
Sis bonus atq; tuis felix & munera pacis
Aurea redde, precor, quem tot labentibus annis
Martia per Geticos turbauit Erinnys Achiuos.
Pax Istrum faueat regem, famulumq; Tibiscum.
Vt Sauus atq; Drauus voluant tranquilla colonis
Ostia, & hospitio excipiant, quas aduena merceis
Aut Italus feret, aut septem deuecta Trione,
Nunc vbi Teutonicas industria parturit vrbeis.
Pace Deoq; diuq; vigens Ecclesia crescat.
Iam video, exundans Ister tot corpora voluit
Cæsa, quot & magnas dubito numerasse Mycenas,
Ante tuos, ô Troia, oculos cùm bella fuissent.
Clamet Iô, dudum vinclis constricta iuuentus.
Clamet ametq; frequenter Iô, turba imbribus ora
Humida quæ lacrumis auxit, velut amne, Tibiscum.
Sic ipse Imperium, tibi sic Deus augeat annos.
Sic tibi deuotè supplex Thrax maximus olim
Cedat, & Euximus pede flexo pronus adoret.
Sic Asiam & septem transcendas ostia Nili:
Diuisumq; regas orbem cum Fratre: triumphos
Post mundi, donec tandem supero axe locatus,
Pro meritis roseas gestes, sine fine, coronas,
Romulidisq; tuas videas velut astra micantes.
Heic fandi Hungariæ finis; tremefecit Olympum
Quùm grauis interea fragor, ac incensa nitri vis,
Lætitiæ nota, bombardas explodere mandat
Horrida sulphureos per signa papaueris igneis

Ingreditur Princeps, cita quem circumdare pubes.
Certat & exercet sua lumina sæpè tuendo.
Autumat esse Deum, mentitaq; numinis ora.
Donec in hospitio Dux linquat epiphia fessa.

In festo D. Michaëlis, exercitus cœlestis Archiducis.

RVrsus in Harpyias pugnat Iouis armiger ales,
Vt sibi commissas Rex tueatur aues.
Quem tellusq; polusq; tremunt, fortißime Princeps,
Cui porrò alituum militat ordo Duci:
O Michaël Dux, aligeras largire phalangeis,
Quæ Regi fortes auxilientur Aui.
Anno Aquilam hoc nostram si exungulat illa Celæno;
Thrax heu Romanas vultus habet volucreis.
Tu prohibe æthereo cœlestibus agmine turmis,
Ne nos in miseros Turcica rostra ruant.

AVREVM VELLVS ILLVSTRISSIMO ET CORdatißimo Principi ac Domino D. SIGISMVNDO BATHORI, Transylvaniæ & Romani Imperij Principi datum.

QValis erat quondam vindex Dux Thessalus armis,
Phryxæa dignus vellere miles ouis.

Quando

Quando tot Ionium Princeps heroas ad æquor
Duceret ac vindex Colchidos vrbe foret.
Bathorea talem se stirpe creatus in oris
Hisce, Sigismundus, Marte fauente, gerit.
Pro socero clarus fera prælia fecit Iason,
Inclita cum sociis dans monumenta suis.
Aequat eum prorsus, cui Transiluania páret,
Qui nostram gestis fortibus implet humum.
Spreuit enim rigido bellacem pectore Turcam,
Dilectæ asseruit Principis inde domum.
Cæsarea de stirpe trahit genus illius vxor,
Propter eam nostri Cæsaris arma gerit.
Aesonides annis florentibus acer alumnus,
Vt iuuenis, senibus causa timoris erat.
Bathorides etiam sat grandem ætate Sinanem
Terruit, vt profugus turpia terga daret.
Ille sui fuerat ceu Martis adeptus honoreis,
Rettulit æternæ posteritatis opes.
Iste Iasonidæ titulos à Cæsare grato
Accepit meritos, scitaq; plura Ducis.
Immò suos inter Diuos scripsêre Quirites,
Principis & nomen dulce dedêre sui.
Vtere Bathorei clarissime sanguinis Heros,
Vtere, quando fauent Numina, sorte tuâ.
Cresce decus mundi; cunctas tua gloria metas
Exeat; haud terras, astra requirit Honos.

AD

Mecœnatem meum.

GENEROSVM ET ÆRE *antiquo virtuteq; nobilis.* D. CHRISTOPHORVM DARholcz, *de Fynthâ, &c.*

SI pendere velis narrantis ab ore, Darholcí,
Lux hesterna mihi protulit hocce nouum.
Transiuêre decem nostram vexilla per vrbem,
Pars vecti potior militis ægra fuit.
Pars vestita parum præ frigore dente fremebat:
Pars tantum furtis ibat onusta suis.
Essedâ pars mollis; pars rustica plaustra premebat:
Pars frangebat equos ebria tota suos.
Pars non bellatum, sed scortatum ire, sequaci
Ponè meretricum turbine, visa fuit.
Cur sua purgamenta solo Germania nostro
Misit? eget isthæc fortibus ora viris.
Visne ego, Mecœnas, rursùm ominer? ista peribit
Pars hornâ natis arbore læsa globis.
Ore geret bellum cum prunis; occidet illinc
Pars: heic Mortis; ibi prælia Martis erunt.

Ioanni Thoraconymo.

EGREGIO, ORNATISSIMO, *& Cordatißimo Iuueni Teuffenbachiano.*

Dixe-

DIxeram ego nuper, fieri quòd miles & arma
Ferrea thoraci fortè ligare velim.
Est quidam nebulo, nauciq; vir, ille profanus
Me leuitatis ob id crimine scurra notat.
Clamitat esse nefas, doctum, vatemq; Magistrumq;,
In fera militiæ castra parare viam.
Immò grauis cupio esse sago: cataphracta quòd armis
Concio thoracem ferrea tota suum est.
Heros ipse tuus, cui facta Licentia Iuris
Quondam, aut Marte leuis, si grauis arte vir est.
Iane tuum thoraca grauem nusquam exsue: curant
Musica castra leues, Martia castra graues.

Cometa

Anno M. D. XCV. in Hungaria conspectus.

QVæ fax æthereo noua rursus in axe coruscat?
Vera Mathematici quis mihi lege canet?
Terreor: infelix est crine minace Cometes:
Heu! notat hæ nostris tristia lampas agris.
Horrida Pannonicis cladeis annuntiat oris,
Nec roseo frustra sanguine flamma rubet.
Hoc impunè iubar non cernimus; ante potestas
Nota sat est, parilis cùm fuit igne Polus.
Audio concursûs turmarum: arma audio: Turcas
Audio clamoreis tollere ad astra graueis.
Percipe, quisquis ades, miserandos percipe questûs;
Eiulat & variis planctibus ora vacat.
Barbarus Hungaricas Thrax obsidet, accipit arceis;

Crescit

Crescit vbiq; metus, crescit vbiq; dolor.
Aspice, falcato quàm fulminet ense Tyrannus:
Aspice, quàm ferro demetat omne genus.
Hem! pueros necat innocuos castasq; puellas;
Hem! furit in tremulos bestia cruda seneis.
Ah! quoq; materno raptatur ab vbere blandus
Pusio, neu grauidas negligit vrsa nurus.
Terra, videsne? videsne tuos, ô Pannonis, hosteis?
Cernis & hæc spernis ferrea corde tamen.
Natio praua veni; te postulat ira Tonantis,
Præmonet interitus, patria, more tuos.
Audi; si quid adhuc pietas tibi! si quid honestas:
Tollito, vel certâ parte leuato malum.
Parce tuis: ritum doceo; ne crimina patra:
Desine peccati: corrige crura, manûs.
Cor doleat: benè mos oleat: vox astra fatiget:
Pura sit, obscœnis mens careatq; suis.
Quòdq; facis, bellum gere mascula: crede triumphos
In superi dextrâ solius esse Dei.
Non virtus hominum, quamuis operosa, Tyrannos
Frangit; id est Regis cunctipotentis opus.
Si non legitimè victricibus veteris armis,
Sors iterum Turcis læta trophæa fauet.
Ecce venit propiùs, dominamq; pererrat ad arcem:
Heu Agriæ forsan stella minatur atrox.

Prælium

Prælium cœleste,
PRO FESTO D. MICHAëlis Epperießini solemniter,
AGRIA à Turcis OBSESSA, pronuntiatum.

Posthàc bella canam, quæ forteis Turcus in Hunnos,
In Turcos Hunni duce iam Maxæmiliano
Grande gerunt: superet quod Transyluanus Achilles.
Quàm multum ille ausus iuuenili in corpore miles,
Gloria Battoridum! quòd Teuffenbachius heros
Marte potens arceis his rursum adiecerit oris.
Nostra Getis cur se modò sentiat Agria cingi?
Iam cæsum toties, genus vnde volatile crescat
Tartarus, & socias animet magno agmine Lunas?
Iam mihi carmen erit bellum cœleste, quod olim
Dux Michaël pro gente suâ cum Dæmone geßit.
Quodq; negant omnes Epicuri de grege porci,
Fabula queis mendax & habetur nænia, quidquid
Seu canitur de plebe sacrâ felicis Olympi
Alituum genere, æthereâ de stirpe Ministris
Cœlicolum; seu nubivago de regnatore, (ptum;
Monstro, immundo, atro, hoste Dei, cui lumen adem-
Quos putet esse iocos, gerras risusq; prophanos,
Qui volet; heîc iuuenes flammatos, agmina cœli,
Dein aliquid stygios esse, horrida atagmina, fratres
Dicere velle meum est: mihi Christe ô, suffice vireis.
Ne quod difficile est, sale sed vel pane necessum
Plus, sine fruge citò occidat & vanescat in auras.

Te ſine nil felix, ſine te nihil vtile virtus
Noſtra poteſt; labor eſt & inextricabilis error.
Chriſte iuua, fiet te quidlibet auſpice felix.
Principio Deus ex nihilo quùm voce creaſſet
Omnipotens hanc tellurem cœlosq; profundos,
Cærula quicquid habet maris vnda, & ſtridulus aër:
Ecce Deus, Deus ipſe ſibi famulantia fecit
Agmina, cœleſteis pueros, proceresq; beatos.
Regis vt exemplo famulos & haberet Olympo,
Ciues ipſe ſuos, magnum per mane canentes
Grata Deo, Cytharas ſtringendo plectime dulceis.
Pars ſtaret vultûs ante officioſa Iehouæ,
Proq; ſuâ noſtrâq; ſimul longo ordine grates
Diceret æternùm ſuper aſtra ſalute creatori
Ipſiq;, Chriſtoq;, ſacræq; flaminis auræ.
Omnia lucis erant niuea: nec cernere turmas
Poſſe oculis omnes ſat erat, fulgore micantes.
Vidiſſes numerum: numerus ſuperabat ariſtas
Autumni, & noſtri quæ vineæ grana racemis
Fert bonitate ſoli, vel quod comprendere non eſt
Eloquio: tot ibi, tot ſtabant ordine luces.
Quæ non perlegeres oculis legata volabant
Agmina, perq; vices alij mandata per auras
Iam reduces feliciter expediiſſe canebant.
Dulce opus æternùm dextrâ aurea ſceptra tenenti.
Ecce hic deſierat mulcere ſuauibus auras
Carminibus, duce Luciſero, (nam Luciſero vni
Nomen erat) Dominiq; à maieſtate recedens
Furtim certa cohors pendebat ab ore loquentis.

Ille oratoris partes agit, ora resoluit
Talibus: Heus socij consortes mille laborum,
Credo, vos etiam non parua molestia frangit,
Conditio quos dura premit, sine fine tribunal
Ante; heu Elysius cur nos discriminat axis?
O miseros! cur non manus, inquit, libera terras
Hæc humileis colit & mortalia sceptra gubernat.
Nullus honos nobis: nos flexo poplite nemo
Suspicit, & coràm nemo nos pronus adorat.
Factus homo est, vt quæ magnum sunt nata per orbem
Obsequium illius præstent aut singula nutu;
Seu tellurem amplam, spaciosa aut æquora cernas.
Ergò mouet si quem tantarum gloria rerum,
Aurea libertas Marte acquiratur &, armis
Excußisse iugum præstat, quàm viuere sceptris
Sub miseris; tentanda via est, excindere ferro
Seruitium licet; ô socij mens vna furoris
Esto modò vobis, communi quærere fato
Sortem haud pœniteat meliorem & gaudia semper
Victura; ante ipsum regem qui sede superbit
Aetherea, cœlo iuuat exturbasse, potestas
Ne soli inuicto tanto discrimine vires
Conciliet: validas in viscera vertite vires.
Ipsius infensis animis crudeliter iras
Sic nos cœlicolæ supera alta tenebimus omnes.
Nullus erit totis alio iactantior astris.
Omnibus vna salus pariter, decus omnibus idem.
Bella nec inuicto nos stulta parabimus, arma
Sunt nobis, animis vel Numen quilibet æquat.

Vix ea: miſceri iam magno murmure cœlum.
Sicut apes æſtate noua cùm examina ducunt,
Et ſtrepitu roſtrisq; nimis latè aëra complent.
Concio tota ducem ſequitur, ſtridentibus alis
Non citius muſſat, quàm ſede ſilentia mandet
Rex ipſe arboreâ poſitus, de more verendus.
Scinditur interea & totum ſua lumina vulgus
Mox adit, arma parat pro libertate gerendâ.
Pars melior, pars fida Deo, diuortia ſenſit.
Hic etiam Michaël, ſubitâ coëunte virûm vi,
Solatur dictis ſocios, & pectora firmat,
Sicq; ſuis: dilectorum clariſsima fratrum
Lumina, quæ tanto Deus eſt dignatus honore,
Vt cùm cuncta humileis teneant animalia terras,
Regia vos cœli, vos aula beata recepit,
Luce ſacros vultûs maieſtatemq; verendam
Cernere poſſe dedit, florentia regna tueri
Huius & æternùm ſuperi commercia cœli
Vſurpare; ô felices! ſi talia noſtis.
Non eſt ergò locum demus crudelibus auſis.
Vſq; miniſterio tàm ſancto hîc eſſe fideles
Fasq; piumq; iubent; linguam ad mendacia ſoluit
Lucifer, ambitione tumens, malus, inuidus, Orco
Mox damnandus, ad infernas, nî pareat, vndas
Præcipitandus ab æthereo, miſer, exul Olympo.
Et qui Luciferi gaudebat nomine, nigris
A tenebris piceaq; geret caligine nomen.
Quòd ſine fronte, pudore ſine hæc committere tentat.
Nec mora, ſi nondum parilis dementia cœpit;

Arma

Arma armis opponamus iustißima, sumptis
Turpiter; ambitio nunquam felicia geßit
Bella leuis; solet innumeros pia vincere caussa.
His ita firmati dictis heroa sequuntur
Millia multa ducem, pariter fortißima bello
Pectora; se pugnæ aptant, is fera tela pharetris
Colligit, ille enses lateri addit, cingere ferro
Sese tota phalanx ardet; versatur olympus;
Paulatimq; coit miles, quà claßica poscunt.
Nec requies habet vlla Virum, qui primus in hostem
Hortatus reliquos, quos mens benè sana tenebat.
Iamq; suos & se benè colligit agmen vtrumq;.
Diſponunt acies, & in aures mittitur ira
Voce Ducum, gliscat certamen & omnia præsens
Miles agat, siue insidiis, seu fiat aperto
Marte; alacres adeant, nec tanta pericula curent.
His ita ductures laxabant pectora verbis,
Queis innexa armis incedit læta iuuentus;
Mox tuba terrificis frangit terroribus auras;
Feruet opus, faciunt rapidos dura æra fragoreis.
Principio leuibus pugnatur vtrinq; sagittis.
Lucifer at frustrà iaculatur, & omnia perdit
Tela; ea vel nimis alta volant, aut ære resultant
Fracta è duro, stramineos imitantia culmos.
Irrita sed nunquam Michaëlis dextra per arcûs
Tenditur, in fixo pulmone tepescit arundo.
Et quoties iaculat, toties præcordia tangit.
Oppositumq; ferit caput, harmoniamq; cerebri
Dißipat. O miseros! aliquis læsa inguina clamans

Proiicit, & Galeam & prostratus summa loquendo
Dulcem animam exhalat, reliquos metus acer agebat.
Postquam omnem viduant illi, sine fruge, pharetram.
Vaginâ exemtum diuerberat aëra ferrum,
Stomilus & Scyptrops Regiusq; Giasq; labantes,
Auxilio frustrà exstimulant, retinere Magistri
Exanimes nequeunt verbis. nec verbere pugnam
Promouet ante alios immanior ipse furore
Lucifer; hinc illinc spes aufugit, omnia languent
Consilia. Hic Michaël: Iuuenes, fortissima corda
Sperate, & quoniam sors hæc tam læta resurgit:
Tax, tax, ense citi fessos, stupefactaq; corda
Cedite; state modò, melior fortuna sequetur.
Otia tum rumpunt omnes & protenus ense,
Lanigeras vt oues mactant, & sanguine multo
Mille viros letho dedunt, animasq; superbas
Eripiunt cum victa ferocia cæde malorum,
Colluuies precibus votisq; exposcere pacem
Incipiunt, dant herbam & victos esse fatentur.
Sæpè tamen clypeos rursùm accepisse iacentes
Dux iubet; eia agite, inquit, & ô præcordia virtus
Excitet, arte viri, arte nouâ citò vincite; vires
Promitto, auxilio en rursùm adsunt mille phalanges.
Non sors, sed desunt animi, quin immò sequace
Sorte viri superate, viri. Mars omnibus idem.
Nec minùs hæc Michaël nunc hos nunc præterit illos
In flammas vltrò felici Marte ruentes
Suscitat, officij memores causæq; supremam
Vt superent aciem, nec enim iam stringere contra

Ferrum

Ferrum exangue queat, nec tantam vincere molem.
Quos ita quando acuit verbis, in pectore flammas
Quisq; fouet, mouet extremas in prælia laudes.
Ense Demas, Proylisq; bonus Protinuq; tot inter
Funera cæsorum exsiliunt, fugientia prendunt
Agmina; sed iam mille viris vir sufficit vnus.
Non ita diffugiunt lepores, aut cornua cerui
Tergore posta gerunt celeri comitante molosso,
Cæca per arma ruunt, ipsi ac hastilia viua
Induti, hærent nec vestigia iam legisse,
Nec iuuat vlterius cursu aèra findere sudo.
Quid faciam? accepto iam vulnere Lucifer insit.
An supplex lacrymis poscam hostis vt exsuat istam
Mentem? & det veniam victo, & cum sanguine vitam
Donet: at haud ita seruitio me exire licebit.
Me pede mancipium feriet, vitare charybdim
Dum volo, fòrs Scyllam incidam; at ista rebellia bella
Me perdent, quia nemo meorum euerberat enses;
Nemo habitûs fortes: nemo arma habet integra; &
Vrgeor immodicè. at Leo sim, licet ipsa caterua (ipse
Terga fugæ nudet. Dux Masculus agmine plus est;
Sic secum: exsurgit cor tale voce nouatum,
Cedit inops animis magis & magis agmen; at arcem
Cœlestem interea reserat iam Ianitor acer,
Qua pars cæsa iacent, pars vix sua inertia passim
Corda mouent. Pacem exposcunt prece diuite frustrà.
Ecce hîc hostilem ad cumulum se pandit Olympus.
Præcipites galeasq; virosq; voragine hianti,
Seq; videt sceleris cœlo dux trudier alto.

Nec mora, is infernas miserè delapsus ad vndas
Lucifugas citò mutato iam Lucifer oras
Nomine adit nouus incola trux Acherontis opaci
Princeps cum sociis sæuai dirus aquai.
Victor ouat Michaël lætus; caua buccina paßim
Dulcè canit, noua lætitiæ sunt signa relictis. (phe!
Eia triumphe, triumphe, triumphe, triumphe, trium-
Vnâ voce Deo ingeminant Iouamq; salutant
Agmina, concilium faciant, se firma profeßi
Pòst fore perpetuò: adglomerat se quilibet ante
Victorem Michaëlem! alacres ad munia tendunt
Prisca omnes: capit ille vrnas & nectare complet
Prædulci pateras, Michaëli pocla ministrat.
Is positis facit ambrosiâ conuiuia mensis.
Certatim officium faciunt sine fine ministri.
Tota poli resonat facies & laudibus amplis
Ritè Deo grates diuino ex ore canuntur.
Cerbereæ ille domus nouus incola, & hospes in oris
Tartareis, iam Luciper horridus, acer, adustus,
Excideret tantis sociis cùm mille quod ausis
Corde dolos versat, ne præcipitatus ab alto
Se frustrà doleat nec inanis secla vagetur
Omnia; regnum habeat, dominus princepsq; verendus
Voce salutetur! formidine compleat omneis
Trux hominum sedes! opera omnia fecerit autor
Quæ Deus, impediat, secum in nigra Tartara ducat.
Quæ poßit, Stygias, Cocytia regna, paludes.
Vincere cùm nequeat superos, nec adire penates
Amplius æthereos liceat, domicilia restent

Vasta vago sola iuncta salo, nebulosus & aër.
Esse nocendum aliquà tandem, si non datur vltrà.
Vulneris hæc memor antiqui dum corde volutat:
Ore cruentato fremit horridus, ignea fauce
Tela vomit magno cum murmure; prodit ab antro
Eumenidum sociis stipatus tristibus irâ.
Bella iterum cum gente Dei namq; esse gerenda
Dicit, & his illos compellat vocibus ante:
O passi haud turpem mecum sed sorte repulsam,
Prælia dum tento noua, dumq; resarcio damnum
Fortibus & maculas animis rursum eluo tantas:
Arma virosq; manûs renouantem pectore fortes
Diuinas vt opes sternam, nostriq; labores
Hostis præcipitem, mecum carissima rerum
Agmina per varios casus variosq; labores
Ire iuuet, diuûm quos inclementia versat.
Ipse mei faciam primò præludia Martis.
Est locus Eoas horto genialis ad oras,
Egregio rapidus quem flumine Tigris oberrat,
Et cuius rigat arua Phison gratissimus vndis!
Diuini haud fallax ibi sese autoris imago
Iactat, ad immortale decus quem seruat honoriq;
Aeterno Deus ipse! sed hos an gestet honores,
Et Paradisiacos homo, fas est, incolat hortos?
Non faciam: caput hoc iuro; per numina testor.
Arte dolisq; meos faciam, quos fecerat axis
Astrifer antè suos, & libertate beâret.
Magnum habet aduersis socium solatia crimen,
Quippe vbi præscriptas cœlo trascendere metas

Me suasore animo fragili mens suaserit Adæ
Deuia, prole suâ priuari senserit arbor
Interdicta, necis damnabitur ipse suiq;
Nati natorum, quos vnquam postera tandem
Secla ferent, nobis regnum post fata futuri.
Sceptra tamen, victi victricia sceptra geremus.
Hæc vbi satus; adit loca quæ lustrabat Adamus
Delitias Domini, consertas ordine plantas.
Et tum sermones iisdem de rebus habebat
Coniuge cum dulci vir primus, & ordine magni
Costæ insertabat mandata parentis; vt arbos
Lethifera haud impunè queat temerarier, etsi
Plus reliquis capiat, moueatq; aut visa saliuam.
Et mouet hoc animo, perituros luce sinistrâ,
Quà carpant, & dente secent tàm nobile pomum.
Heu fatale malum, queritur mas, pensile malum!
Hîc ita perstabat memorans, & ab ore loquentis
Fœmina pendebat fixa, ardescitq; tuendo.
Lucifer his socium sese addit, & hæret in illâ
Arbore, sed specie vultuq; similimus angui
Formoso, & vocem simulans sic ore trucidat,
Insociæ voces Adam quæ miserat aures:
O non sic animæ dulces! lita fraude parentis
Ora, ter hac dulci ter ab arbore numine fœtâ
Vos abigant. melius doceo: est innoxia tactu
Arbor, & augustas prohibet, mihi credite, dotes.
Aeternæ domus est lucis, sapientiæ origo.
Perpetuumq; comesta decus feliciter affert.
Hîc vitam inuenietis, & hîc verè esse beatos

Vos fore prædico: celerem vos addite dextram.
Nunquam hodie & illud, si carpitis: vt carpendo
Pro facto maneat vos inclementia lethi.
Vix ita fatus: habet cùm spesq; metusq; flagranteis;
Est dubium, an parére velint: an temnere dicta.
Sed mulier dudum ardebat persuasa loquenti
Ore secare cibos, fatales prendere ramos.
Prima manûs addit, duo demit, & arbore missâ
Partem auellit, &, ô vix, dulces accipe fructûs.
Ergò, ait, experiar num hodie moriemur, Adamus!
Diuidit extemplò dente & iam viscera tangit
Mali infelicis: nec enim satis ossa carebant
Carne ambesâ, vbi se nudum conspexit, & Euam,
Extimuit: simul illa locos celare pudendos
Incipit, & manibus turpeis excæcat amores.
Heu pauidi trepidare metu, sibi quærere mortem.
Contra ille, effectâ benè re, se lætus agebat
Hinc, & lô sociis fugiens, iam vicimus, inquit.
Vicimus, & vincemus humi, si vincere cœlo
Non licuit, nec nos quoq; sic maneamus inulti.
Nec tanto rerum cessabo cardine, fraudes
Stat struxisse nouas; sunt cautis mille meatus
Vulpibus: ingenium validis plus efficit armis.
Quid moror? excidium humanum mihi vita decusq;.
Duleia Adam thalami duo nutrit pignora natos.
Alter vt alterius se sanguine polluat ora
Ante Patris, faciam, lacrymas & funera matri.
Dixerat: at sacra Abel de more parabat in agris
Primitiasq; Deo frugum sacrasse nouarum

Germano iunctos ſtructas Caimus ad aras
Ardebat! ſed vbi cœleſtis flamma voraret
Abeli ſacris poſitos ab ouilibus agnos,
Aſt illum tanto non dignaretur honore
Flamma, haud vllus edax ſic ignis ab æthere lapſus,
Lanigeras abſumeret, vt fraterna, bidentes.
Mox ideò Stygio Germanus percitus Oeſtro,
In furias & in arma ruit, poſcente Dracone,
Incautum & miſerum telo interſecit Abelum.
Quo ſcelere impulſum poſt cædem & fata dolentem
Fruſtrà heu infernas ſecum deduxit ad vndas,
Quà primis gaudet ſpoliis & tortor auarus
Dat lacerare aliis mamœnæ ſortis alumnis.
Vt genus interea totum mortale per orbem
Creuerat, vnde ſuos promiſſo ſemine Olympus
Quondam delicias & haberent aurea multos
Tecta poli ciues, quam tandem hoc orbe receptis
Terra diu ſedes eſſet. velut hoſpita; ſanctè
Tranſigerent æuum, quod facta benigna dediſſet.
Nî faceret, animis quoq; ſint cœleſtibus iræ,
Sit Styx illætabilis & rex dirus Auerni,
Pollutas animas qui torreat igne perenni.
Hoc Draco cùm ſciret, iam tum tenditq; ruitq;:
Ne pietas quem, ne quem virtus ducat ad aſtra.
Sed ſcelerum facies tot ſint, quot in orbe figuræ.
Hîc agitat trux concordes in prælia fratres,
More Tyrannorum vt furiant feriantq; flagellis.
Hîc facibus ſaxisq; petant, ſibi viſcera rumpant.
Corda habeant variis pro facto obnoxia pœnis.

Diues

Diues inopsq; simul non vno crimine flagrent.
Ad ducis exemplum scelera omnia quilibet addat
Flagitiis. donec fatalibus eluat vndis
Mortales tellus quoscumq; tulisset, & arcam
Nohæ extra Domini quos subruit ora procellis,
Adderet Satanæ sociis regni incrementum.
Hîc petiisse iubet Cœlestia regna Gygantes,
Centaurosq; feros molem struxisse superbam,
Quà Babylonis adhuc stant altæ mœnia fracta.
Quid loquar vt Patre cum sancto certauit Abramo,
Cùm raperet fratrem Lothum, & pia pignora Lothi,
Coniugium, dulcem Gazam, longosq; labores.
Fumat adhuc Sodomæ, quam sulphuris igne perussit
Incestus, fœdi polluta cubilia lecti
Ille execrandus fornix, & turpe lupanar.
Tetra Gomorrha iacet parili disperdita fato.
Quà pater altitonans vltricibus omnia flammis
Perdidit, & Stygium pòst fulmine adegit ad Orcum.
An rapuisse nurûs fas est! an iungere lecto
Germanas lateri & dulces habuisse sorores?
An cum prole sua concumbere? tendere natæ
Retia fas? ruptum temerare cubile mariti:
Ah nihil hîc memoro, quàm fraude ac arte malignâ
Trux colaber miseras deduxit in auia mentes,
Concio ne qua foret quæ sacra statuta Iehouæ
Atq; Dei natum coleret, sic flexile Numen
Vt quondam per eum mortalia corda bearet.
Namq; videbat vti, cœli quos ardor habebat,
Perpetuo gemitu & lacrymis sua fata dolerent,

Iustitiæ solem veniam pro labe rogarent.
Solueret is, quod homo nullus reparare, nec vllus
Angelus, ira Dei cessaret gratia mundum
Prisca foueret, & æthereo donaret Olympo.
Turpis auaritiæ gens turpis dedita luxuî,
Nil stomachum præter curat nil ilia præter.
Humanas mentes intra peccatur & extra.
Pauca loquor, nec plura loqui lux ista loquentem
Me sineret, mala quot quondam sint nata per illud
Monstrum, horrendum, atrum imo ortum Orco, auido,
(atq; Erebo actum
Iam ferus innumeris grassatur in aêre turmis,
Diuitias hominum nigro sata turbine frangit,
Spes miseris omnes per agros perq; arua colonis
Eripit, arboribus radices rumpit ab imo,
Arte domos sternit longoq; labore paratas.
Tecta solo malè præcipitat, mox arietat ædes
Iam iam casuras vt quis putet; imbribus exit
In campos magno latè crescentibus vndis.
Aemula diluuij rapiunt iam flumina quicquid
Contingunt. miserè infantes cunabula mersant.
Arboribus pendent summis (miserabile visu)
Hic annexa boum, nec cornua soluit arator.
Iam placet iniectis vrbes exurere flammis,
Et quæ longa dies, quæ secula mille parârant
Omnia Vulcano longè spectantibus vrbis
Ciuibus exitio dare: iam prosternere peste:
Iam viduare suis magna oppida & arua colonis,
Iam vexare graui miserorum corpora morbo,
Tetq; lues paßim tristes tot scribere Mortes.

Iam ieiuna fames stomachum sedare latrantem
Non finit, & steriles coqua plorat mœsta culinas,
Ossa quis in vacuis numerare, & viscera posset,
Cernere, triste hominum, venturæ mortis alumna.
Iam, quod ego potiùs taceam, bella, horrida bella
Suscitat, insignis ne pace Ecclesia crescat,
Crescat & in Domini se laudes tota resoluat.
Testis Hiobus erit, quamuis complexus amore
Insigni & pietate Deum; quem scripsit in albo
Dulcis amicitiæ Pater omnipotentis Olympi.
Quos non ille dolos Sathanæ, quos ille furores
Non tulit! ipse suis benè stando ridiculus vir.
Hoste repentino totum cùm vapulet agmen
Ipsius, inq; manûs bello pecus omne scelestûm
Diuitiæ veniunt: tempestas horrida tectum
Dissipat, & natos natasq; repenta ruinâ
Sustulit exsutos vitâ, currentibus vndis
Sanguine de patrio; Patrio de sanguine nati.
Quæ quondam Isacidum fuerint, quæ fata requiris,
Iura viris legesq; dedit quo tempore Moses,
Heu! lacrymis sine nemo potest perstringere multis.
Nam quoties Solymas Bellona exiuit ad arces
Exstimulare viros in prælia & arma Tyrannos
Impia qui gladiis sæuirent, culmine sanctam
Vt ruere vrbem vidisset nisi mortis imago
Se scelerata locis iactaret in omnibus intra
Mœnia, post expugnatos miserabile vulgus.
Cederet haud precibus furor exsecrabilis vlli.
Heu! quoties pecudum de more, coegit ab vrbe

Millia

Millia multa virûm peregrinas visere terras
Hostis atrox, furiis cui non mutabile pectus.
Qualis erat Pharao, captos qui dura coëgit
Ferre iuga, atq; modis mirè vexauit amaris.
Quid loquor (ah!) veteres casûs? quid inhæreo
His oculis his tot quæ iam labentibus annis (priscis?
Cernimus? heu nimiùm nostris, quantum ille pericli
Afferet; heu quantum vel in hâc regione dolorem
Suscitet! & si quando Satan genus omne malorum,
Hem Furias omneis hoc secum tempore duxit.
Vngaricæ quod opes, quod lamentabile regnum
Edocet, amissis tot iam vrbibus, arcibus, aruis.
Ah vbi nunc Buda, Germano contermina Præsto?
Nobile laurinum? quo tota superbiit olim
Europa, & scutum contra trucem acynacis iram
Credidit esse suum summamq; caputq; salutis
Quale fuit nobis laurino fortior ipso
Agria; nec lacrymas mecum teneatis amici:
Agria nostra fuit, si nos nostram esse putamus.
Nostra tamen potes esse diu, potes Agria nostra
Esse, Dei natus Michaël si bella vicißim
Pro nobis gerat omnipotens; gere bella Michaël!
Te duce nil Turcæ, socia agmina, nulla pauemus
Arma. mouet vetus arma Draco, sua surgere regna
Vt faciat. Michaël Michaël fortißime pugna.
Causa tua est Michaël, tua gloria. bella meremur
Impietate quidem nostrâ, vel plura meremur.
Ast tu, noster enim frater, nec desere fratres.
Pro nobis pugna Michaël charißime frater.

Pro nobis pugna Michaël dulcißime frater.
Pro nobis pugna Michaël iuſtißime frater.
Pro nobis pugna Michaël fortißime frater.
Pro nobis pugna Michaël ô maxime frater.
Pro nobis pugna, pugna inuictißime frater.
Pro nobis pugna, pugna mitißime frater.
Pro nobis pugna, Michaël homo diue, ſuperbus
Hoſtis vt in ſancto pereat quoq; monte, ſuperbus
Ceu cecidit cœlo quondam deiectus ab alto
Lucifer. ô pugna Michaël dulcißime Ieſu.
Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt.

Dulce bellum inexpertis.

Bella animant multos, quòd inexplorata ſit illis
Conditio Martis, durus & ordo ſagi.
Ferre famem atq; ſitim: ſub dio ſtertere; Brumam
Et Solem in caſtris qui tulit; arma fugit.

Precatiuncula
AD DEVM,
Per puerum recitata, poſt ſtragem
AGRIACAM.

CAre Pater, ne, quæſo, tuos ne deſere natos,
Ne deſerta cadant, nomen honosq; tuus:
Iure quidem Genitor nos optimo iure flagellas,
Excedit ſcuticæ virgula multa modum.
Supplicium non eſt delicto maius, & ipſi
Cum patribus noſtris nil niſi culpa ſumus.

Sed tu nostrorum puni de more parentum;
Oscula si virgæ figimus, ira iacet.
Blandule parce Pater; mellite & amandule, parce,
Aureole, ô miseris parce, Pater, miseris.
Scis, Pater Abba, grauis quondam non accipit ætas.
Sæpè ferunt blandâ quod prece filioli.

IN AGRIAE NOMEN.

AGria pro nobis quùm gesserit acria bella,
Nos contra posthac ἄγρια bella geret.

ADAMO KVNISCHIO TYROPOL: pietate & eruditione ornatissimo viro.

KVNISCHI rediit nouus rotundo
Annus tramite; nunquid Hungarorum
Pax solo rediit? vel illa gentis
Robur Hunniacæ, Agria & triennis
Iaurinum Austriciacas dolor per oras?
Ah ah non rediit modò, nec vnquam
(O heic mentiar omnibus) redibit.
Sed vox Hiltenij biennio post
(O heic mentiar omnibus) Prophetis
Addet Teutonis Ausonisq; tractus
Triumphanda Getis; nisi reuersa
Rursum ad nos fuerint priùs, fugamus
Quæ nos cottidiè calentiùs, ceu
Sunt, Fas atq; Piùm, iacens Honestum:
Temperentia; Castitas; Fidesq;.

Tu tamen, cor amicum, & optimorum,
Kunischi, *optime, versibus labora*
Ad cunabula, Pusionis olim
Dei, mitificare Patris iram.
Vt possis, voueo Puer Puellæ
Hunc annum tibi sospitet recentem.

Egregio & optimo Viro.
D. STEPHANO PEREGIO, &c.

Mitiùs has iterum teres anni circulus oras
Ambiet Hungaricum sole recente solum.
Quid, pro more, tibi precer, ô Stephane, ergò caleno
Hisce nouis, nisi, te seruet vt ille puer? (dis
Quo nisi Seruatore Deus iam desinet iræ,
Non vir, sed iuuenis, sed puer esse velis.
Christe Patris grauis orator! da circulus anni
Ambiat heic felix me Stephanumqúe meum.
Da, si bella geri vis, nostrum bella coronent
Serta caput; Stephani vel malè Thraces erunt.

Pro CASTRIS TEMPE-rantiæ.

VIRTVTE DVCE.
COMITE CRVCE.
PEDISSEQVA VICTORIA.

HEVS CHRISTIANE.

MOesta iacet virtus, laxata ferocia crescit,
Infelix Pietas, iussa tacere, perit.
Mars, mors, dira fames, isto grassantur in orbe,
Est hoc pòl misero tempore dulce nihil.
Scilicet hæc meritis ita fiunt omnia nostris,
Vt sibi quisq; Deus, sic sibi quisq; lupus.
Cùm foret irati placandus Numinis æstus,
Fecimus (heu) stygio sacra operata DEO,
Hoc est, sacrilego quod iam fuit æquior hosti,
Ac dedit Eois læta trophæa Getis,
Cùm facerent alij fera sæuis prælia Turcis,
Certamen nobis acre bibendo fuit.
Cùm fortuna istis benè vix rideret in oris,
Quæ tum luxuriæ signa fuêre nouæ?
Heu, dixi, quàm nos victoria decipit ista,
Ludit in Hungaricis rebus, amice, Deus.
Hæc sors in girum se vertet, & hæcce sequentis
Gaudia principium nostra doloris erunt.
Sic ego: sed nimiùm fuit heîc mihi Musa prophetis,
Hæc nimis est velox dicta secuta fides.
Ecce (dolè Pannon, bibuliq; dolete Alemani)
Spe citiùs, voluit nonnè quod hostis, habet?
Nec mora; nî sapies, iam nunc, Germania, tecum
Res erit: ô fatum disce timere tuum.
Incipe sic mutare mutuos, Alemania, mores,
Incipe nobiscum tam pia velle sequi.

INVI-

INVITATIO IN HANC Militiam.

FLos hominum, quem Pægaseis produxit in hortis
Semper Apollinei sedula cura fori,
Huc ades, in mea castra veni, si forsitan error
Traxit in ambiguos ex Helicone locos.
Si quem Castalio deduxit ab amne lacunas
In bibulas quales Liber amare solet.
Dux ero non segnis: nec enim mihi gratia Bacchi
Tanti, vt plùs Phœbum non redamare velim.
Me iaculis Phœbus donauit, & ægide Pallas,
Ne Bromius cornu me petiisse queat.
Acer Apollo iuui; miles succurre Minerua,
Vt mihi turba truci pareat vda manu.
Sacramenta mihi simileis consortia mores
Et parileis nisûs vos socia arma date.
Non facilè est Lipithas Cereri, Bacchouè litanteis
Vincere, nodoso rem quia fuste gerunt.
Vidistinè sues omnes citò surgere porci,
Vnius ex irâ consona bella geri?
Sic, faciente vno grunitûs, millia cursant
Multa virûm: ô adsis fortis vterq; Deûm.

ALIVD.

HVc agè, quisquis aues misisse renuncia cœno
Barbariæ, & vulgo linquere quisquilias.
Heîc ego casta, Dei iussu, tentoria fixi,
Militiæ scribo sobria membra nouæ.
Non hæc Enceladi sunt castra, sed ipse Michaël

Dux cœli est auso summa caputq; meo.
Si nescis hostes, faciunt mihi bella, Deosq;.
Cum sociis Bacchus Thyrsiger atq; Ceres.
Cyclopesq; petunt cœlestia regna vicißim,
Capripedes, Fauni, non minùs arma gerunt.
Ista Medusæ sunt perniciosa cohorti,
Et, nisi vincemus, Musica sacra iacent.
Arma viri, arma etiam contraria ferte domatim,
O veniant claßi millia multa meæ.

V. & Dom. Ill. & Mag. D. SIMONI FORGACZ,

L. B. de Gymes, &c.

THracia quem didicit, quem suspicit Hungara tel
Nobilioris aue Martis & artis honos. (lus,
O decus, ô princeps Magnatum! te quoq; paullum,
Da mihi magne Simon, da generose Simon.
His quia bella paro castris, disponere turmas
Tu doceas, poßim quâ ratione meas.
Consule te dubij fuit in discrimine belli
Et sæpè iudiciis vsa iuuenta tuis.
Macte hâc canitie solerti, heîc instrue inertęis,
Instrue, quæso, meas in noua bella manus.
Sæpè redit victis animus: sine proxima damna,
Differt non aufert tempora læta Deus.
Tempus erit (clades modò nostra domestica cesset)
Occidet vt nostro Gogq; Magogq; solo.

V. Nob.

V. Nob. & Doctiſs.
D. CASPARI FRANCO,
Rat. Cæſ. in Cam. Scep. Magiſtro.

ARdens calor fert carmine ſobria
Non vſitato dicere prælia.
Hæc dum cano, mihi parumper
Sleſiades date vos Camœnæ.
Tu France, vates optime, Cæſaris
Si fortè res non impediunt graues,
Emunctiore ceu potes, me
Verſiculo decora magiſter.
Si credis, auſim ſcribere copias,
Quot te videbo ſcribere litteras.
Ride, vel eſſe digna riſu
Perneget ingenij tui flos.
Me, Caſpar ô, turmis animes tuis,
Autoritatis plus ſiet vt meis,
Nam caßidem dabis regenti
Agmina, ſed clypeos phalangi.
Si me triumphus cum ſpoliis domum
Victrice fortunâ generoſior,
Vt ſpero, duxerit ſecundum
Qualia te remanent magiſtrum?

AD
GEN. EGR. ET AMPLISS.
Virum ac Dominum
GEORGIVM HOFFMANVM, &c.

MAgne vir, huic merito & studiis flos vnice tere
Ardua Cæsarei cura decusq; fori. (re.
Quem mihi misisti nuper, fortißimus heros
Militiæ nomen iam dedit ille meæ.
Claßica quàm primùm cecini, vento ocyor, arma
Induit, & citò me fulgidus ante stetit.
Cùmq; meum lustrarem exercitum, is vnicus omneis
Anteiit, vt reliquas Hesperus ipse faces.
Belligerandi omnes rationes callet ad vnguem,
Cum dubia Martis sæpè phalange fuit.
Hinc mihi non tyro, sed longùm exercitus armis,
Strenuus, excellens, & veteranus erit.
Addo, quòd hunc omnis virtus confluxit in vnum,
Sicut in Oceanum confluit omnis aqua.
Quis sibi iam bibulas miles constringit habenas?
Ne certet plenos euacuare scyphos.
Plùs Macedo egisset, si seipsum vincere nosset;
Proh, tantum paterâ posse periisse ducem.
Ille meris autem coctisuè abstemius vndis
Gaudet, & excubias pro grege solus agit.
Luxum odit, pestemq; fugit pigræ ocia vitæ,
Nil sibi desidiâ turpiùs esse putat.
Principis officium non militis ergò tenebit,
Vt monstret bellum, quâ ratione geram.
Castra mouebo breui tandem, &, Christo auspice, tur-
Conseram ad hostiles dura per arma manus. (ma.
Si me sors signis referet victricibus, huicce
Acceptum referam læta trophæa Duci.

AD

AD EVNDEM, DE DONO, MISsa mihi pecunia & commeatu.

VT ruptis nemo tellure incedere neruis,
Viribus & motu deficiente, potest.
Bella ita nulla geri possunt sine diuite censu;
Plùs adeò innumeris viribus æra queunt.
Tum malè pugnat, vbi sua vix ieiunia portat;
Cùm satur est meliùs prælia miles init.
Imperat is timidè, gelidè stipendia quisquis
Soluit, & officio quem retinere potest?
Hoc tua cum potiùs solertia nouerit, armis
Adiunxti nuper, large vir, æra tuis.
Quæ Transyluanum referunt in imagine Achillem,
Sit mihi cum tanto vt sors quoq; tanta duce.
His & plura aderant, belli quibus indiget vsus,
Dira fames abigi ventre latrante solet.
O generose Heros! sat in his exercite fatis;
Quî potero meritis digna referre tuis?
Me tibi sacrifico, tibi Musas mancipo nostras;
Te duce dux, & te sospite sospes ero.

V. Gen. & Egr.
D. NICOL. ORLLEO, &c.

CVra gerendarum quêis rerum publica Athenis
Incubuit, nunquam pocla bibêre meri.
Lex quia ciuilis sic ordoq; sanxerat vrbis,
Ne quis in officio noxius inde foret.
Delirat quoniam vino prudentia regum,

Et Baccho fortes occubuêre viri.
Scilicet est aliquid, vulgò párere potentes;
Sed cordatus homo nil nisi spontè facit.
Qui, de more, lares extra se frænat & intra,
Illustri meruit vir residere throno.
Nam simulare potest virtutem hanc rusticus omnis;
Mortalis Deus est qui pia spontè facit.
Qualem tute offers mihi, certè emblemate viuo,
Magne vir, Hungarici splendida stella soli.
Summa tuæ incumbunt fidei, illa negocia vt aulam
Cæsaream clarent vina merumq; fugis.
Dumq; alij ad mensas madido certamine gliscunt,
Tota animos versat sobria cura tuos:
Vt commune bonum crescat, capiatq; Rudolphi
Incrementa solum, damna sed ampla Getæ.
Omnibus hinc facileis das compellantibus aures,
Hinc sedet in labris mellea Suada tuis.
Salue virtutis species emblemate viuo,
Magne vir Hungarici splendida stella soli!

AD ILLVSTREM ET MAgnificum Dominum, D. CHRISTOPHORVM A TEVFenbach, L. B. Cæs. Consil. & Capitaneum in Hung. sup. bellicum, &c.

QValis erat passim tunc exsultatio, nostri
Inclyte belligeri duxq; caputq; soli;
Nuper vbi Martem te fama accendere Turcis
Diceret, & rursus castra parata forent.

Talis erat nobis hoc omnibus orbe vicißim
Luctus, & ex animo mœstus vbiq; dolor:
Nuncia cùm caneret te turba redisse, domiq;
Vix viuum ob morbi fata iacere tui.
Heu mihi, lætitiâ quantum mutatus ab illâ
Grex dabat exanimi squalidus ore sonos.
Ah palmare decus iacet! ah iacet ille iacentis
Vltimus Hungariæ corde fideq; Pater.
Qui virtute suâ nunc æmulus Herculis ibat,
Tuta latrociniis vt foret ora suis.
Sicut enim Alcides quoq; quondam vltricibus armis
Pro patriâ geßit fortia bella suâ:
Sic pro Christiadum tendebat in arma salute
Christophorus, Magnas nomine req; Baro.
Non ita tunc trepidare metu miserabile vulgus,
Cæruleus forti cùm vehereris equo.
Iam rectà amissam (dicebat quilibet) arcem
Vltor it, ac Agrios ipse domabit agros.
Tota soli solo spes nixa recumbit in illo,
Quo stabit viuo, quo moriente cadet.
O vtinam fruitur dum luce, & vescitur aurâ,
Hunniadæ discant iam bona quisq; sua.
SIC populus: sic ipse ego tunc votiuus iturum,
Te prece per totum sum comitatus iter:
I pater, ast patriæ, felix Duce & auspice Christo,
I, triste emenda, corrige Martis onus.
Semper adhuc bello tu gloria prima fuisti,
Inter & heroas nobile nomen habes.
Tunc etiam cum Cæsareo sub fratre per hostes.

Vltimus à Turcis ire coactus eras.
O vtinam solo tunc te monitore fuisset,
Ebria cæde nouâ protinus, vsa phalanx.
Sed tibi sera fides, prudentia sera; Solones
Ride, sancte senex, despice iure tuos.
Hinc vix accepit satis enarrabile damnum,
Scilicet hinc nostri causa secuta mali.
Vsq; senes adeò non est contemnere tutùm,
Cùm sint astutis bella mouenda Getis.
Sed iam tempus erit, quo fortibus annuat ausis,
Reddat & omnipotens prospera cuncta Deus.
Scilicet excipiet te lætior ora reuersum
Hungaris. ô talem Sol fer ab axe diem.
Tuq; manûs in bella animans, in prælia dextras,
Fac, precor, audaces, Numen ad arma viros.
Præcipuè nostro vires & robur Achilli
Suffice, per laudes hoc ego posco tuas.
Hæc ego, Mecœnas, pro teq; tuisq; sacello
Sæpè meo genibus vota sedendo dedi.
Ecce autem subiti mihi littera missa doloris,
Quæ te nec validum diceret esse domi.
Heîc de corde meo calor excidit omnis, & ipsum
Frigidius glacie mox mihi pectus erat.
Hinc supplex cœlum petij lacrumisq; profusis,
Expedij multas nocte dieq; preces.
Quid factum est? nostras Deus annuit ipse Camœnas,
Audisti preculas, Christe benigne, meas.
Non tibi difficilis nunc est Hygeia: sed armis
Te prohibet Phœbus doctior ire foràs.

O posses: non sic ageret ferus ocia miles,
Non gereret sterileis Mars sine lege manus.
Errat vt à fido nauis deserta magistro,
Quando per æquoreos fluctuat acta Notos:
Sic absente suo duce te iam fertur in armis
Miles, & Hungaricos ipse molestat agros.
Impedienda forent, quæ bella geruntur ad Istrum,
Ne Geta distracto Marte nocere queat.
Sol abit ad signum Capricorni, & labitur omnis
Commoditas belli, pigra subintrat hyems.
Viuitur, & nemo ventura pericula curat,
Ac si pax nobis esset & alta quies.
Tartarus hic flammis, hic durus acynace Turcus,
In sua gens illinc viscera sæuit atrox.
Ah miseros cassosq; Diis & viribus Hunnos!
Ecqua sub æthereo gens magis axe iacet?
Turca triumphatas iam nobis eripit vrbes;
Aspera iam reliquis arcibus arma parat.
Nemo potest solidè vindex arcere Tyrannum:
Nemo trucidandis ferre paratus opem.
Tu, Teuffenbachi, cùm castra secutus ab annis
Militiæ teneris sis, timor hostis eras.
Te sine nil recti geritur: tibi cognita belli
Est ratio, quà vel Teuto, vel ille gerit.
Tu maris & terræ spacia es dimensus, ob artes
Ingenuas quondam belligerasq; simul.
Gallia te scriptis instruxit & Itala tellus,
Hinc Themidos nosti scitaq; iusq; duplex,
Tu iuuenis; tu vir; tu discis prælia canus;
Tu cum Turcarum es digladiatus auis.

Tu prius heîc annis tot iam labentibus, hostis
Notus es; has terras, has quoq; testor aquas.
Quà celer in fœdus Tocaini ad nobilis arcem
Cum Bodroci vndis vsq; Tybiscus abit.
Tu veterum calles emblemata mille, nec vsquam
Te grauat historicos euolûisse libros.
Tu castis aures præbes quandoq; Poëtis,
Inq; sago chartis doctior esse cupis.
Paupere qui venâ manant, & stridulus ipse
Versiculos placidâ, quos cano, fronte capis.
Rarus habet nostras nunc Mars in honoribus arteis;
Miles atrox lituos, carmina Phœbus amat.
Nec pietatis honos vnquam tibi defuit; ipsâ
In galeâ mens est relligiosa Deo.
Ingeniosus es, & si non successerit illâ,
Mox aliâ cautus vincere parte studes.
Scimus vt aërias passim superaueris arces,
Tam dudum multis quæ metus acer erant.
Hoc docet in saxo moles exstructa Fileci,
Quæ nimiùm nostro sæpè nocebat humo.
Hoc castella Getis erepta; hoc oppida passim
Teuftenbachiaco diruta Marte docent.
Sæpè tuum vincis munus, nimiùm aspera tentans,
Et fers personæ non patienda tuæ.
Stant alij post principium: tu prælia ducis,
Ictibus & primis obiicis ipse caput.
Inspicis ipse situs, pluteos, vallesq; profundas;
Ipse vigil, quæ sunt officiosa vides.
Ipse sub Hatuanij lustrabas prouidus omneis,

Vnde

Vnde capi possent, obsidione locos.
Ipse dabas documenta tuis auertere fossas;
Te ductore fuit peruia facta palus.
Ausus es hostileis dux ipse accedere portas,
Omnia sunt oculis mœnia visa tuis.
Nocte prius multum voluebas mente, diurno
Quæ fierent iussu conficienda tuo.
Ipse tuis digitis tacitè monstrare solebas,
Quà fieri cuperes vulnera parte prius.
Autor eras, traheret pars illa, vel illa ruinam,
Machina quando globis iam foret vsa suis.
Tantus amor patriam defendere; tantus ob aras,
Christiadum heroi pectore feruor erat.
O diuine senex! decus immortale futuri
Temporis, & secli gloria prima tui!
Tuq; diem fastis addes, heroas & inter
Accipies magnos, Semideosq; locum.
Viue pater patriæ! nil amplius addere laudi
Cùm possim, in seros te voueo esse dies.
Nostra salus agitur; sis ergò Nestoris æuum
Sospes, & Hungarico restituare solo.
Postq; meis heros faueas celeberrime Musis,
Præcipuè causæ iam bonus esto meæ.
Nullus adhuc frustrà Vates prouexit, & arteis
Qui fouet ingenuas, præmia rursus habet.
Ore Poëta Deum flectit votiuus, & æquum
Supplicibus Numen vatibus esse solet.
Viue, vale, vince, spes Hunnidos aurea! semper
Quà potero, laudes amplificabo tuas.

NOBILI ET STRENVO VIRO

D. Francisco Zedlicio,

Eq. S.

EX patriis saluus nostras adueneris oras:
Heus, Francisce, sed hoc certior esse volo.
Vidistinè istâ stupefactos clade Polonos,
Iam transferre suos in peregrina lareis?
Hui pallent adeò citò? quid si fortè propago
Sarmatici Turcas cerneret ipsa soli.
Credo, Polona cohors caligis moreretur in ipsis;
Aut leporina illic bella gerenda forent.

DE AGRIÆ CLADE.

1596.

Optimis Viris:

D. Martino Brechtelio, & Adamo Kunischio, cariß. Amicis meis.

QVos ego suspiro, quid amici hoc tempore rerũ
Vos geritis, quo nil tristiùs esse potest?
Heu! Deus, ô miseros, in quæ nos secla reseruat?
Hem postrema vicem cernit ea ora suam.
Sic animæ dulces, prædixtis: namq; prophetis
A vobis rerum littera missa fuit.
Tu mihi præsertim vates eris, antè canebas
Qui missum fatò, dulcis Adame, malum.
Agria nostra fuit, nostræ cor Agria terræ,
Quo miserè exempto cætera membra iacent.
Ah vbi speratæ spes, & solatia nostra?

Ah vbi

Ah vbi flos nostri Martis & artis vbi est?
Tot bombardarum classes: tot castra: tot astra
Militiæ audacis lecta per arma manus.
Quæ vafrâ Geticus strauit formidine Xerxes:
Pannonis heîc tellus tota latronis erit.
Tu miserere soli pereuntis; Christe, perimus:
Respice nos aliquà, respice, quæso, Deus.
Plura queri vellem: sed ne voueatis, amici
Vos magè mœstitiæ, cesso; valete mihi.

AVTVMNVS.

BElligera Autumni redit ætas: arma iuuentus
Prompta cape, Hungarici tonsa per arua soli.
Surge animis contra bellacem Thraca; nec oras
Occupet is nostras sorte sequace prior.
Meßis abit; noua musta dedit vindemia; frugeis,
Queîs vescare, tuas assere Marte grauis.

IAVRINVM REDIVIVVM.

QVis fragor iste nouus? sibi qd spectacula paßim
Tanta volũt? solito plus omnia læta triũphant.
Clangor in vrbe merus; mera gaudia; plaudit ouatq;
Quilibet, esse quid hoc dicam? res mira, nec vnquam
Visa prius; muros intra cursatur & extra,
Psallitur, oratur, confertur, quæritur, itur.
Aera sonant, turresq; boant, taratantara clangit.
It clamor cœlo, vultus auresq; saginant

Iubila, concentus, vox Musica, tristia damnat
Omnis, & ex alto pellit Cato quisq; dolores:
Stoicus in risus cœno de paupere surgit.
O quas esse rear causas! tam læta quod hæc lux
Aureola hos ciueis sic afficit, vrbis & orbis
Totius Hungariæ? num quòd rediuiuus in auras
Christus ab inferno surrexit, & omne reuixit
Cum Domino, pro more suo? venerabilis æuo
Festa dies agitur toto? quia Pascha quotannis
Nos etiam celebrare iuuat, pro tempore, lætos.
Post tristeis hyemis lacrumas, post frigora Brumæ.
Hoc faciunt etiam rationis egentia passim.
Nix liquefit, glaciem consumit & imbriferum Ver,
Viuificat fluuios Austris, terrasq; resoluit.
Aura Fauonl annum senio exsuit: omnia risus
Promittunt renouata; reciprocat omnia Phœbus
Laxat iter largâ serie, camposq; rotatu
Longiùs hos visit meliore, & calfacit agros
Rectiùs Hungaridos terræ. Sed miror id vnde
Sit, quòd nobilium flos, & gens rustica fastos
Cùm celebret veteres, non nos imitata per vrbeis,
Ploret adhuc, quòd tu pro nobis, Christe redemtor,
Tam graue supplicium crucifixus in orbe luisti.
Cur tamen aërias arces, cur gaudia pagos
Talia pertentant? en lætior inuolat vrbem
Hanc flos nobilium, gens rustica, ciuibus addunt
Se socios? altis sonitûs, bombosq; crepaceis
Arcibus attendo; si fors permitteret anni
Tempus, & instructus gereret Mars bella per agros.

Dicerem

Dicerem ego certi ſieri hæc ob ſigna triumphi.
Sed neq; Mars campis, vt qui ſit inutilis armis
Nunc, vbi nulla Ceres campis, nulla arbuta paſcunt.
De nihilo hoc non eſt: quid ſi tamen auſus in hoſtem
Cæſaris indulta quis fortè iuiſſet & arcem,
Auxiliante Deo, magnam expugnaſſet, & iſtâ
Lætitiâ id populus iam teſtaretur. O hæc eſt,
Hæc eſt cauſa, licet dictis vix credere poßis.
Eloquar? haud credas, taceam quid publica celem?
Eloquar ah; ſed iô, ſed iô, quî nam eloquar iſta,
Quæ præ lætitiâ vix ora reſoluere mittunt?
Rumpo moras: Noſtrum laurinum dicitur eſſe.
Noſtrum eſt, eſt noſtrum, laurinum eſt nobile noſtrũ.
Credere quò fas eſt, breuiter memorabo labores,
Quo duce, quantũ auſo, quibus artibus, & qbus armis,
Noſtrũ eſt, eſt noſtrum, laurinum eſt nobile noſtrum.
Magnum opus aggredior, quod vix deſcribere poßit
(Quod tamen aggredior) Maro, vel diuinus Homerus.
Chriſte ades, & noſtris te verſibus inſere, magni
Hoc eſt oris opus. Logos, oratorq; Parentis
Tu quia es, & te te laurinum eſt auſpice noſtrum:
Vt canere hæc poßim grauiùs, ipſe has ſuffice vires.
Poſtquam à belligero Dux lectus Cæſare belli
Ritè foret præſtans Baro, Schwartzbergius heros,
Non minor antiquis Heroibus, alter Achilles,
Mente Solon, Brutus iuſto, virtute Camillus,
Cœlitùs Hungaricas bellatum accitus ad oras,
Heîc vbi ſtant claræ famâ fortisq; Viennæ
Mœnia, ſæpè animo verſat, quei finibus iſtis

Amissas arceis, & lamentabile regnum
Turcis eripiat, fato si vindice possit,
Pellat & his terris Christiani nominis hosteis.
Sed tamen ante alias solers plus cogitat vnam;
Quattuor ante annos amissam fraudibus, arcem:
Dædala Iaurini sunt mœnia noxq; diesq;.
Dulce nihil superest, nisi rursus pareat orbi
Christiadum illa Rabæ vaga combinatio & Istri.
Altâ mente mouet, quoniam ratione vel armis
Iam semel atq; iterum frustrà tentata triumphet.
Sæpè repulsa subit, nece plus horrenda, pudorem
Aestimat, & laudem potius vult morte pacisci.
Annuit his Deus omnipotens, primordia & ipse
Prospera conceßit facilis prece victus & aris
Supplicibus, sua respexit bonus agmina tandem.
Tunc agimus nostris etiam feliciter armis,
Quùm prece miscemus virtutem, & Numina bello
Poscimus, ore Deos præsentesq; vsq; vocamus.
Christus & oranti huic sua suggerit ipse secundus
Consilia, in bellum digitos, in prælia dextram
Armat, & ipse vias bonus inuenit ante labores.
Nec mora, nec requies secum rimatur agenda.
Omnes per casus, per cuncta pericula pernox
Atq; diurnus agit; prudens explorat Vlysses
Singula; quæ facies arcis? custodia qualis?
Qui numerus? gentis quis dux? quæ mœnia? quantum
Robur? vbi fieri prius oppugnatio fœlix
Fortè queat? quando excursus, cùm cætera fiant?
Qualis bonos primis? quæ vis, quæ gratia in armis?

Omnia

Omnia tuta tamen pauet, & nil ſcire ſecundum,
Quod tacitus condit, vult; nec fallacia corda,
Quæ ſecreta iuuent, noceant manifeſta, reuelent.
Reſpicit omne, bifrons Ianus velut alter, & hoſtem
Conſilio ſuperare prius, quàm viribus ardet.
Prudens rerum opifex, quæ ſeria ſubticet; auceps
Quæſitorq; noui: nunc hoc, nunc, aure ſagaci
Vel prece vel precio nunc imbibit illud: Hyænas
Ordinat, in mediis quæ captent æmula Turcis;
Auditum & viſum referant: hâc ſoſpes adibis,
Illic reſtat adhuc metus; heîc mortalibus vllis
Vix aditus pateant; ſed ibi prudentia vincat.
Hæc vbi ſcita capit, iam certus abire Viennâ
Apparat, exiguo ſtipatus flore iuuentæ,
Fortê Comarinum petit, hucq; accerſit Achatem
Fidum operum & rerum, cum quo communicet vno
(Palffius ille audit,) quid pectore verſet, & arcem
Quam tentare velit, duce Chriſto, & ſorte ſecundâ:
Iaurimumq; potens, quibus artibus, & quibus armis
Poſſe capi ſperet, quæ ſoli hæc abdita pandit,
Et bello ſocium comitemq; laboribus orat.
Palffius armipotens, Mauortia gloria, gentis
Hungaricæ decus omne, animis nil fluctuat, huic mox
Spondet idem, concorsq; iuuat: pro laude paciſcar
Chriſti non timidus vitam, & pro Cæſare dulce eſt,
Sic ſic poſſe mori, durosúe ſubire labores.
En dextramq; fidemq; Heros fortiſſime, ſecli
O noua laus noſtri, nos ibimus, ibimus ambo,
Quà fas & noſtris Deus adſpirauerit auſis.

NÁRODNÁ KNIŽNICA SLOVENSKÁ MARTIN

Quid tum si ob patriam patiamur vulnera? quid tum
Si pessum vnus & alter eat pro arisq; fociſq;?
Nos manus exigua; esto; cadet paruo agmine magnum
Si cœlum & Fortuna volet: tecum, inclite, pergam.
Hæc & plura loquens prudenti Palfiius ore
Consulit in medium: bello conscribitur agmen,
Omnibus & quosdam furtim euocat arcibus illis,
Quæ parent Aquilis, & adorant Cæsaris enseis
Romani: ergò citi pariter concurrere gaudent,
Quà iussi ire simul prompti, sociosq; laboreis
Ferre parati omneis, seu certam incurrere arcem,
Seu cum Lunigeris certare per ardua pilis.
Stat delecta cohors, spes Martia, militiæ flos.
Omnibus est studium, mensq; omnibus vna sequendi.
Tempus erat, quo cessat hyems Brumâ aspera pulsâ
Septima cum Martl lux & vigesima cœlum
Versat, & Andromedæ sua cingula torta recedunt,
Qua Christus graue Mortis opus, graue Martis in or-
Sustinuit vindex, & Auerni carcere fracto, (co
Et saxo occluso & penetrato marmoris antro,
Post sua fata iterum lætus surrexit in auras,
Tunc vbi nos rursùm solidâ in statione locauit,
Ostia clausa potens miseris reserauit Olympi;
Rettulit in meliùs Patris iras, aurea pacis
Sæcula restituit, Stygio cæso agmine claustri.
Luce etiam hâc (mirâ certè ratione) Comarro
Noster abit victor loca sæta furentibus armis,
Thracia quæ attulerat messes treis ante Sinani
Auspiciis, socias quâ Rabæ copulat vndas

Ister,

Ister, & ambit aquis Iaurini mœnia nostri,
Mœnia tunc rabidis repleta ac horrida Turcis.
Vt Christus veluti tunc Orci victor abisset.
Tertia quem spoliis à morte reduxit onustum
Lux rediuiuum, ob nos miseros, nostramq; salutem;
Sic iste à Turcis etiam æmula signa referret,
Tertia quà roseo se lumine tolleret Eos.
Nec (quia causa fuit parilis) sperata fefellit
Spes heroa suum : quippe hâc concordia Rabæ
Et Romana salus surrexit luce & eâdem
Hora, quâ Dominus (dictu mirabile) Iesus;
Hinc nos Christigenæ celebramus septima sacra:
Atq; diem Domini memores solemnibus vsi
Ritibus in fanis per pulpita sacra ciemus
Ore Deo laudes. Veneris Mauortius heros
Bellatum ergò die postquam exiuisset, vt ipse
Filius omnipotens flagra, cædem & vulnera passus,
Mœnibus à Solymis Stygiam digressus ad arcem
Multa pati atq; graueis mox exanthlare laboreis,
Per duras, nimiùm heu duras, pedes ire salebras
Cogitur, ad femora vsq; niueis iam sole solutas
Personam exsutus tantam, atq; palustribus vndis
Primus iter carpit pedes, & sua facta secutos
Exemplis animat ducis ipsius, instar anheli
Nisus equi, neruis maioribus omnia vincens.
Quòdq; solo ingreditur, vix aut supereminet vndas.
Causam habet, vt furtim veniant hostem eminùs armis
Sentiat haud hostis per cæca silentia noctu,
Nec latè hinnitu quadrupes loca turbet acuto.

Iamq; vbi Danubij per aquas toto agmine transit
Nauigio exceptus, vel pontibus ante paratis,
Hinc præmittit equos paßim, qui quattuor horis
Præcedant campis omneis auertere casus,
Nemo prior veniat Iaurinum, & talia Turcis
Indicet; ergò viâ cunctos intercipit illac
Qui tendant, ita Dux præceperat optimus illis.
Ne Turcæ hoc scirent, vrbi improuisus adesset.
Illi abeunt oculis vigiles præcepta facessunt.
O felix Dux, ô bellum felicius, ô &
Felicißima gens, populus qua paret, & inter
Mortis onus graue, miles eò non ire recusat
Millia vbi tuti vix essent, vnus & alter
Credere se campis audet pro principe caro.
Quim etiam hic præcepta salubria scribit apertè,
Quâ nunc ire velint ratione, ac ordine quali,
Atq; illos vocat huc celereis, hos diuidit illuc,
In partesq; docet certas, & classe coronat.
Hinc Germanus abit, mouet hîc se Gallica pubes,
Purpurat hîc Italus, sequitur turma Hungara pilis
Expedit hæc, vastentq; cauet cultoribus agros.
Sanctam ad iustitiam Themidis sacra, lege minaci
Cogit, & abstineant spoliis, iubet ore disertus.
Præmonet, edicit præsesq; autorq; futuri
Supplicij pœnas maturus & irrogat acreis.
Præcipuèq; Duces hortatur gentis, honorem
Præscriptis habeant, moresq; manusq; gubernent.
Vtq; secundet iter, cœlum orent supplice voto.
Ne sint indecores regno, ast sua fama feratur

Post

Post grauis, ast totum post laudibus occupet orbem.
Vincat amor Christi, patriæq; immensa cupido.
Ergò iterum læti pergunt, nec secius arma
Mota loco memores faciunt, perq; ardua tendunt.
Nec satis est iuisse semel per flumina, restant
Hic superanda iterum: sed & hæc Schwartzbergius
Prouidus, à tergo linquit toto agmine, factis (heros
Nauibus & celerem pertransit ponte Socubsam,
Atq; alios superat fluuios; queis nomina desunt.
Et iam noctis erant benè sera crepuscula cæcæ,
Omneis per terras animalia fessa iacebant.
Hic sit prima quies, Schwartzbergius inquit, & axe
Sub gelido sistit comites, & pluribus orat,
Dura ferant æqui, casu & discrimine tanto.
Fortibus hic animis opus esse, & pectore firmo.
Ecce autem insurgens ventis comitatus & imbre
Nimboso Orion, galeisq; infundit & armis
Magnâ mole niueis, tempestas horrida barbas
Congelat, & duri cœli inclementia supra
Perfurit, vsq; minis, & crura hærentia frigus
Sistit, Athlas cœlum vix vertice fulcit & alta
Nubila subsidunt, caput & latera ardua pulsant
Trux Boreas, imberq; grauis, mixti agmine cæco.
Noctem illam perferre tamen studet ardua virtus,
Luctaturq; dies donec iam surgat Eoo
Postera, Phœbeâ nigras face dimouet vmbras.
Poscit abire iterum porrò dux masculus alas
Conficiens, de more petit qua dextra Nemethi
Valis, & hic, donec propior sit vesper Olympo,

Sustinet, egregiosq; virûm iam conuocat omneis,
Accersitq; alios, quos currere vellet in arcem,
Quos sic alloquitur: Iuuenes, fortißima bello
Corda: quid vlteriùs vos celem? ingentibus ausis
Perficere est animus, Iaurini & mœnia nostra
Sint cras, aspirante Deo, forte auspice dextrâ
Iaurinum petimus, Iaurinum haud fata negabunt.
Ergò agite, ô Iuuenes, incepta hæc ritè paremus,
Præmia digna feretis; opeis, Iaurinia & æra
Cuncta dabo, spoliis faciam vos omnibus æquos,
Vos modò nunquam animis, nunquam armis cedite
Quisq; suâ maneat statione fidelis & acer. (Turcis,
Hoc vos per mortem, per nobile sanguen Iesu
Saluificamq; per oro crucem, perq; omnia sacra.
Aut viuam, aut moriar, non hîc ego inultus abibo.
Dixerat: Illi omnes respondent: maxime Ductor,
Te duce, stat virtus nostra imperterrita, seu nos
Contra ire velis forteis, campestribus armis,
Seu iubeas arces altas & scandere muros.
Postquàm hæc effati, Iaurinia rura salutant,
Deueniuntq; locos, sua quà castra inclitus ille
Fixerat ante annum Austriacus, licet irrita, Princeps.
Atq; hîc Danubij se fœmina tollit ab vndis,
Accedit propiùs turmas in veste niuali,
Cincta comas lauro, similis Diuæ omnia vultum
Astat, & immorem pandit secreta Sybillæ:
Este salutati, Iuuenes quos ipsa secuta
Sors comitat, quibus omnipotens Mars annuit, altum
Quos amat, & tantis dabit omnia prosperа cœptis,

Numen,

Numen, & auxilio quos præsens adiuuat æther.
Non incerta cano, quæ dicere iussa, reuelo.
Quòd cœlum & terras torquet, me misit Olympo.
Hostibus ille dat, ille adimit rursùm hostibus arceis.
Vos tantum, illustres animæ, tollerate labores.
Certandum est, non is veniet sine Marte triumphus.
Sic illa: ex oculis simul euanescit in auras.
Hinc firmati animum magis & magis arcis ad oras
Ipsius ardescunt accedere, & omnia coràm
Ocyùs inter se cognoscere at ipse pedestreis
Inter se turmas animat Schwartzbergius; alta
Palftius interea generosi terga caballi
Pressat, Equestrem animans florem, docet vsq; magi-
Germanumq; ducem, re sic cogente, secutus (stro
Sæpè ferocis equi luctantia colla sonosq;
Noxia sæpè prius, cohibet grauis atq; seuerus,
Accenditq; animis socios, & pectora firmat.
Ecce autem tenebræ fugiunt, & amica viris nox
Inuoluens piceam clauso cœlo hactenus vmbram,
Fit manifesta, suam profert Proserpina lucem.
Apparent terræ illustres, campiq; iacentes.
Hos metus acer habet rursùm, & trepidatio summa
Corda subit, ne quicquam iterum succedere furta
Nunc posse omnis ait, manifestiùs agmina cernet
Hostis, & egressus risu prohibebit inani.
Verùm vota Deo hìc facere, & prece supplice cœlum
Non prius absistunt orare, & poplite flexo
Poscere opem, lateat quam Cynthea pulta vicissim,
Nigra tegat frontem ferrugine & omnia celet.

Indul-

Indulgent conuexa Poli ſtellantia, & igneis
Condunt cæca ſuos; ſe pallida ſeruat in vmbris
Nec terras velut antè, ſuo ſplendore colorat
Luna, Pater facit hoc, cui ſidera & omnia parent.
Nox fit, & eripitur rerum diſcrimen in oris
Omnibus, & vix nota legunt veſtigia, ductor
Quâ fidus præit & baculo compendia monſtrat.
Iamq; in conſpectu eſt mons Raſcius, ipſaq; longè
Mœnia non abſunt ſperata, hîc omnia Princeps
Militiæ apta facit pugnæ, & vix paßibus abſunt
A portâ centum, quam fortiùs arietet illa
Machina, opus Diuûm & miſeris fatale repertum.
Hoc duci ad muros hortatur, & ante locari
Dux mandat portam, quò fractis impete clauſtris,
Atq; aditu facto poßit ſe infundere miles
Hoſtis ad hoſtem, arcem latè complere parentem.
Iuſſa viri faciunt, furtimq; adducere tentant
Impoſitam curru tacito, quam voce Petarram
Molem Italus dicit; quæ iuncta aperire ſuperbos
Sola queat poſtes hoſti, oſtia pandere fracta
Ergò operi accinctos plauſtro admonet, ire ſequenteis
Hos iubet, hos humeris trahere & clàm ſiſtere ad arcis
Oſtia, & vt muſſent per amica ſilentia portam
Ad fatalem: vnus hîc ſupra mœnia cuſtos
Auribus hæc captat vigilantior, atq; ita fatur:
Quid petitis? cuius veniſtis & ergo, an amicos
Annè hoſtes rear eſſe? quid hi de nocte labores?
Vnus adhæc noſtrûm, benè callens Turcica verba,
Heu, Turcæ, heu non nos ex hoſtibus: appulit iſtâ

Huc

Huc nos nocte metus; Germani ac Hungara turba,
Nos Cererem & victus vobis per plaustra vehenteis
Aggreßi, hanc profugi petimus maturiùs arcem.
Pandite, præsidio seruate & mœnibus iisdem.
Vulgus inerme sumus; ne pugnis turba, sed apta
Soluere Pæstano reuerenter debita Bassæ,
A quo nunc iter est, aperite & protinus omnes
Acceptos pariter defendite, mœnibus instat
Hostis, & arua tenet Iaurinia; dicite Regi (bis.
Hæc vestro, hoc sat erit scio gratum, & præmia habe=
Sic ille; incendit cum sortè fauilla Petarram
Sulphure non apto, nec primum claustra resoluit.
Præcipitat flammas alias Vulcanus, & ardet
Iam felix Aries; horrenda tonitrua fiunt,
Ianua tacta labat, procumbunt cardine postes,
Rupta repentè iacent per fragmina mille serarum
Vincula; fit via vi, mox se per aperta Quirites
Ostia ponte ferunt strato, & loca iussa receptant.
Hinc Galli fortes, & duri Marte Valones,
Hinc acies sequitur longis horrenda sarißis.
Hungarus & Teuto pariter se infundit, & intra
Arcem omnes veniunt ex somno alto ære solutam.
Protinus hîc etiam se Schwartzenbergius infert,
Voce monens altâ, nomen ter clamat IESV.
Terribiles inflant lituos vtrinq;, trucidant
Obuia prima tamen qui propugnacula seruant.
Vix somno excitus, miratur Bassa tumultus,
Prosilit ex stratis suspensum à pariete ferrum
Liberat, & dextra bis acutum corripit ensem.

Altera

Altera vexillum manus accipit, agmina quærit
Quæ sua? clamat opem portisq; accurrere mandat.
Ipse anteit Lybicos animis ac bile Leones.
Ceu Lupus haud numerum curat, nec mille bidenteis
Vnius horrescit lanij semel ensis acutus.
Hic Iauriniades vlulant & sydera tangunt
Clamore immenso: fuimus Iaurinia turba.
Hostis habet portas murosq; ascendit & omnes
Occupat heu turreis, & propugnacula seruat.
Heu quis nos nimiùm miseros defendere, quæ nos
Accipere arx poterit? dominantur in vrbe furentes
Germani. O morimur, genus insuperabile belli est,
Turba canum rursùm succedet sedibus istis.
O Turcæ, haud nobis stabunt Iaurinia paruo
Hospitia; in patriam reditus fortuna negabit.
Ignaros fati, veritos nil tale penateis
Hostis & hospes init: fugite heu: quò? more bidentum
Occidimus: modò per portas exire liceret.
Fœmina virq; graues hos tollit ad æthera questus.
Præcipuè princeps discurrit in vrbe, lupus ceu
Raptor oueis intermedius, cæcoq; resistit
Marte petens aditus factos quà plurimus astat
Cæsarius, verbis contra iacit aspera Turcas
Ipse sues: hic hic nè, canes, pugnabimus armis?
Vos mera proditio vos torpor inermis honore
Exsuit, extremùm iam viuitis, arma repentè
Ni capitis fortes; vxoria corda, Monarchæ
Perditis hæc nostro, ceu plurima & antè, nec hostis
Vinceret hanc etiam, si me custodia vestra

Admo-

Admonuisset heri: meretricia turba, quid ista
Segnities? mecum quin nunc expellitis hostem.
Irruat atq; animis se quisq; recentibus armet.
Si pereo, nunc me periisse iuuabit honestum.
Sic Mahometigenum Dux perfurit ore, rotatq;
Feruidus hîc gladios, quà portæ limina seruant
Christigenæ, in medios prorumpit, & arduus obstat.
Ira manûs conferre iubet, dolor igneus vrget.
Obuius ense metit cunctos, nec inertia rursùm
Cogitur arma pati; furibundum sæpè coërcent
Christigenæ, huic liquidè iam traiicit ilia plumbo,
Non procumbit humi tamen, imò effundit habenas
Longiùs irarum, multos dat acynace letho.
Nec socij minùs adglomerant, dominumq; tuentur
Expertem galeæ, & vix lino pectore tectum
Suppara velabant nudos angusta lacertos,
Mars vtrinq; fauet, somno tua funera, neutrum
Agmen terga fugæ dat, ferrea sæuit & instat.
Cum victore cadit victus, nec discrepat ausis.
Hîc iterum Bassæ quis viscera perforat hastâ,
Pugna hians immanè tamen, dum concidit ore
Pallidus; ergò iacet tellure & calcibus atram
Tundit humum exspirans animam trux accipit Orcus
Ense caput soluunt humeris, & acynace tollunt.
Sed nihil occasus reliquos Ducis iste moratur.
Viribus vsq; suis audent maiora, nec vllum
Telorum exhorrent genus, omnia pila globosq;
Perrumpunt, portasq; volunt ceu cætera nusquam
Bella forent, vnus hos impetit ardua longè.

Sed

Sed facies Germana fores dura obsidet hastis,
Defessosq; magis denso agmine sternit & extis
Perforat, vt pronus iam concidat omnis & atro
Sanguine humum signet, lapsuq; ad Tartara pergat.
Hic quoq; Denlopius. quo dextrâ haud fortior al-
Romulidum, exarsit multasq; effudit habenas (ter
Irarum, impatiensq; suos animare Quiriteis.
Stringere ferrum animis medios se ferre per hostes.
Et virtute suâ reliquos bonus excitat Heros.
Segnior haud stricto Fabacurtius ense, Latinos
Arguit incusatq; moræ quid viuida virtus
Debeat & possit docet ipse, & multa cruentat
Agmina Turcarum, nec parcit inermibus, vltrò
Hastâ qui abiectâ veniam orant; Tartara ad ima
Mittit atrox omneis vastos dat stragis aceruos.
Ille nigri gaudens montis cognomine fidus
In mediâ vrbe tenens, nunc hos nunc erigit illos.
Inter opus durum feruet Germana iuuentus;
Ensibus ille bonus, plumbum ille volatile torquet,
Hunnus in aduersos se fert, nec segniùs instant
Palffiadæ & chalybis multos ope sternere tentant.
Hic punctim, hic strictim, tereti ille reciprocat ictus
Cuspide, sæpè graueis frangunt hastilia vulgò.
Sæpè etiam Herculeâ cerebrum clauâ omne terebrãt,
Vi prohibent Turcæ superare & scandere muros,
Syluicolæ vt Fauni nituntur, vt agmina turbent,
Quæ teneant supra & per propugnacula cedant
Sen cogant fugere ad portas, vestigia quærant.
Ter sese attollunt, ter reiicit hostis, at illi

Mox

Mox iterum ſuperant, procul inde expellere tentant.
Expelluntq; citos pedibus clamore ſequuntur.
Hic profugis portas curſuq; petentibus obſtat,
Corripit & primum Schwartzbergius ore minisq;,
Heus heus ſiſte gradum; quò te rapis improbe, non tu
Euades noſtras (licet hoſtis ab enſe recedas)
Fortè manûs: non iſta fides promiſſa. agè retrò
Te ſer, & haud cœpto iam deſine cardine rerum
Durare & rebus decet hoc ſeruare ſecundis.
Dixerat: ecce cohors mox tota reuerſa ſequenteis
Vertit, & opponit quiſq; acriùs enſibus enſeis,
Grandis vtrinq; oritur cædes (miſerabile viſu)
Mars dubius: modò Chriſtus ouat, modò iubilat ille
Pluſq; agit; accurrunt nunc hi, nunc cedere cogit
Altera pars; rarò bis Barbarus occidit ictus,
Terq; quaterq; haſtâ vix omni ſanguine miſſo
Pronus humi iacet, interdum hîc renouata videtur
Nequicquam arma mouens proſtratus, & oris honeſtas
Et flos dum rubeus fugiat, vitamq; ſub auras
Linquat. eunt paßim de ſanguine flumina fuſo.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poßit lacrumis æquare labores.
Talis erat facies, nox talis, Pergama quando
Durateo caperentur equo, ſomnoq; ſepultos
Quando in Troianos iret nocturnus Achilles.
Tantus erat furor & rabies tunc Turcica tanta,
Quantam haud ipſa prius ſe faſſa eſt triſtis Erinnys
Vidiſſe; imò foret victrix feſtina virûm vis,
Leges antè niſi Schwartzenbergere, tuliſſes

Tam cautus prudens pugnam ante, & fortis in ipso
Ocyùs admôsses certamine robora cuncta.
Hinc facta est animis melior pars altera, & ense
Fortior, à Christo quæ dicitur; vrget acerba
Qua stantes rari apparent, hos protinus omneis
Demetit, & prendit fugienteis, cædit ad vnum.
Dat noua lætitiæ signum tuba; rursùs imago
Lætior ad Christi bellum; labentia rursùm
Corda animant, certam sperare hâc sorte salutem.
Dulce canunt, & Iô ingeminant rauca æra vicißim.
Huc illuc agitatus equo sua Palfiius acer
Agmina perlustrat; nunc intonat Hungarus Hunnis,
Italiæ voces Italas; Germanide cretis
Ora, ore est Teuto; variat vox æmula Prothei.
Vt pariter superent, curas traducit in omneis.
Dextrum spondet opus, dulcemq; hæc aspera pugnæ
Finem habitura, sacer vates ceu disserit; ensem
Felicem ipse rotat, plausu & clamore triumphat.
Multa redit virtus, crescitq; in pectore flamma
Omnibus, vt simul ac animos ad verbera durent
Incensi Iuuenes, tædæ instar, feruida corda
In furias & in arma ruunt atrocibus ausis.
Nec Deus hos, Bellona soror neu deserit ipsa.
Numen vtrumq; irâ simul æstuat, ardet & ingens
Corde dolor Marti, comitem se Cæsaris addit
Romani sociis; trux agmina Turcica ferro
Sternit & ingenteis (referens horresco) per vrbem
Sanguinis exundat fluuios: quæ sanguine fidunt
Corpora, vix vidisse datum est, Erythræus it vndis

Gurges,

Gurges, equus niueo modò pectore candidus, altè
Nunc humore rubet roseo vel epiphia ad ipsa.
Ingenteis victor tandem spectabat aceruos.
Irruit & tectum omne tenet genus acre virorum.
Et licet hîc matres & inermum vulgus ab altis
Præcipitent tectis flammas, & Scipio multus
Desuper eiaculatus eat, quisq; intrat in ædes.
At manus interea vel adhuc se fornice cæco
Munit & ècontra flammis incendia miscet.
Et ne dent Aquilis pœnas, moriuntur in ipso
Puluere disiecto vallo (miserabile visu)
Seq; hostemq; suum miscent & in aëra spargunt.
Hîc primùm ergò Duces lacrymas emittere, & ignes
Execrari istos, quòd vbi nec tela nec hostes
Egregias animas vicissent, læserit ignis.
Quid facerent? nec enim sine sanguine Pergama tanta
Et sine casu aliquo poterant tibi Maxime reddi
Cæsar, & hoc etiam est plus quàm satis; illa quòd ho=
Tam vigili & forti tanta arx erepta phalanges (sti
Per modicas, horis potuit tribus esse vicißim,
Atq; erit æternùm tua, vindice & auspice Christo,
Cui sit prima, tibi sit palma secunda Rodolphe,
Tertia Schwartzbergero, & Achati illius, & illis
Qui simul ense iacent, aut paßi vulnera viuunt.
Salueat ô Aries quoq; maximus ille Petarræ,
Quæ quò disiiceret fabricata est machina portas.
Materies latet illius, nec dicere tutum est
Prudenti edicto, quibus inuentoribus, aut quâ
Arte paretur opus, ne fama vagetur in oras

Græcia ſæua tuas, pellacem edoctus Vlyſſem
Hoſtibus ex ne quis præſtet, conatibus iiſdem
Iaurinum, aut alias hoc pacto quæritet arceis.
Hanc aperire artem totiq; exponere mundo
Certatim Hiſtorici vellent, ſi Diue Rodolphe
Tu ſineres, & non metus eſſet: certior arte
Ne noceat, catus es, Thrax inuentoribus ipſis.
Auri ſacra fames Bombardas cætera & arma
Attulit Euximo, rudibus compendia Turcis.
O opus illuſtri dignum Duce, Cæſare dignum.
Salue flos Regum ſalue Auguſtiſsime Cæſar,
Næ te tam læta Iaurini nobile bellum
Sorte beat; nunc te Septem pars tota Viratus
Promtior auxiliis ſpontè ære viroq; iuuabit,
Vt reliquas etiam poßis mox eripere arces.
Agria quod metuit, nunc ſat percuſſa ruimâ
Sponſæ, quam voluit ſibi coniunxiſſe Viennæ,
Hoc anno veſtræ, dulceis celebrare Hymenæos.
Illam fraude Sinon Thrax, deditione Sinanus
Cœperat: aſt tibi, Cæſar, aperto Marte recepta eſt.
Egregiam verò laudem nunc ille referret.
Heu quibus heu ſtygias ſi non ceßiſſet ad vndas,
Si ſuperaret adhuc (iam curis fractus obiret.
Fòrs præ mœſtitiâ ſe vltrò ſuſpenderet, Orcum
Infelix victor peteret modò cannabe fractus.)
Turcicus ipſe Pharo ſuſpiria ducit ab imo
Corde, gemens ſecum caſum interitumq; ſuorum,
Quidq; time prius, vel cuius oporteat antè
Mirari, inſcius hæret, & huc iam diuidit illuc

Senſus

Sensus trux omneis, infrendens dentibus, iras
Concipit ingenteis, frustràq; exæstuat acer.
Nulla sed huic dabitur rursùm affectare potestas
laurinum; ipse Deus pro nobis arma Cyclopas
Induit hos contra, pestemq; auertit ab oris
His talem. nec enim dubitamus Gogq; Magogq;
Occidet; illud atrox monstrum, informe, horridum, & (ingens,
Ex quo nos populat, millesima labitur æstas.
Hactenus indulsit, iam cœlum irascitur ausis
Intrare Austriacas, tam sancti Cæsaris, oras.
Sed fremat vsq; licet, frangat collum, ilia rumpat
Mœstus vterq;. Deus nos, optime maxime Cæsar,
Per te, perq; tuos pòst asseret vsq; Fideleis.
Et faciet clemens, cum fœnore cætera reddet,
Vt longè potiora illis poßimus habere,
Quàm quæ Christicolis trux hactenus hostis ademit
Pollicitus nobis per reddita mœnia tale
Quæ nequam accito sunt tradita spontè Sinano.
Ipse diem citiùs vesper componat Olympo,
Omnia quàm recitare queam, quæ victor in arce
Occupet; egregias & opes, operumq; labores.
Millia barbaricis restant nouilunia signis.
Mille laboratæ fulgentia dona Mineruæ,
Mille aulæa: graueis intertextosq; tapetas,
Discretas auro telas, muliebria texta,
Et pictas tollunt vesteis, & fulgida gemmis
Ornamenta: auri pretiosa emblemata; nummos
Regiferos, auri flauentia munera, Tempe
Hungara quæ mittunt, vel Arabs excudit Eous.

Quid loquar egregios animis in Marte Caballos?
Robur & omne decus Turcarum & cætera prudens
Prætereo; quibus imperium ſtetit ordine; ceu ſunt
Tot bombardarum ſpecies, curruſq; grauati
Tam vario ære; globos tereti quòd fornice grande
Mille iacit ferro cuſos: quid plumbea fruſta
Perſequar hoc verſu tunicas rumpentia, Brontes
Quas Steropesq; parant, vaſto Cyclopes in antro?
Sic pauca in campis amittere ſemina præſtat,
Ruſtica quæ recipit cum fœnore dextera imago.
Sic Agris etiam meſſeis exſpectat auarus
Cæſar & adiiciat Pæſtum Budamqúe receptam.
Verſat adhuc tantos animos dum Palffius, horror
Maximus eſt Turcis, nulli virtute ſecundus.

ΑΠΟΣΤΡΟΦΗ
ad
D. SCHVARTZENBERGIVM, & D. PALFFIVM.

ALloquar heîc etiam vos, vos duo fulmina belli
Magnanimi Heroes, Martis melioris & artis,
Quos Deus & Cæſar pugnis dedit eſſe magiſtros.
Quos non argenti, non auri præda, ſed ingens
Vicit amor patriæ, Germanidos ora, ſaluſq;
Chriſtiadum, veri laus Numinis, ipſaq; virtus.
O quos vos memorem? Mortales voce, ſed armis
Haud rear eſſe homines: quis vos non ſanguimis alti,
Quis non ſuſpiciet vos? quis non fronte ſupinâ
Vos vt ſemideos, vix ducere ſemina terris

Dice-

Diceret, aſt cœli delapſos crederet arce?
Arte magiſtrâ equidem viciſtis, at arte Magiſtrâ
Cœlitùs excitâ: cedent miracula mundi,
Cedent præteriti ſecli inuenta omnia veſtris.
Debet honos vobis & haberi gratia, debet
Laus tunc veſtra mori, quùm facta illuſtria letho
Summa dies quamuis dabit, haud dabit omnia facta.
Credo equidem in tantum veſtra excellentia ſurgent
Auſa, in quantum olim magnus ſurrexit Achilles.
Quin etiam Præſul Romanæ maximus vrbis
Transferet in faſtos, vt agatur feſta per orbem
Illa dies totum, annaleisq; ea facta perenneis
Poſthabeant, veſtris manſura encomia pugnis.
Par vobis virtus, animus par, corpora bina,
Vna ſed eſt mens, vnus amor pugnare duobus
Contra hoſtem, totus quem exhorruit hactenus orbis.
Par bellatorum felix, par dulce Monarchæ:
Hoc vos Chriſtigenis duo, quòd duo maxima Cœlo
Lumina: Sol & Luna Polo decus omne, ſolo vos
Et veſtris, tu Germanis, tu fortibus Hunnis.
O regio felix, taleis vix Hungara tellus
Vnquam habuit, licet vſq; ſuos ea iactet alumnos.
Viuite concordes animis & viribus ambo,
Ambo pares ſtudiis iiſdem, & conatibus æquis.
Si genus ingratum eſt hominum; ſperate laborum
Axe Deum Elyſio memorem fore: nullus ob aras
Et patriam fruſtrà bellum gerit, acer in hoſtem.
Sed vos iam Proceresq; Ducesq; & Numina mun-
Hic geminus virtute ſuâ vos excitet Heros. (di,

Ferte citi auxilium, date opes, ferte arma, virûm vim.
Et benè apud memores tanti ſtet gratia facti.
Si benè quid geſtum eſt, ſolius Numinis illud
Dicitur auſpiciis geſtum; ſi mœnia perdat
Dux, eſt noxa Ducis ſolius, & omnia clamant
Compita: dede neci, Cæſar, qui patria tradunt
Præſidia ære hoſti; probat exitus acta; nec vſquam
Arceis perdideris, modò bellis præfice fidos.
Aſt dolor hæc feruens & bilis ſplendida dictant,
Seq; Deosq; tacent victi, accuſare parati
Militiæ caput & damnant cum principe caſtra.
Verùm haud fas, blaterat quod vulgus, credere ſemper
Fortior eſt victor, vel plus virtutis in illo,
Quiſquis ouat: licet & cœlum victricibus armis
Sufficiat vires, & robora ſæpè miniſtret
Angelus omnipotens: tamen & ſua gratia noſtris
Vindicibus ſtat licta viris I vulgus & ipſo
Poſce à belligero quoq; Cæſare præmia noſtris
Vindicibus pro Marte viris felice, nec arcem
Fruſtrà hanc reſtituant, tanto diſcrimine vitæ.
Proditor eſt pœna dignus; ſint præmia fidis.

Votum
PRO VICTORIBVS.

ROmani Imperij duo fulcra, duasq; columnas
Hungariæ cœlo miſſas, Deus optime, ſerua,
Laudibus omne tuis quod ſeruiat, atq; ſalutem
Ad noſtram faciat, quoq; pòſt illuſtribus auſis
Hi tentent ſociâ virtute, bonisq; repertis.

Vna sit ambobus mens, sors eadem, ardor & vnus,
Sorte laborum æquâ, se magnum semper Achillem
Præstet vterq;, solo monumenta relinquat amico,
Ipsorum vt nati, & qui pòst nascentur ab ipsis,
Maiorum agnoscant facta, excellentia facta.

Coronis
ad
SCHVARTZENBERGIVM.

DEniq; Schwartzbergi, tu nũc eris alter Achil-
Tu Iosua es nobis alter, tu maximus ille es, (les,
Vnus qui nobis certando restituis rem
Perfidiâ amissam turpi; tu maximus ille es,
Vnus qui multis præstas virtute viros vir.
Tui velut Andromeden Perseus, victricibus ausis
Alter ab immani monstro nos asseris; armis
Libertate nouâ donas, plus Hercule præstas:
O quantas grates tibi nunc aget ille popellus
Omnibus ex mundi collectus partibus, omneis
In mundi partes & patria in arua reuersus.
Quippe iugo exemit rursùm, & produxit in auras
Assertrix virtus tua, quos Geta durus habebat
Solis ab occasu Solis celebrabere ad ortum
Iam nunc virtutemq; tuam, dextramq; potentem
Christiadæ agnoscent latè, Mauortia pubes
Suspiciet ceu semideum: tu strenuus armis
Omnibus es Turcis dolor, omnibus hostibus ipse
Romani Imperij pallor; te Sarmata, Moschus,
Discet Arabs, omnes discent Garamantes & Indi

Antipodes: quantum poßit Schwartzbergia virtus.
Quam rumore axis celebrabit vterq; calenti.
Quam primus metuet, quam horrebit & vltimus orbis.
Quam Mauortis opus canet inter quiſq; labores
Qui velit eſſe ſuos feliceis: ergò litabit
Sæpiùs huic, poſitisq; altis Schwartzbergius aris
Sublimeis inter diuos numerabitur olim.
Te, nomen, laudesq; tuas pòſt nulla ſilebunt
Sæcula: nemo tuos Mars anticipabit honores:
Dum vehet Iſter aquas, Arabonis & auctior vndis
A Sole occiduo, Solis voluetur ad ortum.
Palmareisq; viros vinces heroas & omneis:
Aeacides dextrâ, ingenio tibi cedet Vlyſſes.
Mente Solon, Brutus ſtudio æqui, Dædalus arte,
Viribus Alcides, Aeneas laude, Camillus
Armis vindicibus, Cato moribus, ore Pericles.
Tu Pylios æquato dies modò & auſpice Parcâ
Corporis exſuuias in ſera reponito buſta.
Ipſe tuas laudes, tuaq; inclita ſæpè fatebor
Facta meo verſu: tu nullo indictus abibis
Carmine, cùm vates Heroùm encomia ſcribent,
Vt cœlum accedas, hic laudum terminus eſto.

Monſtrum
VARADINI NATVM.

ASpice quiſquis ades lector; Varadinia monſtrũ
Hoc mulier peperit. fœmina, maſne, refer?
Omnia naturæ quòd eant præpoſtera, cernis;
Ab tantùm cernis, vane homo, vana patras.

Visne

Visne interpretem agam? concreta hæc bestia trux est
Tartarus & Turcus: nos ca fauce sitit.
Cernis vt exsertet linguam canis instar anheli,
Nos anno hoc lepores, ille molossus erit.
O bonitas immensa Dei! nos, instar amici,
Præmonet, & miseros non cupit esse Deus.
Et dubitamus adhuc vitam emendare scelestam,
Supplice vel veniam voce rogare Deum?

¶ Crede mihi Lector, (testor multos amicos, apud quos hoc Epigramma) Varadino saluo, & nihil adhuc metuente, præsagium hoc mihi scriptum.

V. Egreg. & Integerr.

D. STEPHANO PEREGIO, &c.

REM lætam mihi nuntias Peregi,
O sed sic mihi nunties, Peregi;
Ne tot simplicium arcium triumphus
Vnam rursus & alteram triumphet,
Fœnus Lunigero sit istud hosti.
Quæ nos lætificant, & illa possunt
Securos adeò illius vicissim
Mœstos reddere. quid præiuit? arceis
Quùm nobis Geta Principes ademit,
Iaurinum ac Agriam; duas salutis
Nostræ ac Imperij Ausonis columnas.
Est virtutis opus pòl illud ingens,
Arceis eripere octo, & id diebus

Solùm octo: at retinere ſemper arceis
Tot, diuinum opus & labor beatus.
Mox factum citò diſperit, Peregi.
Verùm ô mentiar & ſiem poëta,
Tu ſis veridicus, precor, propheta.

SPECTABILI ET MAGNIfico Domino, D. FRANCISCO DERSFI, Cæſ. Conſil. L. B. & Comiti Supremo Comit. Saaros.

MAgne Comes, noſter quem Cæſar & aula Qui=
Eximiâ meritò laude coronat, aue. (ritum
Maximus has rurſùm quia terras Æmilianus
Ingreditur, noſtrum plaudit ouatq; ſolum.
Cumq; ſolo cœlum, cœliq; elementa triumphant;
Pro Duce quiſq; ſuo iam pia vota facit.
Vult DEVS orari, nobis victoria cedat,
Princeps Lunigeros vincat vt iſte canes.
Quæ res grata Deo, plusq; efficit enſe, profectæ
Si ſint ex animo feruidiore preces.
Me quoq; mouerunt hæc publica iubila, chartis
Gratulor his tanto proſpera quæq; Duci.
Eius cùm lateri Baro tu celeberrime ſemper
Sis benè perſonâ proximus ipſe tuâ.
Hos, rogo, votiuos illi tu porrige verſus,
Vt lector Muſæ ſit, velut antè, meæ.
Rex Macedo in caſtris dignatus honore Poëtam eſt,
Dux qui digna gerit carmine, carmen amat.

AD

SERENISSIMVM ET ILlustriß. Principem & Austriæ Archiducem, D. MAXAEMILIANVM, Tertiùm in Hungariam Sup. aduenientem.

SAlue iterum Hungariæ, spes optima, gloria sceptri,
Et laus Romani florida Marte throni.
Rex votis, Princeps terris, & origine Cæsar,
Præcipuè Austriaci Dux generose soli.
Cùm tibi gratentur cœlumq; solumq;; Camœna
Nostra tacere sibi dedecus esse putat.
Tu facis, vt nostras, vox læta perambulet vrbes,
Nosq; magis toto reddit in orbe pios.
Per te quisq; suis castis aduoluimur aris,
Quisq; Deo certas expedit ore preces.
Nam te prompta licet durorum fracta tot annis
Hungara bellorum sit satur ora, capit.
Sperat enim tempus, Duce te, quoq; dulce futurum,
Cesset vt hoc nostro Martius orbe furor.
Tu modò Romani quia nomine Cæsaris istas
Sceptrum per terras conuenienter habes.
Maxime nos Scythicum contra Æmiliane tyrannum
Assere; quò poßis, te regat ipse Deus.
Accipies etiam tu præmia summa vicißim,
Quando tibi grates vesper & ortus agent.
Te canimus viuum sed pòst celebrabere sidus,
Inter honoratos cœlite fronde Duces.

Aspice,

Aspice, vota ferunt tibi Numina quinq; ; benignas
His aures faciles porrige, Diue, tuas.

PRVDENTIA.

Regia progenies, magno sate Cæsare, Princeps,
Huc à Cæsareo qui geris arma throno
Cara mihi soboles, cautèque sceptra gubernas,
Et quodcunq; facis, mente sagace facis.
Vaticinor passim tua cùm prudentia mundo
Nota sit, à Turcis læta trophæa feres.
Tu modò de speculo casûs, velut antè, futuros
Prospice, sint dextræ tradita lora tuæ.
Contrahe, quando opus est, vel da sua carbasa ventis,
Quod facit æquoreis nauita rector aquis.
Sicut & in portu, placidam dein confice pacem,
Munere sic fueris functus in orbe tuo.
Felix Imperium, felix res bellica, princeps
Quam prior expertus pace sagoq; regit.

IVSTITIA.

Salue vera patris Maxæmiliania proles,
Quam fas, quam Themidos iura sacrata iuuant
Iustitiæ leges, atq; aurea scita tueris,
Alter vt haud æquus te magis esse queat.
Res est digna piis Ducibus, non priua, sed armis
Omnia pro populi ferre salute sui.
Ergò agè, cùm Princeps sis seruantissimus æqui,
I contra iniustos fortis atroxq; Getas.
Ipse sauet turis custodibus Arbiter æui,
Latiùs imperium proferet ergò tuum.

Ito bonis auibus, claris rediture triumphis,
Crescat vt in mundo laus tua, crescat honos.
Causa tua est melior; iustam qui belliger armis
Causam habet, is certus victor abire solet.

CLEMEMTIA.

Optime Dux salue: salue, in quo nixa recumbit
Maxima Pannónici cura saluq; soli.
Mira tibi virtus, pietas est mira! superbos
In miseros quoties cogeris esse ferox.
Tale tibi ingenium natura creauit, vt iræ
Sis patiens, longùm lenis iniqua feras.
Digna Duce est virtus Clementia, solaq; Numen
Quæ facit ac homines hoc super orbe Deos.
Eia igitur, Princeps, has ingredere, optime, terras,
Maximus hoc fias nomine req; solo.
Esto pater patriæ; verißima gloria surget
Huic porrò titulis addere sueta tuis.
Iam tua quò virtus vocat, I feliciter audax,
Infer atrox rabidis aspera bella Getis.

FORTITVDO.

Ergò redis nostras Princeps bellator, in oras
Cuius ad imperium Cæsaria arma tremant.
Non te mollities ingloria, turpia non te
Otia, sed Martis prælia dura trahunt.
Bella geris Turcas contra horrida, ferreus armis
Nomen vt æternum nobile Marte pares.
Audaces Deus ipse iuuat; sors annuit illis,
Pro patriâ fortes quos iuuat esse viros.

Quid

Quid dubites, Heros fortißime? fortiter auſis
Annuet omnipotens, qui regit arma, tuis.
Ipſa tibi Princeps, bellum inclyte, ſpondeo felix:
Ipſa dabo caſtris fortia corda tuis.
Oro tuum nomen, Dux maxime, vertat in omen
Numen, vt in toto maximus orbe regas.

TEMPERANTIA.

O decus! ô famæ meritò pars máxima noſtræ,
Tu quoq; Dux, noſti Numinis eſſe domus.
Innuba ceu Pallas, validis quæ præſidet armis,
Inclyte, ſic Princeps, æmulus ipſe Deæ es.
Caſtra placent ſuperis quæ caſta; nec aptior vlla
Virtus principibus dura per arma viris.
Quàm dudum Macedo ſe vicit, vicit & hoſtem;
Se minor vt primùm tam citò victus erat.
Staret adhuc Troiæ regnum, niſi turpiter ipſe
Cum grege Rex luxus perditus ante foret.
Hæc mala perpendens, Dux auree, perge ſeuerus
Aeternæ cuſtos eſſe pudicitiæ.
Quantò quis magis eſt generoſus corpore, tantò
In puro caſtas pectore ſeruat opes.

HVNGARICI PROCERES.

Quod felix, fortunatumq; ſit omine fauſto
Rurſùm intras noſtrum, Maxmiliane, ſolum.
Vt Martem, & turmas Princeps modereris equeſtres,
Bellum & ab arbitrio pendeat omne tuo.
Ante duas ipſo pugnaſti Cæſare meſſes
Cum Scythico, numero flos vbi Xerxis erat.

Sed

Sed qui res hominum dispensat, is obstitit ausis
Fortibus, vt neutri pugna secunda foret.
Iam tibi promittit nostrum felicia cœlum
Prælia, iam tandem prospera bella geres.
Te duce, magnificos speramus ab hoste triumphos
Vel ditionis erit Thracidos ora tuæ.
Nos operam dare membra decet quoq; bellica neruos
Mars tuus hîc etiam possit habere suos.
Nostra tibi semper famulabitur ardua tellus,
Seruiet ad nutum subdita turba tuum.
Tu modò nos & nostra tuo complexus amore
Non dubita, Princeps fortis & esse bonus.
Quos roseo peperit sibi quondam sanguine Christus,
Propter eos dulce est viuere, siue mori.

GLORIA.

Sic tua se claris attollat gloria rebus:
Sic tibi laurigeræ dent sua serta Deæ.
Fortiter has, vindex, rursùm assere, maxime terras,
Omnibus hoc neruis, quæso, tuere solum.
Te quoq; scripserunt Romanæ per astra Quirites
Nobile iam pridem sidus in axe poli.

VOTA.

Maximus ingreditur terram Æmilianus in istam.
Da Deus hâcce Getes egrediatur humo.

ALIVD.

Princeps diue, tuas defendis & asseris oras:
Sospite enim regno, Dux quoq; sospes eris.

ALIVD.

Cæsaris ecquid adest frater Maxæmilianus?
Numen id hoc nostrum sentit adesse solum.

ALIVD.

Ingrederis, Princeps *has optime, tertiùm in oras:*
Perfectum hoc trinum faxit & ipsa Trias.

ALIVD.

Cur redit Hungaricum Maxæmilianus *in orbem?*
Omnia quò redeant quæ periêre prius.

ALIVD.

Ingredere has felix, Dux optatissime, *terras:*
Viuet ad ingressus Pannonis *ora tuos.*

IN HOSPITIO.

Cui sunt mille arces: cui regia plurima, Princeps,
Nil hâc te pudeat iam tamen esse domo.
Herculis Euander, *Iouis* Hyrcus *Numinis ædes*
Excepit placidum, pauper vterq;, suas.

ALIVD.

Parua domus, tu Maximum *habes sola* Æmilianũ:
Felicis, Diui *quos adiêre,* Lares.

Vt à Regnicolis Munera clementer accipiat.

Quas regnum exiguas dat opes, *quæ* munera *parua,*
Maxime *tu* Princeps *consule, quæso, boni.*
Accipiunt superi quoq; thura minuta, voluntas
Prompta licet, nequeat si dare plura Diis.

AD

AD HVNGARIAM.

Officium cognosce pium, Gens Hungara, Princeps
Sic te amat Austriacus, ceu gregis arua sui.
Thrax instat patriæ: tamen hi placuêre recessus,
Laudis vt æternæ sit tua compos humus.
Si proram puppimq; tuæ fers, Terra, salutis:
Huic te dura lubens Gens patiare regi.
Vos etiam Proceres, vos cætera surgite turba;
Is vocat, armatos protinus ire decet.
Qui nisi vos promptos ad prælia ducat: in aras
Surget, & ignauos puniet ipse Deus.

De reditu tertio in Hung. Sup.

SERENISSIMI ET ILLVstrißimi Principis ac Domini, D. MAXAEMILIANI, ARCHIducis Austriaci, &c.

AD MECOENATEM Gen. & Egr. Dominum, CHRISTOPHORVM DARHOLTZ, De Fynthâ, &c.

A Quo, Mecœnas, tibi venit epistola, Princeps
Ille redux nostrâ nuper in vrbe fuit.
Venerit huc qualis, tibi significare laboro:
Si fas, da Musæ tempora pauca meæ.
Ipse, per infirmos quia forsan corporis artûs,
Non comes adfueris lætus, vt antè, Duci.

Hebdemas est hodie, quùm primo Solis ab ortu
Quâuis armatus debuit ire domo.
Hinc lituis animata cohors deducitur extra
Mœnia, & à portâ stat geminata phalanx.
Est mora; venturus Dux exspectatur, anhelus
Dum Sol æquoreas se propè mergat aquas.
Sæpiùs ætherei cùm tandem arx alta Sarossi
Fumat, &, Austriaco prætereunte, tonat.
Horaq; vix discedit, adest, stipante iuuentâ
Ipse, sedens niueo Maxmilianus equo.
Perq; acies intrat binas, quas nostra domatim
Iusserat ad portam Curia stare grauem.
Wirthius, heic Iudex, prior excipit ore disertus,
Ciuis fausta simul nomine multa vouet.
Hinc pariter comitant, & mœnia protinus intra
Principis ora potest quisq; videre sui.
Excepêre domô ciues, & munere vini,
Tempore pro varias exhibuêre dapeis.
Mœstior hospitio nobis Dux visus in ipso,
Propter missa sibi nuntia læta minùs.
Transiluanus enim nostro qui sceptra Monarchæ
Marte suo dederat semper habenda, redit.
Paucos ante dies cum seruis quippe duobus
Dicitur hàc celeris tergore vectus equi.
Sed facti quia fortè suas habet is quoq; causas,
Iudicij non est iste vel ille mei.
Maximus hinc variis Dux Æmilianus amanter
Reddere mansueto cogitur ore viris.
Ille preces coràm, querulos dedit ille libellos,

Nobi=

Nobilium & vulgi concio magna fuit.
Contulit egregiè cum Principe multa Petæus,
Me dignum alloquio censuit inde suo.
Mox Niareus heros, cui paruit Agria quondam,
Se tulit ad vultus, Maxmiliane, tuos.
Hungarici Iuuenes, clarâ de stirpe ministrant,
Se procereis inter sæpè tulêre soli.
Meq; sui quidam Comes accersiuit in ædes
Hospitis, & stantem ponè sedere iubet.
Hinc, an Bocatius sim, quærit, & ille poëta,
Qui cecinit versu sobria castra suo?
Huic ego: magne Baro; sic, est, quem cernis: at illum
Non cernis, qualem forsitan esse putas.
Per caros aliquot sum nomen adeptus amicos,
Qui quod ego non sum, me tamen esse volunt.
Vera fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur
Bocatij: docto reddit is ore mihi.
Viuas, care mihi: posthac numerabere noster,
Et commendatus iam mihi semper eris.
Cæsaris ora dein mihi donat, qualia mos est
De collo magnis pendula ferre viris.
Austriacæq; domus, turmas qui duxit equestreis,
Trautmansdorferi nobile nomen habet.
Aurea pro misso mihi carmine dona remisit,
Et Genium versûs dixit habere meos.
Adfuit Hoffmannus, mea gloria; vespere serò,
In cuius cœnâ proximus ipse sui.
Altera vix tenebras Aurora fugauerat ortum,
Iam video cinctos Principis esse pedes.

Vrsit iter, positasq; prius consedit ad aras,
Audiit & Missam, ceu solet, antè suam.
Tunc mihi pro scripto redduntur carmine grates,
Responditq; meis gloria summa metris.
Porrexit dextram Dux illustrißimus ipse,
Ipse dedit propriâ munera flaua manu.
Donec plura redux dem lætior, accipe, Vates,
Dixit, & in celsum mox benè scandit equum.
Hæc tibi commemoro, quamuis generose Darholci,
Nota prius: felix tu quoq; cerne Ducem.

MAG. GENEROSISSIMO
& Strenuo Domino,
D. SIGISMVNDO-FRIDERICO
Trautmansdorffio, &c. Exercitus Maxæmiliani Archiducis Austriaci Capitaneo.

ERgò iterum, Generose Baro, te sistis in arma,
Illustrasq; suo nobile stemma sago?
Maior vt euadas, nec Trautmansdorpia virtus
Gloria Stiriaci desinat esse soli.
O res digna viro! magnæ quem stirpis origo,
Et sua quem clarant Martia gesta foris.
Quem puerum ingenuis iuuenemq; instruxerat olim
Artibus, hunc Pallas bellica scita docet.
Quid docet? immò grauem iam dura per arma magistrum
Fecit, vt armigeros dirigat ipse gregeis.
Cernimus, vt scitè turmas moderetur equestreis,

Vtq;

Vtq; animet populos, Maxmiliane, tuos.
Quàm benè coniurant, doctum esse, & fortibus ausis
Pro patriâ trucibus bella mouere Getis.
Quod Sigismunde-Fridrice facis? qui nominis hos
Nunc in Christiadum dux bonus ire paras. (steis
I, tua quò pietas te poscit & ardua virtus;
Perge, tuum verè nobilitare genus.
Perge tuos, Heros cordate, acquirere laudeis;
Quæ geris, æternum sunt habitura decus.

COSACI
Cum
SERENISSIMO ET ILLVstrißimo Austriæ Archiduce
MAXAEMILIANO
in Hung. venientes.

QVinam hi, villosos quos cerno vibrare galeros?
Horrida monstrosi quænam ea turba caput?
Maura gerit tergo suspensa pharetra sagittis:
Cur ita sessor atrox celsior vrget equos?
Sunt etiam, tegitur queis ferrea canna; nec vna
Forma; suo variant vestis & arma viros.
Dicere fortè licet, bello genus acre, Cosacos,
Alite quos quadrupes cursu animare solet.
Tantus in arma furor genti est, vt pondere fracti
Sint nisi, tormentum quod iacit ore globos.
Vt nihil aduersi contraria tela morentur,
Trux peragant Martis, more leonis, opus.

Nil cruor emissus: nil terrent vulnera viuos:
Talibus hæc fuerint bella gerenda viris.
Maximus hos igitur non frustrà alit Æmilianus,
A quo larga gerit præmia fortis Eques.
Pectora pectoribus vos æmula viuite nostris,
A vobis discant præcipitare moras.
Hoc si præda potest, focus araq; plura triumphet:
Suscitat & forteis plus bona causa facit.

Meo
IOANNI BALOGO.

QVod fore prædixi; Varadinæ bestia matris
Nonne duos hosteis Marte, Baloge, tulit?
Obsidione premit concreta ea bestia nostros;
Tartarus illâ atrox Turcus & vrbe furit.
Hercle, quid addubites? sunt præscia corda poëtis;
Diuisum Vates cum Ioue numen habent.

AD
Nob. & Egreg. Virum
D. SEBASTIANVM ROSEMANNum, Cæs. Epper. Veredarium.

RVmor it, ad Budæ quòd mœnia castra locârit
Schwartzenbergiaci fortia Martis honos.
Sed nisi tu, Rosemanne, tua simul arma veredo
Videris ad Pæsti flumina, falsus erit.
Credere rumori non est, quà belliger orbis,
Quæ non visa suis, dicere visa solet.

Vera

Vera tamen de Iaurino *prior illa veredo*
Vox erat. huic famæ sit quoq; vera fides.

AD
V. NOBILISS. ET GENEROSISS.
D. FRANCISCVM & D. SIGISMVNdum Mariaßij, &c.

QVò, Mariassiadæ *fratres, par nobile gentis*
Hungaricæ, quònam iam capietis iter?
In bellum? serò est. hodiernâ luce, sacratâ
Maxmiliano, *anni præteriêre duo.*
Turcica *quando* Agriam *(proh) cepit bestia nostrã,*
Cùm dedit Hungaricum *maxima damna solum.*
Fortè dies etiam fuit hic fatalis, & arcem
Hostibus aut nobis rursùs amica tulit.
Agria *vbi caperetur, erat crudelior Eurus,*
Has oras contra durus & ipse Notus.
Nunc Agriam *cõtra Boreas furit horridus; anné hoc*
Sic temerè fieri nostra per arua putem?
Numen inest vati, vates hoc ominor, iste
Trux Aquilo Turcis perniciosus erit.
Non igitur serùm est, quòd vos duo fortia Martis
Pectora, Christigenis iamq; feratis opem.
Aere diu vestro non vnus purpurat armis
Miles, & in profugos pergit abire Getas.
Vos etiam Dominos pariter vocat ardua virtus,
Cum Scythicis coràm belligerare Lupis.

Ite viri fortes, quorum studet inclita facta
Gloria magnificis æquiparare viris.
Dij faciant lætis nostram redeatis in vrbem,
Ob reduces felix patria semper ouet.
Hoc ego conabor prece stratus supplice ad aras,
Pro vobis toto poscere corde Deum.

CONSVLTISS. OPT. ET
Doctiss. Viro,
D. MICHAELI WIRTHIO,
Iud. & Not. Epperiss.

LVce quòd Aeolidæ faciant hâc prælia fratres,
Quòd furiant nostrâ Corus & Auster humo.
Causa subest, Wirthi, quòd eâdem Thracius Eurus
Trux annos Agriam strauerit ante duos.
Heu quanto nostras tunc murmure turbidus oras
Rupit & in lacrumas ire coëgit agros.
Ergò per Arctoas parilis violentia turmas
Iam Marte Eoum sternat acerba solum.
Nobis atra fuit, sit lux hæc atra vicißim,
Quà Niger in Budæ trux modò monte furit.

Nob. & Prud. V.
D. PETRO MELTZERO.

HAEC est illa dies, quâ belli Maxmiliano
Præside, in hosce ruit maximus horror agros.
Agria disperiit nostræ pars maxima terræ;
Quid, Meltzere, hodie fortè perire potest?

NO-

NOBILISS. DOCT. ET

Amplißimo V. *ac* Domino,
IOANNI CRAVSIO, XIII.
in Scepusio oppidorum Prouisori, &c.

QVæ noua, Vir generose, refers ex Hunnidos oris?
Si quà; tibi soli credere iure queam.
Tam variè sparsit fallax mendacia vulgus
Hactenus, vt nulli fòrs sit habenda fides.
Ast tibi quùm soli vel Thomas credere poßit;
Quæ noua tu, Crausi, vir generose, refers?

Viro

MAGNIFICO ET FORtißimo, D. GODFRIDIO RIBISCHIO,

Iuniori, felicißimo Varadini
propugnatori.

PRima renascentis per Martem gloria terræ,
Strenua militiæ Pannoniæq; salus.
Slesidos ô generis decus oræ! palma Ribischæ
Gentis! honos patriæ! Cæsarianus amor.
Gratulor, & meritò reducem te propter in oras
Has ego cum toto lætor ouoq; solo.
Salue, magne vir; ô Heros inuicte! potentes
Quo duce nil Turcas Hungariæ arua pauent.
Cuius in extremas virtus se mascula terras
Porrigit, ac triplex orbe pererrat opus.

Nam tua narrantur generosi prælia Martis,
Vt fueris duro fortiter ense Gigas.
Antè sat Herculeo te pectore sæpè probasti,
Armorum inuictè suetus acerba pati.
Non memoro, passim quàm multos fuderis hostes,
Quàm tuleris victor clara trophæa domum.
Sola Varadinæ mihi nupera sufficit arcis
Laus; animos nobis exhibet illa tuos.
De quâ nostra salus pendebat, fidus Achates
Arcem seruasti, Dux animose, soli.
Bresla tibi patriæ quas credidit inclita turmas,
Has moderabaris, Hector vt ille, manûs.
Tu propugnaclum te qualem gesseris intra,
Constat & Imperio res ea scripta sacro.
Hoc duo consorteis, Niareïus atq; Rederus,
Tum passim scriptis exposuêre suis.
Te tua commendat vigilantia, sedulus ipse
Quòd grauis excubias egeris, omnis ait.
Quàmq; bonus porrò dictis animaueris agmen,
Vsq; forent domino pectora fida suo.
Quàmq; viros ore exemploq; erexeris, arma
Vt ferrent cunctis semper honesta malis.
Quàmq; dies nocteisq; truci stimulante Tomitâ
Reppuleris contrà masculus ipse Getas.
Cætera si memorare velim, longa Ilias esset,
Surgeret immensum vatis & artis opus.
Quare paucarum tantum accipe munera laudum,
Vt possis voti iam memor esse mei.
Scis tibi quid vates istâ fuerim vrbe precatus,

Quùm

Quùm tibi præberet Curia nostra dapeis.
Pro te vota Deo feci, generose Ribiſchi;
Is cœli preculas audiit axe meas.
Nunc iterum reduci cum laude, virisq; trophæisq;
Occimo gratanti prælia fausta lyrâ.
Ipatriam, tibi prompta suos Budorgis honoreis
Seruat, & est reditu Sleſia læta tuo.
Cæsar & Imperij proceres magniq; Dynastæ
Reddent virtuti præmia iusta tuæ.
Aut si mortaleis, benefactis arida gratis
Corda gerunt, merces est tua certa Deus.

AD

Nobilem & Egregium V. D. SEBASTIANVM ROSEMANNum, Cæs. Epper. Vered.

REctor, Iô, alipedis quidnam, Rosemanne, vegrata tui à Præsto fama recentis habet? (redi
Fac me certum, an sit: fertur, Budam esse profectò
Nostram: estne? Istricolis ipse veredus ero.
Vix me fræno, ferar quin, lictis omnibus, vltra
Danubium O verum est? eloquere, aut ferus es.

Hungaria

Gratias agit suo Regi,

ROM. IMP. INVICTISS.

Augustiß.

RODOLPHO II. &c.

Pro curâ paternâ & defensione.

Gloria

GLoria Romulidum veneranda Rodolphe, parentis,
Qui nos Hungarias quos alit instar amat.
Qui nos stricturis validè obiicis ensibus enseis,
Et quòcunq; potes Marte iuuare, iuuas.
Hocce solum, quod Thrax canis & trux Tartarus,
Depopulant miseris exagitantq; modis. (hosteis
Tu spes nostra manes, te inuicto Cæsare nostras
Non planè fractas esse fatebor opeis.
O tibi quas grateis referam? quæ præmia tantis
Pro meritis reddam, Diue Rodolphe, tuis?
Dij tibi dent annos animosq;, vt victor ab oris
Maximus his referas læta trophæa domum.
Græcia te Dominum Byzantia & vnda salutet,
Dediscat Scythicum Thracia ferre iugum.
Dij dent possideas, iunctâ Germanidi terrâ,
Quæ ferus in curuo permeat ense Getes.
Dij dent, sera tuo grateis Ecclesia Marti
Cantet, & æternâ laude fruare Polo.

M. IO.

M. IOANNIS BOCATII,

Poëtæ Laureati Cæsarei

LIBER HVNGARIDOS SECVNDVS,

ENCOMIASTICA

dictus.

LECTOR BENEVOLE,

MONEO TE RVRSVM, SCIens vt sis, cur huic secundo libro titulum fecerim, *Encomiastica*. Tene: quia deprædico bonos; stringo sub nominibus fictitiis, malos. Nosti Rhetorum hoc institutum: in demonstrando sunt, ἐγκωμιαστικὸν & ψεκτικὸν: per illud & hoc intelligo. Mecum etiam facit Aristoteles, vbi, *Omnis*, inquit, *oratio poëtica vel est laudatio, vel vituperatio*, Lib. 1. Poë. Causam quæris? Cicero pro me reddit; *Omnes bonos trahi studio laudis.* (nam mali, quùm laudanda non faciant; neque laudari cupiunt, vt sentit Plinius) Hæc est illa Helena, pro quâ sudatur, pugnatur: hæc ad τὸ καλὸν & virtutis arcem impellit: hæc laudibus vel alienis inflammat: hæc rerum præclarè gestarum custos æterna: hæc veritatis & Iustitiæ filia: hæc merces &

præ-

præmium laboris: hæc πάντων ἥδιστον ἄκουσμα, sicut apud Xenophontem ipsa dicit. Quare malos non laudem, accipe: Qui falsis elogiis nebulonem ornat, nequior est, quàm qui verè pessimum reprehendit. Illos igitur austerè taxo. Et cur non? Theologo licet voce vel in personas debacchari: quare Poëtæ versu nõ in vitia, crimina, scelera. Nonné & nos Theologi? immò. Per officium ergò tenemur θεοῖσιν καὶ ἀνθρώποισιν ἀείδειν, de, Principis nostri, Homeri sententiâ.

licuit semperq; licebit,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Hinc tot Satyræ: tot Comœdiæ: tot Tragediæ. O Taure, Bubale! (funesta compello nomina) desinite criminis, vt desinam carminis, sed dentati. Vos tamen, Æneæ mei, non ideò vobis, vt Suffeni, placere: vos, Atimi, non excandescite. Sæpè, quà laudo, moneo: quà vitupero, præcaueo. Adulari Gnathonicè non sum ego doctus. Placere alicubi videtur mea Musa: affabilis est; non simia: non gemma: non vmbra: non vipera: non cicuta. Laudet, qui volet

Sermonem indocti, faciem deformis amici:

Ego nolim *Asino in pelle leonis* ἄλογον tribuere λόγον. Vos Myosobas; vos Glossogastoras decet κέρκῳ σαίνειν. Iam tu perge ꝑge, nõ te pœnitebit,

LECTOR BENEVOLE.

Sed tu liuor edax odio licet ilia rumpas;
Carpere vel noli nostra: vel ede tua.

ΑΠΟ-

ΑΠΟΣΤΡΟΦΗ

AD VIENNAM VIENNÆ SCRIPTA.

SAlue vrbs, heroas inter numeranda; nec vnquam
Quà stante Europam posse perire rear.
O decus! ô Diuûm genetrix; celeberrima Regum
Patria; Principibus Cæsaribusq; domus.
Pergama miretur, qui vult, Romamq; vetustam
Concelebrent prisci, scripta moderna nouam.
Ast ego virtuteisq; tuas fabricasq; referrem
Dædaleas, fieret si modò pace tuâ.
Auspice te Musâ ferrem sublimibus astris,
Si nostro virtus carmine tanta foret.
Tu quoq; doctorum cantata tot oribus oras
Per mundi cunctas & celebrata satis.
Iam scripsêre diu magni tua prælia vates,
Historiciq; canunt fortia gesta viri.
Vt quondam, totas in te quùm Thracia vireis
Vrserit, ante tuas castra locârit aquas.
Mentis habes celsæ quæ robora, prompta laboreis
Pertuleris flagrans obsidionis onus.
Si tunc cessisses hosti, belli inclita proles;
Iam trux Germanos Turcus araret agros.
Austridos ora tibi debet; Germania debet,
Totaq; Christigenis quà iacet orbis iter.
Te, qui terrarum gerit ardua sceptra, Rodolphus
Cum tribus, vt matrem, fratribus vsq; colit.

Te sacrum Imperij robur, Septemq; Viratus
Fortiùs exstructam muniit ære suo.
Te rerum domini, tot regna illustria, norunt,
Legatos quorum semper habere soles.
Te rex Hispanus! te Persis & Itala tellus,
Hunnus, Belga, Scotus, Sarmata, Turcus adit.
Hinc tua per cunctas florescit gloria terras;
Hinc arcis Diuæ mœnibus instar habes.
Clara Vienna Vienna, tuas porrò exsere laudeis
Latiùs! vt poßis, te regat ipse Deus.

DE POSONIO, POsonij tum igne læsi.

CLara tuos, Presburga, lareis quo tempore paßim
Flamma vorasset edax, tua mœnia fortè viator
Aspexi, indoluiq;, furens quòd Mulciber vrbem
In tantam laxis sese immisisset habenis.
Quando igitur factum est; fer, Posonis inclita;
Consule vicinas ac pegmate saxa resarci. (siluas
Hospita conciliis da tecta & fornice structo
Indulge hospitio; quùm te hoc dignetur honore
Cæsar, & heîc grauium coèant commercia rerum.
Primitùs heîc mactare gerenda negotia Regum
Concio dum soleat procerum, legataq; turba
Nomine quisq; suas domino proponere causas.
Iam video properare Getas; obnixà laborat
Pannonicas turbare iterum Thrax Marte cohorteis.

Iam

Iam video nostri te Cæsaris ora salutant.
Prompta viros capias, quos in medium optuma coràm
Consulere & pacis vel commoda quærere belli,
Vrget atrox hostis, pro nostro errore flagellum
Turca, datam seruare fidem cui flexile cor est.
Pulcrum est, nec sine laude, solo placuisse frequenti
Nobile Posonium! tua mœnia, rege creato,
Cum rege accipiunt ipso floremq; decusq;
Totius Hungariæ; quà sacramenta Tyrannus
Accipit, imq; viceis iurat per sacra; patronum
Se fore, non desertorem. Se corpora credunt
Tunc fidei præclara tuæ; mundi immò Potestas
Vnica, Romani latè arbitra gloria sceptri.
Austriadæ heîc quoties faciunt suffragia fratres?
Tota cient nostri solemniter agmina regni
Cæsariâ de stirpe sati, Germana Rodolphi
Corda huc accersunt, veniunt & primula in vrbem.
Arx quoq; te clarat, quòd vertice sidera pulsat,
Teq; tuosq; infert pariter sublimibus astris.
Addo quòd & virtus tua viuida nota per oras
Est omneis, & in ora virûm te prima caballis
Gloria candidulis vehit ad confinia mundi.
Flore tuo clara es passim! Respublica felix
Sancta magistratûs de more parentis honorat
Numina; par animus, par est concordia vulgo.
His lætare bonis, vrbs Regia! maximus æui
Conditor ipso tuos defendat ab igne penateis;
Ac tua sint, faxit, posthac felicia secla.

Per Tirnauiam iter faciens,

Anno 1592.

Inclita Sambuci Tirnauia *patria ſalue,*
Quam Romæ rebar mœnibus eſſe parem.
Omnibus es terris vnum ſat propter alumnum
Nota; feras taleis pòſt quoq;, quæſo, viros.

De eodem in eâdem.

Hungaricam tuleris quoniam, Tirnauia, Muſam;
Quando triumphator fòrs tuus ille foret:
Iure etiam vel propterea tibi parceret hoſtis,
Pindaricos voluit qui ſibi ſtare Lares.
Si quid frontis habet, ſi quid pietatis; & ergò
Deberet rigidus parcere Turca tuis.

Aliud.

Vrbs es parua quidem; ſi rectè cerno nec arceis
Præcipuas inter nomen habere meres.
Aſt vnum propter Sambucum gloria ſumma es;
Hoc tu Pannonibus, quod ſua Roma ſtatis.

CASSOVIÆ.

MArtia belligeros, Caſſouia, nota per Hunnos,
Regia, quæ noſtri ſceptra tuére ſoli.
Quæ nos haſce potens defendis & aſſeris oras,
Totq; geris porrò fortia corda virûm.
Vrbs mihi materies quam tu grauis vna poëtæ,
Si quid ego poſſem carmine, ſola fores.
Parua quidem tractu; ſed nomine ſparſa per omneis,

Egre=

Egregio vasti quà iacet orbis iter.
Abs te pendet humus, quàm latè fulget in armis
Dedita Cæsareis, Martis alumna, cohors.
Non reliquas vrbeis amissas esse fatebor,
Tu donec nobis arbitra sospes eris.
Prima sciens belli dominaris & Hungara pubes
Seruit ad arbitrium ponit & arua tuum.
Nil sine te, nil laude tuâ sine cætera possunt
Agmina, virtuti consociata tuæ.
Quando iubes, pedites turmæq; mouentur equestres;
Te proceres regni Cæsaris instar habent.
Imprimisq; tuis clares heroibus; orbem
Passim per totum præpete laude volas.
Est tibi Dux, qui summa gerit moderamina rerum;
Subiectis parcit, corda superba domat.
Regis ei Hungarici quùm sit concessa potestas,
Se dominum, immò patrem, pro bonitate probat.
Magne senex, nostræ caput vrbis & orbis, Erynnim
Qui Geticam felix Marte sequàce premis.
Dij, Teuffenbachi, faciant tua prælia latè
Aeternent nostros, inclite victor, agros.
Sola gubernandi cœpto sis regula bello,
Sis sumus auspiciis prospera turba tuis.
Vos etiam Cameræ queis tradita regia fornix,
Consilium ore seni suppeditare decet.
Hoc, Hoffmanne, tui sit muneris atq; tuorum,
Quem pia Sophrosyne virgoq; iusta regit.
Mœnibus estis honos quoq; vos heroica corda,
Quos, nisi bella flagrent, heic residere iuuat.

Tu floreq; valeq;, precor, Cassouia, posthac
Præco tuæ laudis carmine semper ero.
Fida fauore patrona tuum me respice vatem,
Quùm soleas doctis antè fauere viris.
Se quoq; vel cytharâ Mars ornat Apollinis; armis
Musica præclarum sæpè fuêre decus.

Ex labore gloria.

SI labor & sudor præcedat & ardua virtus,
Prompta solet tandem Gloria spontè sequi.

AD ILLVSTREM ET MAGNIficum Dominum, D. CHRISTOPHORVM TEVFFENbach, Consil. Cæs. & Capit. B. in Hung. Sup. G.

SIcut Alexander, cùm nummum posceret, vrbem
Magnificâ cuidam pro bonitate dedit:
Sic, generose Heros, vbi nuper fortè rogarem
Paucula, mi iussu sunt data multa tuo.
O rex ille fores! non vrbs, sed certa fuisset
Me regio dominum iam venerata suum.
Magna decent magnos: Augustus, gloria vatum,
Solus & AEmathiæ Dux mihi semper eris.

De eiusdem nomine.

PEr mare Christophorus Christũ tulit ipse profundum,
Nil horrens rigido monstra marina salo,

Tu Teuffenbachi, *per flumina multa, per vndas*
Ob *Christum & patriã*, Christophore, *arma geris.*
Omnipotens det, *monstra maris nostri horrida virtus,*
Iam *tua nota satis, plurima sæpè domet.*
I *modò Marte nouo præsens incommoda sarci:*
Differt, *non aufert læta trophæa* Deus.

Mecœnati meo
GENEROSO, EGREGIO,
Nobilissimoq; Domino,
CHRISTOPHORO DARHOLTZ,
de Fynthâ, &c.

CImbria *quem iactat, dux solus & vnicus ille est*
Teutonicæ *summus* Nobilitatis *honos.*
Quod Prorex Cimbris *est* Danicus, *illud es* Hunnis,
Darholci, *ingenio maxima causa meo.*
Sicut *enim primas* Ranzouius *inter equestreis*
Iure *tenet, propter* Martis *& artis opeis.*
Sic *vbi, iudicio veroq; examine fretus,*
Personam *expendo, flos generose, tuam:*
Tu *mihi nobilium iam diceris esse virorum*
Præcipuus, *gentis splendor honosq; tuæ.*
Nam *licet haud teneas huius moderamina regni,*
Sed *teneas arceis, prædia, rura, domos:*
Non *es laude tamen minùs illo dignus, equestri*
Sanguine *quòd cretus strenuus ipse vir es.*
Vt *tibi nobilitas patrita sat esset, & armis*
Magna *satis generi gloria lausq; fores:*

Inuigilas Musis, Graias Latiasq; Camœnas,
Et colis Aonios pace sagoq; viros.
Rara auis est ex nobilibus vir belliger, arteis
Cui placeantq; meæ, cui placeantq; suæ.
Tu tamen & proles Mauortia fautor & author
Doctus es Aonio promptior ipse choro.
Sanè igitur voueo, quantum virtute mereris,
Splendida Nobilium purpura flosq;, tibi.
Sidera serus adi, felici sidere natas,
Vir generose domi, vir generose, foris.

TEMPLVM CASSOuianum.

ASpice, qui transis: nisi me trux flamma vorasset,
Vrbs ædem ferret, dic mihi, si qua parem?

IN IMAGINEM SERENISSIMI AVSTRIÆ Archiducis, MAXAEMILIANI, &c.

SI Pietas, Virtus, si pingi Gloria posset,
Hâc paruâ tabulâ nunc ea picta forent.
Ora etenim Archiducis sunt hæc grauia Austridos
Qui nunc Hatuanios obsidet ipse Getas. (oræ,
Salue care Deo Princeps, Diis addite salue;
Maxime sic vultus Æmiliane geris.
Tu sola ex aliis diui patris æmula proles,
An pater, an genitus sis, dubitare facis.
Vocem, oculos, moreis, membra omnia Cæsaris vnus

Filius

Filius es similis, cui supera astra fauent.
Adde, quòd illius pietas virtusq; secundum
Nunc habet ingenium, Dux generose, tuum.
Viue modò: tua magna quidem sat gloria; toto
Incrementa tamen sumet in orbe decus.

IN IMAGINEM ILLVSTRISS. TRANSYLuaniæ Principis, D. SIGISMVNDI BATHOREI, &c.

SVbnigra, Aristoteli si credere, forma coloris
Arguit illustreis pectore, mente, viros.
Comprobat hoc Princeps, quem Transyluanus adorat,
Cuiuis & hæc vultus pressa tabella refert.
Charta heroa quidem cepit! sed fortia tanti
Gesta procul toto Principis orbe volant.
Cæsar eum bello, quasi Numen, vterq; requirit,
Promouet ast sceptrum, Díue Rodolphe, tuum.
Dent iuueni annorum plureis pia numina crænas,
Iazyges huic certè nullum habuére parem.
Viue diu, flos Bathoreæ clarißime gentis,
Laude tuâ pleni, vesper & ortus, erunt.

IN EANDEM.

CVius honos heîc est? maiestas cuius? imago
Cuius? honorati Principis instar habet.
Est igitur Princeps, quo non laudatior alter;
Corde animisq; suis fortior astra meret.

O decor Imperij, quem Dacis & Hungara tellus,
Non Ducis, aſt cari more parentis, amant.
Quam tua pictoris maturè illuſtria facta
Ora per & vultûs exhibet arte manus.
Emicat ex ipſis tua virtus inclita membris,
Magnanimas doteis myſtace, fronte geris.
De te Chriſtigenum ſpes læta perambulat orbem,
Vaticinor, primas gloria Martis eris.

GERMANIA DOCTO-
rum feraciſſima.

AVſones & Galli quos Muſica caſtra triumphãt,
Parcite cenſuræ, pectora culta, meæ.
Credere non poſſum, vobis commercia ſolis
Florida cum Clario rectiùs eſſe choro.
Cedite vos Itali; Galli vos cedite; doctos
Noſtra viros etiam Teutonis ora parit.

AD
GENEROSISS. ET NOBI-
liſs. Virum ac Dominum
CHRISTOPHORVM DARHOLTZ,
de Fynthâ, &c.

SIc me Chriſtus amet, quùm lecto hoc manè iace=
Auguſtus Cæſar viſus adeſſe mihi eſt. (rem,
Talis erat, qualem iam priſca numiſmata ſignant,
Fronde caput viridis, cætera ſimplus erat.
Cor mihi lætitiâ ſaliebat, & ora tuendo
Non poteram tanti me ſatiare viri.

Iam Maro, iam Naso, iam relliqua corda subibant,
Queis ille ingenium materiesq; fuit.
Risit & admonuit me Phœbus; an, inquit, humatos
Iam semel in lucem posse redire putas?
Est tibi, sitq; rogo, Augustus tuus, ille reuectus
Hâc sex candidulis luce redibit equis.
Omnis ab Augusto ceu surgit fama Maroni;
Sic tibi Bocatio Cæsar is vnus erit.
Gratia, Phœbe, tibi, respondeo; nonne Darholcl
Hôc mihi Christophori fiet imago die?
Tu modò surge, ait is; nunc illius esseda cernes;
Bis tres veloceis ire videbis equos.
Phœbus abit; quid ego facerem? mox linquo cubile;
Signa dat interea turris & æra sonant.
Dum moror, ecce venis, generose vir, atq; volantis
Vix potui currûs terga videre tui.
Sed video notas quòd iam diuertat in ædeis,
Teq; tuosq; citò tecta subire domûs.
Ergò mihi salue, vir præstantissime, salue;
O sis Augustus nomine req; meus.
Te Deus, ille Deus, qui sceptra Augusta Quirinis
Ipse dedit nostris, seruet ametq; diu.
Sortem hanc angustam quoq; quondam augusta seque-
Pax fuit Augusti tempore & omne bonum. (tur,

ILLVSTRI, MAGNIFICO,
& cordatissimo Heroi ac Domino,
D. CHRISTOPHORO TEVF-
fenbachio.

Non

NOn benè cum Dominis comedit vir pauper: &
Quòd nollem cœnæ mixtus adesse tuæ. (hoc est
Sed quia fortunæ me ius iubet ire: rogari
Nolo viro à tanto tantulus: ire volo.

Salutatio sub aduentum.

Salue magne Senex, Mauortis gloria salue!
Heic ego quo faciem sisto volente meam.

Eidem à cœnâ.

Simplici pro venâ mihi dulcia vina dedisti;
Paupere pro diues carmine cœna fuit.
Nec satis hoc: loculos mihi tu quoq; deinde capaceis,
Implesti multo Cæsare, largè, meos.
Nonnè vel Augustus, Mecœnas nonnè vocandus?
O studiis heros pòst celebrande meis.
Tu modò scribe tuum quoq; me: mihi crede, superstes
Cui sacra Musarum dulcia, semper erit.

Nob. & Strenuo V.
D. IOSEPHO AMMAN,
Equiti Stiriaco.

SAlue nobilium decus virorum:
Qui pro versiculis parum politis
Das quæ cuncta queant polire, fulvum
Aurum intelligo, prandiumq;: Salue.

V. Reu. & Doctiss.
D. NICOLAO BLVMIO
P. Bregensis Eccl.

Meæ

MEæ num memores profectionis,
Bregensis piè Principis sacerdos,
Meæ Leucoreæ profectionis?
Quùm dulcem leporem dares edendum,
Quando inquam, leporem dares edendum,
Tam dulcem, vt moueat vel heîc saliuam,
Sustentata fames vbi reuortit.
Si possem lepori tuo lepórem
Meum reddere: ibi vt tibi saliuam
Mouerem (licet herclè talionem
Rideres) mihi nempe gratularer.

GENEROSO, EGREGIO, & Nobilißimo Viro, D. GEORGIO HOFFMANNO, Cæs. in Camerâ Scepusiacâ Consilario principi.

MActe vir officio, nostri cor dulce Monarchæ,
Quem decorāt, grauitas, moris & oris bonos.
Queî potes inter tot curas dare tempora Musis,
Et medias inter scribere Martis opeis: (bat,
Namq; tuis, notum est, humeris quam grande recum-
Quod parit in Cameræ fornice Pannon onus.
O tibi quas memorem vires! quas pectore dotes?
O decus Hungarici stella Venusq; soli!
Quin etiam historicos, fama est, te condere libros;
Turcica per nostrum gesta referre solum.
Illud erit præstans, quodcunq; volumen in auras
Ediderit Musæ vis generosa tuæ.

Cùm

Cùm benè prodideris, quid fecerit ille vel iste,
Tam variè mendax desinet ire sonus.
Tu præ mille aliis expones consona vero;
Nam vidisti oculis prælia sæpè tuis.
Fama leuis volitat procul hinc in Teutonis oras,
Tota rudis belli spargere vana solet.
Vilibus à lixis quæ credula dicier audit,
Excipit, ac paßim fabula vera canit.
Turba redux fingit non visa; & sæpè quis intra
Hungaricum haud vidit Turcica pila solum.
Is tamen, vt mixtus fuerit crudelibus ausis,
Disserit, & pugnæ fert monumenta suæ.
Sed tu, magne vir, Hunniacæ noua gloria terræ,
Ceu paßim fuerint omnia gesta canes.
Perge; tuos fœtus exspectant luminis auræ,
Thesaurum abscondi non patientur humi.

Clariss. Viro
PAVLO MELISSO, COmiti Palatino, Equiti Aurato, C. R. & P. L.

PAulle, nouenarum collega, Melisse, sororum,
Mercurij & Phœbi clare senator aue!
Aurea doctorum Venus, & flos vnice vatum,
Sæcula Teutonico quos genuêre solo.
Nunquid adhuc superat generosi gloria voti?
Nunquid adhuc animis insidet illa tuis?
Sera mihi, sed lecta tamen sunt aurea gemmæ

Vincla

Vincla & ſemidei, quos Amethyſtus habet.
O venerande Senex! ô indelebile mundi
Sidus, & ô noſtræ præuia ſtella viæ!
Te duce Thyadibus valedixi, ac æmula feci
Caſtra iuuentuti triſte ſecutus iter.
Te duce litterulas iam ſcribere diſco latinas,
Te duce, laurigeras vertice ſcando domos.
Paulle nouenarum collega Meliſſe ſororum,
Mercurij & Phœbi clare ſenator aue.

EIVRATIO BACHA-
nalium.

NOn ego defendo pueriles turpiter annos,
Victus non rarò, qui gero bella fui,
Me duce ſed poſthac ducet quoq; nemo choreas,
Stultitiâ licet hâc iam ſatis antè vacem.
Non mihi iudicium ſumo, me dedecet autem,
Dedecet ac noſtrum mos tamen ille chorum.
Ethnicus is furor eſt? hæc ſæcla ſeracia Chriſti
Oſtendant noſtræ relligionis opus.
Siue ſit id longi moris, vel amoris amici,
Mos & amor turpis, nec ſatis iſte pius.
Sed pòſt (eiuro vitia hæc, vel teſte Iehouâ)
Dulce iuuentutis linquam ego ritè ſcelus;
Chriſte iuua, me ne qua mei lux vnica voti
Immemorem faciat, tu pie Chriſte iuua.
Te duce, Chriſte, ſitim multis tolerare diebus,
Et potero fatuos deſeruiſſe choros.

MICHAELI GENTIO

Cracouiensi, Abstemio.

QVi nescit ampla strenuè,
Siccare pocla nobilis,
Non audit orbe nobilis,
Hoc ille se vocarier.
Hoc tu tamen vocarier
Audis in orbe nobilem;
Audis at, esque nobilis,
Duplex es ergò nobilis.

VOTVM MEVM.

ECce, Sacramento vicium detestor, in orbem
Quod Satan inuexit fraudibus ipse suis.
Ignoscas, ô âlma Ceres, quam vulgus adorat,
Ignoscas cœptis, ebrie Bacche, meis.
Qui volet, admiretur, ego tua munera spernam,
Quæ das immodicâ, noxia nempe, manu.
Nolo me in moreis cerebrosi vertere vulgi;
Cui placeam è multis fors tamen vnus erit,
Mâlo in me mundus, vel totus hic euomat iras;
Quàm iustè iratum Numen habere semel.
Conditio placeat mihi nulla, vel Hungara tellus,
Si pretium ex vnâ sorbitione foret.
Dulcia nos istis hominum commercia vito,
Qualis Athenæûs dicitur esse Timon:
Nemo tamen, sic nemo suo me scribat in albo,
Vt post hac voto pocula plura bibam.

Nemo

Nemo mihi sic sit Mecœnas, nemo potentum
Sic fautor: iam tu gratia prisca vale.

PROPEMPTICON
V. Doctiss.
D. M. NICOLAO GAEBELIO,
Suid. Silesio, Iglauiâ Marcomañ: ad Cremnicensium Hungariæ Scholam gubernandam, vocato.

ERgò pios Iglæ, Præceptor amate, Penateis
Linquens, semotos pergis adire Lareis?
Quâ Mahometa graues cædes, quà bella minatur:
Omnia quà fœdo sanguine tincta madent.
Nec fera falcatæ metuens insignia Lunæ
Tela propinquorum cæde cruenta paues?
Nunquid amor stimulat Scythicâ tellure morari?
An trucibus properas obuius ire viris?
Setiger vt charitas, nosti, tueatur Echinus;
Vt tuto lateat turba nouena loco.
Nec retinere potest Stolshagius ille morantem,
Cuius ob ora virûm nota Camœna volat.
Goltzius & longâ tibi consuetudine iunctus
Non tenet; vt sine te viuere credit onus.
Vos igitur, quas Igla fouet montosa, Camœnæ,
Edite luctisonos ore gemente modos.
Quem modò vidistis docuisse fideliter arteis,
Auocat à vestrâ cultus Apollo Scholâ.
Ingenio quantum valeat! quas pectore dotes

Exerat! in ſeriem condere grande foret.
Dicite vos Charites blandæ, vos dicite Muſæ,
Profluat illius quantus ab ore lepor.
Tu quoq; nam, pubes, guſtaſti Phocidos vndam,
Qualia, dic, illo præſide dona feras?
Te docuit Graiæ mercem Latiæq; loquelæ;
Et quicquid Sophiæ myſticus orbis habet.
Gratia quæ tanto poßit pro munere reddi?
Talia quis valeat pendere lance pari?
Sed, fateor, nemo, quotquot Sol aſpicit axe,
Pro meritis nouit reddere digna tuis.
Scilicet ingenuis iuuenum qui pectora formans
Artibus, Aonium culmen adire docet:
Ac nos in lucem qui progenuêre parentes,
Non capiunt meritis præmia digna ſuis.
Et licet ingratus mundus non tale rependat,
Attamen hos cœlis dona ſuperna manent.
Dumq; tibi mens eſt abeundi, docte Magiſter,
Quò te parentem fata Deusq; vocant.
Accipe verſiculos vultu, precor, hosce benigno;
Nempe Maroneo carmine dignus eras.
Nec, mihi quæ ſtillant tenui modulamina riuo;
Cepta voluntatis reſpice quæſo bonæ.
I felix: noſter dum ſpiritus hos reget artûs,
Non potero ſemper non memor eſſe tui.
Quis licet (heu) terris Mahometus proximus adſit,
Et ſæui mittant noxia tela Getæ:
Hunc tamen, vt noſtris ceruicibus impius inſtet,
Efficiet tandem vertere terga Deus.

Ceu

Ceu fouet extensis pullos gallina sub alis,
Vultur vt haud vllâ parte nocere queat:
Sic Deus est solitus certis seruare periclis
Qui superâ pendet de bonitate, gregem.
Nec fictos cultus rebus veneratur in arctis,
Nec colit Ausonij dogmata falsa lupi.
Sed te Gnate Dei cuncto discrimine solum
Spem vitæ statuit, præsidiumq; suæ.
Has adeas igitur fatis felicibus oras,
Aspirent cœptis aura Deusq; tuis.
Neu metuas multo stipatum milite Turcam,
Neu Scythicâ noceant de regione Getæ:
Nam Deus ipse suos seruans, crudelibus ausis
Obstat, & hos nulla sorte perire sinit.

VALETVDINI

Ob Mecœnatem

V. GEN. ET NOBILISS. CHRISTOPH. DARHOLTZ, &c.

eluctatum ex graui morbo.

SAlue festa dies, meum Patronum
Quæ reddis modò publicè videndum.
Quem rursum haud meritò imbecilliorem
(Vt rumor mihi dictitabat ore,
O mendace) iterum artis ægrippellæ
Vsurpare domi cibos putâram.
Et quem rector equi incitatioris
Inuisurus eram; meis loquelis.

Vt paullùm domino diem leuarem.
Nam vox ſæpiùs eſt leuamen ægris.
Salue feſta dies; meum Patronum
Reddis, aureolum meum Patronum.
O Salus, ô Hygeia, ô Medentum
Quotquot eſtis, huic meo Patrono
Indulgete valentulos receſsûs,
Flori huic Nobilitatis, optimoq;
Quà ſe natio congregat bonorum.
Et tu ſalue, aue, & ô vale Patronûm
Sole, ô optime, in hoc ſolo meorum.

In officium NOBILIS. ET PRÆSTANTIß. virtute & eruditione Viri D. CASPARIS FRANCI, Rat. Lat. in Reg. Caſſ. Camerâ Magiſtri, Teutonicè Buchhalter.

CAEſaris vt cuſtos aſſerues, France, libellos,
Eſt iure officij pars operoſa tui.
Ipſe vel es totus doctorum cella librorum,
Quà poſuit ſedem Pallas & ipſa ſuum.
Hoc ſi Muſæum mihi coràm habitare liceret,
Vera fores Muſis bibliotheca meis.

ORIGO VERÆ NOBILITATIS.

QVinq; ſtat hic mundus iam mille, ſed addito ſeptem

Quin-

Quinquaginta annis; hos fuit ante nihil.
Stelligeros cœli tunc nemo decemplicis orbeis
Axe notans, veros fudit ab ore sonos.
Non circumfuso magni stans aëre mundi
Terra globo similis grande pependit onus.
Solus at omnipotens Deus, æternusq; bonusq;
Has prudente opifex mente tenebat opes.
Illi cùm placuit rerum causam esse nouarum,
Voce poli atq; soli tam graue finxit opus.
Omnia bis trino, sine origine, sole creauit.
Quæ iam ter gemino Numine solus habet.
Materiem lucis, cœlos, cum flumine terram,
Sidera, aues, animæ claustra salo inde solo.
Plena meæ bonitatis, ait, sunt ista: quiescens
Nunc ego iucundæ tempora pacis agam.
Dixerat: alta petit, dominari vt in omnia poßit,
Summus & æthereâ legit in arce locum.
Cætera sunt hominum subiecta potentibus armis,
Orbe feræ; volucres aëre: piscis aquâ.
Hi dominis vltrò rerum parére laborant,
Ac dant in teneras aspera colla manus.
Sanctius vnde genus pro libertate gerebat
Sceptra, nec alterius sceptra iugumq; tulit.
Libera sed veluti mens est, & imago creantis,
Hæc sic autoris mens referebat opus.
Facta modò fierent diuinis consona verbis
Iußit, at in reliquo muneris esse sui.
Vnus erat status, & serpebat hic ordo per omneis,
Ornati dono qui rationis erant.

Non honor, aut lucrum peperit, non curia curas:
Non inhonesta grauis venit in arma furor.
Aurea simplicitas regnabat, & hospita recti
Tellus, rixosi nescia turba fori.
Non peræ horrendos aliquis tunc prætulit ënseis
Per loca cùm faceret, plena timoris iter.
Cur & enim vel opes, vel opum scelerata Cupido
In varios hominum posceret ire dolos?
Omnia quippe dabat mater, sine vomere tellus:
Nectaris hîc ibant, flumina lactis ibi.
Antra domos, molleis præbebant gramina lectos;
Lana rudis vestes, quælibet herba cibos.
Non ita lanificæ properabant fila sorores,
Sera sed annosos abstulit hora senes.
Prælia vicinos poscebat in ardua nullus
Miles; in hostili nemo cadebat humo.
Nulla feram tellus gemuit, neu flumina cladem
Conscia perpetui rura fuêre boni.
Arma viro coniux, redeunti nulla resoluit,
Loricæ soboles oscula nulla dedit.
Non ducis imperium per aquas, per saxa, per ignes,
Turmas aut volucres ire iubebat equos.
Dulcia non aliquem iusserunt præmia, captâ
Primus vt audaceis ferret in vrbe manûs.
Nemo tunc titulos, nemo diadema gerebat;
Namq; Parens Natis Rex erat ipse suis.
Non humili repens aliquis de puluere, factis
Et virtute suâ, sustulit orbe caput.
Nautica non syluis pinus violata securi,

Merci=

Mercibus æquoreas carpsit onusta vias.
Fraudibus vt nemo nummis inhiabat auarus:
Omnes iustitiam sic coluêre deam.
Vt sua, quisq; tenax æqui, intentata sinebat
Commoda; sic aliis commoda plura tulit.
Non aliquis rudibus persuasit iniqua, loquendo
Arte, nec Aonius mons fuit aut Helicon.
Serta nec Ascreæ donabant laurea Musæ
Vatibus, æternos neu genuêre viros.
Donec paulatim nequam venientibus annis,
Peior & in vitium promptior esset humus.
Multa mali facies regnaret, & obuia passim
Arma armis fierent, triste minata scelus.
Castra mouerentur populis hostilia, missi
Sanguinis in sacro curreret vnda loco:
Hospes & hospitibus non parceret, ipse Parentis
Filius horrendæ dederet ora neci:
Mortalesq; suis certarent viribus omnes,
Cresceret effrenæ gentis in orbe furor.
Ecce feros Pietas astrinxit legibus æquis,
Cœlica composuit virgo bilance modum.
Vt funesta trucis cognôrat semina Martis,
Sustulit ex istâ conditione moras.
Excitat infandum genitrix Bellona duellum,
Syluæ, prata, nemus, classica dira sonant.
Mulciber hîc gladios, hîc spicula tincta veneno
Format, & horrendis ictibus arma facit.
Vnde cateruatim vidisses ire phalanges,
Ferreus in campis fulget vbiq; nitor.

Incipiunt fera bella geri, per viscera gentûm,
Huc Scelus, innocuâ cum Pietate, ruit.
Ventum est ad pugnam; violentia turbine versat
Corpora, quæ primâ millia cæde replet.
Hortatur socios Astræa, nec ipsa moratur,
Instat & imbelles in fera corda monet.
Turba suas citiùs benè consulit impia vireis,
Opponitq; nouas Marte vel arte faces.
Fortis vtrinq; manus; sed iam trepidare cohortes
Hæ magis atq; magis: pars timet illa minus.
Aurea sed Pietas mediis in millibus ardet:
Iam prece, iam pretio poscit adesse suos:
Maturate viri, sit quà datur ardor in hostes;
Te generosa cohors præualuisse sinas?
Fortia vos duris opponite pectora rebus,
Credite, res melior causaq; pandit iter.
Vt primùm cupidam sors me statione locabit,
Præmia pro meritis digna feretis ait.
Non mora: tela volant: nox ingruit atra globorum;
Eripitur clarus, nube volante, dies.
Hastarum exoritur strepitus, bombarda per auras
Plurima, Vulcano sæpè micante, tonat.
Fit spatium, tellus, steterat quà densa virûm vis,
Plena cadaueribus, sanguine plena rubet.
Terribiles animant litui, sonitusq; tubarum,
Ingentem velox æthera clamor adit.
Exanimata suas perdit pars altera vires,
Efferus vnde probum dux cadit ante ducem.
Pòst in relliquias fortuna vel impetus vrget,

Non,

Non, aliquis maneat Spiritus ossa, sinit.
Hoc virtus cupidis optauerat inclita votis:
Hoc nouus æterno tempore laudis amor.
Clara triumphatas poscit Victoria palmas;
Vox, tuba, Musica, plebs, læta trophæa canunt.
Colligit exsuuias merces, violataq; tollit
Corpora, quæ gelido cespite busta tegant.
Iustitiæ lætas generant præcordia fibras,
Vnde dabat populis talia dicta suis:
Macte nouâ, generosa cohors, virtute tulisti
Fortis, inoblito pectore, Martis onus.
Vt mecum diros cohiberes clade latroneis,
Ne scelere ipsa suo terra repleta foret.
Sed Pietas nostro Virtusq; superstes in æuo,
Semper honorandis viueret alma comis.
Quisq; suos coleret cum libertate penates,
Grata solo fierent munera, grata polo.
Quæ tibi pro tantis nunc reddam præmia factis,
Quæ par est meritis gloria quanta tuis?
Auxero diuitiis: non auxero laude perenni;
Vester & exiguo tempore viuet honos.
Non sic æternùm, non omnes viuitur annos,
Non hæ sunt longæ posteritatis opes.
Sint meliora viris, multò meliora merentur:
Sic ait, & cunctos nomine læta vocat.
Cùmq; triumphalem conscenderet aurea currum,
Ipsa legens oculis agmina tota suis:
Splendida lustrabat gladios, hastasq; suorum,
Quæq; magis cuspis facta fuisset hebes.

Magnificos iustâ pensat mercede labores,
Laudat, ad emeritam prouocat omne stipem.
Accipit argentum, fuluum plebs accipit aurum,
Quisq; suo gradiens munere lætus ouat.
Nemo leuis, nemo benè non dotatus abibat,
Hic plaustro, hic pulcro repit onustus equo.
Ille redit rutilâ vestitus corpore pallâ,
Ille gerit, magnos quæ decuêre duces.
Præterea mediis in millibus optima virgo
Eximit, & multos ex grege ponè legit.
Mascula vos, inquit, virtus æquauit olympo,
Mille manus cædes, vulnera mille dedit.
Ergò præ reliquis maiora feratis, honores,
Vt poßint vestrum condecorare genus.
Fortiter vt claro se pandant æthere gesta,
Vt videant omnes hæc monumenta dies.
En hæc in clypeo tua sint insignia: fortis
Miles, hic educto verberat ense polum.
Te leo conspicuum faciat: tibi Gryphes: at armis
Quæ gladium vibret, lynx stet acuta tuis.
Accipe tu nigras magnus quas Iupiter alas
Diligit: Hæc tibi stet dulcis honore seges.
Tu gere magnanimos, gladiis rutilantibus vrsos:
Tu cape currentis dulce putamen equi.
Nobilitatis erunt hæc signa notæq;: fruaris
Sospes, & istius muneris esto memor.
Præterea cunctis enitere viribus, iste
Nobilis vt magno fœnore crescat honos.
Quos habet, aut pariet coniux tibi fœta nepotes,

Partie-

Participes huius conditionis erunt.
Hæc ea: mox alios depromit ab ordine multos,
Qui benè placârant Pallada mente, viros.
Hinc Oratores claros, dulceisq; Poëtas,
Munera de largo donat habere sinu.
Publica qui monitis & blandâ voce creassent,
Commoda multa domi, commoda multa foris.
Viuida mansuro seu carmine facta notassent,
Nec sinerent animos dotibus esse rudes.
Horum Phœbeâ dignatur tempora lauro,
Perq; suos titulos nomina clara facit.
Deniq; consilio quicumq; vigebat, & arte
Eximia, cœlo sideribusq; locat.
Pòst ea sic toti rata stat sententia menti,
Posteritas queat his vt generosa frui.
Sed prius astra petat quàm, vel cita vergat in auras
Ad se, qui mundo iam tenet omne, vocat:
Cæsar, ait, nostrâ posthac tu sede locatus,
Orbe tuos populos, ceu Deus astra, regas.
Ordine distinguas homines, ab inertibus, illos
Viuida quos meritò fama celebret anus.
Horrida prata rudis ne sic depascat Asellus,
Nobilis ex meritò quæ comedisset equus.
Qui benè viuet, vbi sit natus neglige; viuat
Rusticus & seruâ plebe verendus eat.
Vnica nam virtus, per libera facta, Deorum
Aemula, fulgentem sternit ad astra viam.
Hinc est Nobilitas, hinc se generosa propago
Iactet, & hinc oritur, non aliundè, decus.

Non ab eo, ceras proaui qui monstrat & ortũs,
Nec virtute facit digna, nec astra meret.
Laudibus hic à me nullus priuatur auitis,
Omnis ab hoc mordax carmine liuor abest.
Filius in patrios iustè succedit honoreis,
Poßidet inuentas sanguine natus opes.
Huius & hinc series generosa vocetur vt omnis,
Maximus æternùm Cæsar & astra iubent.
Qui malè, non fruitur generosa stirpe patritâ
Natus honorificis splendidus exstat auis.
Sæpè quis exposuit, maiorum facta suorum,
Cui neq; gutta boni sanguinis vna fuit.
Absolon, Isaidæ natus de sanguine Regis
Commisit patriis turpia multa socis.
Gens Iudæa suum Christo iactabat Abramum,
Sed, patre vos nati dæmone, Christus ait.
Viuit & Aeneas, Troianæ gloria gentis,
Viuit & incestus, post sua fata, Paris.
Omnibus in triuiis & adhuc recitatur vterq;,
Ille gerit maculas, nominis ille decus.
Rex Macedo est, & qui bis millia quinq; cibauit:
Auxit hic, hic patrias dilapidauit opes.
Nobilitat multos facundæ gratia linguæ,
Quando tonant medio sesquipedale foro.
Stentora qui verbis, qui flumine Nestora vincant:
Omnia qui laqueis in sua iura trahant.
Attamen hos ego fòrs non ausim dicere dignos,
Cum queîs tu capias pocula, siue cibos.
Multas æra ligant linguas, multasq; resoluunt:

Optima

Optima ſæpè nocent, peßima ſæpè iuuant.
Scilicet hîc titulos, hîc nobilitatis honores,
Inclita facundi Neſtoris ora merent.
Qui variis patrias ditat cum mercibus oras;
Ciuibus is multis commoda multa parit.
Sunt quibus eſt anguſta domi res, atq; ſupellex,
Hi coëmunt limen rectius ante ſuum.
Res laudanda bonus Mercator, & vtile vitæ,
Tollit vbi regnis maxima damna, genus.
Si res fraude ſuas in fœdum vertit abuſum,
Quem ſceleratus amor vexat auaritiæ:
Cuius & artifici diteſcit capſula vulpe,
Egregio non is dignus honore vir eſt.
Huic ego pauperiem lætam, huic ego præfero Codros,
Quiq; greges duro fuſte bubulcus agit.
Scilicet hæc veræ ſit Nobilitatis origo,
Hanc ad quæ moneat porrige Muſa chelyn.
Iſta damus pueris, pueris linquantur & iſta,
Ille per ætatem non ſapit omne chorus.

PARÆNESES
Ad veram Nobilitatem.
PRO
NOB. GEN. ET INGEN.
ADOLES. GEORGIO HOFFMAN F.
Franciſco & Ioanni Kattai, Ioan. & Stephano Vsz,
Val. Gemes, Steph. litterati Caſſ.
Diſcipulis.

Hue

HVc ades, & patulas mihi porrige gnauiter aures
Cui genitor Musis consilioq; potens. (reis,
Non equidem ignoras quòd & hic, Hoffmanne Ge-
In patrias arteis erudiendus ades: (orgi,
Huius & Vngarici quòd summa negocia regni
Incumbunt humeris, nocte dieq;, tenes.
Disce tui, puer ô, virtutes disce parentis,
Illustraq; tuum Marte vel arte genus.
Huc & Kattaidum decus, ô Francisce, Ioannes,
Quos damus imparileis voluite sæpè, modos.
Vos etiam duo Germani, quibus Vsius ortûs
Præbuit & Clarias qui colit ipse Deas.
Tuq; adeò, cuius cognatio fortibus ausis
Ardua pro Magno Cæsare bella gerit.
Huc ades egregij benè qui fatale Satoris,
Et de literulis nomen, vt omen, habes.
Quomodo perpetuam virtutibus addere famam,
Et poßis cunctos esse, docebo, dies.
Vita quod imberbis parat, æmula sine senecta,
Tu licet expellas fuste, potenter aget.
Quæ noua mel redolet, redolet vetus ollula tymbram;
Blandula quale capit testula, tale sapit.
Iussa Dei veneranda colas ante omnia: non is
Vilis erit, fidei quem pia cura tenet.
Nil stabile est mundo, virtutem præter; & alta
Quæ duce Christo homines ducit in astra, fidem.
Est aliquid ceras maiorum ostendere priscas,
Est aliquid magnâ ducere stirpe genus:
Sed melius verâ cum Nobilitate salutem

Aeter-

Aeternam, & sanctas posse tenere domos.
Præstat enim roseo Christi esse cruore renatum,
Quàm satis illustri de Genitore satum:
Nulla sed officiis monumenta reponere claris,
Sordibus & proauos commaculare suos.
Spinea serta comis, crux, lancea, stigmata, claui;
Hæc Domini in mundo signa fuêre mei.
Hæc, Aquilis, vrsis, magnisq; leonibus adde;
Dispeream, si non inde perennis eris.
Christus erit clypei, gemmæ, aurum, prædia, fundus,
Hæc tua Nobilitas vnica, Christus, erit.
Non rabies illum mœsti premet anxia ventris,
Cœlica cui tantum iam benè manna sapit.
Non illum vrgebit sæuâ sitis arida fauce,
Qui semel Elysii fluminis hausit aquas.
Non pannosa geret quondam velamina, Christo
Indutus; sacer hæc hæc toga fine caret.
Quod facis, omne Dei refer ad solius honores,
Hic tibi cum multo fœnore reddet ager.
Raraq; cùm sit auis, quæ multis rebus abundat,
Fundi ac magnificas poßidet æris opes:
Sit memor humanæ sortis, fatiq; futuri,
Lydius ista velut sunt reputanda lapis:
Sint hodie satis æra tibi, nil crastina cures:
Aut hodie, aut forsan cras moriturus eris.
Semper adornatus nigræ stet lectulus horæ:
Certa, sed incerto tempore, Parca furit.
Nulli mors titulo, nulli mors parcit honori,
Sceptraq; post fatum, mixta ligone iacent.

Orbe

Orbe ſed hoc longam ſi vis traducere vitam;
Parce gulæ, ſi vis viuere, parce mero.
Enecat exitium plus hoc lacrimabile mundi,
Quàm ferus in curuo qui furit enſe Getes.
Nulla magis lædit ſuperum quoq; noxa Tonantem,
Quàm porcis homines quæ ſacit eſſe pares.
Huic dulci, cædes comites, huic ſtupra, veneno;
Hinc ſeges innumeri materiesq; mali.
Vnde pedum dolor eſt, pallor, timor, anxia mentis
Conditio, febris, colica, ſpaſmus, hydrops?
Vnde rubedo oculis? vnde eſt vertigo cerebri?
Vnde truces animi? corporis vnde furor?
Vnde lues fando, caſto, decori atq; pudore?
Deniq; dic ſtygiis vnde cloaca lupis?
Ebrietas eſt dulce malum, blandumq; venenum,
Dæmone quod ſuaui talia monſtra creat.
Ebrius & comedo proprios quia ſæuit in artûs,
Corporis ante dies eſt homicida ſui.
Magnus Alexander ſua fata virilibus annis
Clauſit, vt immodicum fudit in ora merum.
Argolici, portis, cùm, nocte patentibus, hoſtes
Intraſſent, vino Troia ſepulta fuit.
Pone voluptates: multos hoc lumine vidi,
Vita quibus dulcis, mors ſed amara fuit.
Non viuas vt edas, ſed edas vt viuere poßis,
Sume, ſed vt curis ſint fuga vina tuis.
Vt laudanda geras, animum ſpes fulciat audax,
Et tua cœpta roges adiuuet ipſe Deus.
Inuigila chartis, vel rebus tempus honeſtis

Perde;

Perde; ſolet turpis damna parare quies.
Aegiſthus luxu cùm tempora triuit inerti,
Turpe voluptatis fœdus adiuit iter.
Diſce bonas arteis, & honeſtos indue moreis,
Dònec hic ætatis flosq; decusq; ſinunt.
Ingenuas diſcit quicunq; fideliter artes,
Moribus ornatus debet is eſſe bonis.
Diſcito: Magnificos, per clara palatia, Reges
Quorum non puduit, num tibi ſortè putes?
Litterulas didicit domitor Carthaginis altæ,
Scipio, iam libri quos Xenophontis habent.
Magnus Amyntiades, bello feliciter audax,
Mœonidis capiti ſubiiciebat opus.
Carolus Imperio famam nomenq; parauit,
Sciuit in alternos cogere verba pedes.
Iſta regunt aulas, vrbes, regna, oppida, vicos,
His decus & pietas obtinet alma ſtatum.
O hominum mores! ô monſtra! O plena Gigantum
Secula! cur vos nil doctus Apollo mouet?
Cur vos Gorgoneum non ducit Pallas ad amnem?
Cur ſtudiis rarum fertis in alta caput?
Pro virtute gulam quis non ſectatur, & aurum,
Barbariê doctas iam populante Scholas?
Tu melius: quia frena tui tolerando Magiſtri,
Dulcia Pegaſei Numina fontis amas.
Longa, ſed arcta via eſt, Clarias quæ ducit in arteis:
Res eſt Pieridum plena laboris amor.
Attamen hinc fructûs radicis habebis amaræ:
Si malè nunc, olim non quoq; fiet idem.

At quocunq; deinde Deus te limine sistet,
Quæso tuæ nolis immemor esse domus.
Siue tibi dederit populos fortuna regendos;
Fac videant speculum te, per honesta, suum.
Non aliena tibi pariant monumenta dolores,
Contentusq; tuâ munera sorte geras.
Ipse regit valido currentia sidera motu
Phœbus, cœlestis duxq; caputq; chori:
Signa tamen non is duodena volubilis anni
Exit, & in metis æstuant vsq; suis.
Affectaret vbi currûs auriga paternos,
In stygias Phaêton præcipitatur aquas.
Ne trahat in præceps te mundi lubricus error;
Illecebris animos nulla cupido regat.
Nil fac diuitias, neu sit mortale quod optes;
Secula post cineres te memoranda iuuent.
Vnica cunctarum regina pecunia rerum,
Est omnis mundo fons & origo mali.
At si diuitias tibi mitia fata dederunt
Has non in luxum Sardanapalus agas.
Abram diues erat, Domini quoq; diues amicus,
Et pius egregias Lothus habebat opes.
Queis titulos & res fortuna secunda ministrat,
Plebs hominum tales ore frequenter habet:
Is meus affinis, frater meus, atq; susurro,
Quo mihi non nullus notior esse potest.
Pauperis vt primùm quis nomina protulit Iri
Obstructâ celerem comprimit aure manum.
Hunc plenis laudat buccis, huic scommata dicit,

O opibus quantum vulgus inesse putas!
Quas genus aut natura dedit, submittito cristas,
Te Christus cœlo propter adiuit humum.
Laus est alta dari paruis vexilla ministris,
Fascibus ac decus est omnibus esse parem.
Vnus enim velut est Deus & pater omnibus idem,
Sic nos ardori copulat vna fides.
Rex regum, mundi cui Cæsar & omnia parent,
Discipulos lymphis abluit ipse pedes.
Non omnes iubeo, grege cum reptare tabernas:
Non madidum plaustro ferre ligone fimum.
Sors dedit huic aras, huic sceptra, huic rastra: sed ante
Numina sunt vnâ conditione pares.
Distinctos sic esse gradus non fortè putandum est,
Namq; habet autorem quilibet ordo suum.
Prælia pro pietate gerunt Rex atq; Sacerdos,
Alternantq; suos cum prece sceptra vices.
Hi parêre iubent: hi frangunt ora lupatis:
Vt regno probitas crescat & vna fides.
Vindex pro tabulâ stes legis vtraq; necessum est,
Postulat hoc saluæ relligionis amor.
Hoc propter Deus omnipotens quia cætera seruat,
A quo sunt regnis, robora, fulcra, bonis.
Non vt tantùm iram fugias altaria places,
In bona te iusti Vindicis hora vocet.
Alma aliis quoniam te sic natura creauit,
Discat vt exemplo Grex pia facta tuo:
Pareat & pariat quod fasq; probumq; iubebunt,
Quæ facienda colat, quæ fugienda finat.

Musarum facili quoq; suscipe numina vultu,
Dente nec Aonium carpe minace chorum.
Mecœnas Lyricum complexus amore poëtam,
Sæpè dedit paruæ munera magna chely.
Pollio Vergilium fouit, Messala Catullum;
Dulcis Aristoteli nonnè Philippus erat?
Ossibus ossa dedit Vates, & Marmore Marmor,
Ponè habet ac tecum, Scipio magne, iacet.
Credito, de nullis meliùs te posse mereri,
Nestorea quàm quorum viuere penna facit.
Extollit, laudat, repetit, canit, exerit, ornat,
Vt benefactores, blanda Camœna, suos:
Deprimit, occultat, vitiat, corrumpit, abarcet,
Sic malefactores Musa nociua suos.
Ipse pios etiam componito pectine cantûs,
Aut agili dulcem pollice tange lyram.
Non vt ames, aliquâ vel sic potiare puellâ,
Molliat ast animos fistula blanda tuos.
Dædala laurigeræ quia Musica iuncta Poësi,
Barbarie pulsâ, mitia corda facit.
Depulit immodicas tristi de pectore curas,
Iessides, calamo, carmine, voce, chely.
Pro lituis Macedo Rex carmen habebat Homeri,
Militis vnde grauis venit in arma furor.
Det ventosa choros montanis bucca colonis,
Murmura ventriculus cùm parit, Hirce, tuus.
Rusticitatis id est; tibi Musicus arte canorus,
Exhilarat mœstos, dulce sonando, dies.
Pro benè in factis rursus meritoq; mereri

Si ne=

Si nequeas, gratus vis tamen esse, places.
Quod dare vis, non id post longas differ in horas;
Qui citò dat bis dat, sed mora tarda nihil.
Multa dies quibus est, quibus est prudentia multa,
Sæpiùs hos, numen ceu, reuerenter adi.
Annorum series cui sparsit longa pruinas,
Commoda scit vitæ dicere multa tuæ.
Crede parum cunctis: laxas qui porrigit aureis
Omnibus, is quoties quantaq; damna tulit!
Nulla fides, pietas est nulla! fidelis amicus
Nullus; aue quamuis dixerit ore: caue.
Cùm palpum obtrudit Bucco, blanditur in ora;
Hinc tacito caudam pectore vulpis alit.
Ex sermone vir, ex cantû cognoscitur ales;
Pauca loqui Sapiens, Morio multa solet.
Quos tibi longa dies, per dura, probauit amicos:
Horum tu debes semper amore frui.
Nec te fortè iuuet Gazarum præda vel auri,
Sorsúe abigat longæ pestis amicitiæ.
Est Pylades carum longè comitatus Orestem,
Dira videre pio Taurica dulce fuit.
Cum socio tristem Theseus properauit ad aram,
Nec fuit Euriali maior in orbe fides.
Nil loquor Actoriden, nil Nisum nilq; perempto
Cui Musas Elogos concinuisse ferunt:
Candida mens, eademq; hodie niue rarior atra est;
Da quis idem tecum nolit, idemq; velit.
Ipse habui, lætis qui me ceu frater amauit,
Exciderat nomen cui tamen inde meum.

Obuius vt fieri deberet, deuia quærit,
Quàq; potest, cane me peius & angue, fugit.
Centum fronte geras oculos, & singula prudens
Rhinoceros, iustâ facta bilance probes.
Si quid es, haud tibi sis, quod es, hæc quia meßis in herba est.
Es nihil, aut quod es, hoc non tamen esse potes.
Quæ lacrumas cieant, tacitâ circumspice mente,
Sic præuisa minus tela nocere solent.
Sensibus hæc imis, quia contraho vela, reponas,
Desq; locum monitis, flos Generose, meis.
His decus immortale feres, his nomen habebis,
Nobile, quà Titan statq; caditq;: Vale.

DISTICHON

Ex tempore poscenti recitatum ex Germanico:

Ein Poët ist ein Gottes Gab.

SEdibus æthereis est doctis vena Poëtis,
Et Vates donum cœlitùs illud habent.

AD NOB. ET STREN. IVV. OTTHONEM KRACHT.

CVm vobis dederit nos Maximus ipse poëtas,
Quid dare tu nobis, vir generose, potes?

Tres iam aureos Hungaricos.

GRATIARVMACTIO *ex tempore.*

AST ego mortalem te vitâ dono perenni,
Præco tuæ laudis carmine ſemper ero.
Auget opes, doctis dare munera larga poëtis,
Ergò mihi viues & benè diues eris.
Ottho tui generis flos inclite, nobile Martis
Cor; Pylium Krachti, ſæcula ſoſpes agas.

XV.

Equi generoſi virtutes.

ad

EGR. ET NOBILEM V. D. STEPH. DEBRECINVM.

QVæ ſit equûm virtus, quæ gloria, ſcribere co-
Egregius ſonipes ſi capit, iſta legas. (nor;
Hoc aſinus, vulpes, lupus & lepus, ordine bis ſex,
Hinc tria, quæ præſtans virgo docebit, erunt.
Fortia ſunt aſino crura; ingens pectore robur,
Durities lumbos craſſa ferendo tenet.
Hæc tria ab Arcadico pecore exſtant dona caballo,
Vt par militiæ ſit, cataphracte, tuæ.
Syrmaticæ triplex numeratur gratia vulpis:
Cauda volans, vertex parvulus, auris inops.
Bucephalum damnes; in magnam deſinat acer
Syluam equus, ac tenueis ventilet auriculas.
Deq; truci tria diſce lupo; nam lumine præſtat
Atq; pilis, celer eſt dum vorat, ore bonus.
Hæc quoq; Quadrupedem clarent, ſit acutus ocellis,
Impiger haud comedat, ſit iubæ amœna ſeges.

Trima leueis ornant leporeis; velociùs Euro
Currunt, exsultant, se citi in orbe rotant.
Sic & equina volet perniciter vngula campo,
In gyrum & saltûs docta sit illa suos.
Virgo etiam documenta dabit pulcerrima, doctè
Quæ meat, admittit, dulcè in amore facit.
Hoc mihi sit sonipes, quando ibo per auia; ne me
Præcipitem excutiat, sed benè mollis eat.
Ergò empture hodie taleis, Debrecine, caballos
Elige, ne per equos decipiaris Eques.

Clariss. V.
ERHARDO PLACERO, MED. D. Vet. Am.

QVòd miseris placeas ægrotis, nomine solo,
Nomine req; ipsâ, clare Placere, places.
Multa auis est Medicus, quem nauseat omnis: inertis
Difficileisq; nimis nemo probare solet.
Clare Placere, vale. te docta Placentia faxit
Porrò placere solo, porrò placere Polo.

In Iconem
ILLVSTRIS ET MAGNIfici Domini,
D. CHRISTOPHORI TEVFFENbachI, L. B. & Cap. Gen. bellici, in Hung. Sup.

Sic

SIc equidem gerit ora Heros oculosq;, gubernant
Cuius in Hungarico Martia sceptra solo.
Exprimere hos vultûs sculptori est licta potestas;
Exprimet ast nullus corda animosq; virûm.
O felix, præstare quis hoc si posset Apelles;
Scilicet humana maius id arte foret.
Quanta sit huic virtus, Cæsar testatur vterq;,
Hosticus, & qui nos vindice Marte beat.
Mascule dux salue! Prorex celeberrime salue,
Qui tot Praxiteleis totq; Myronas habes.
Aemula quæq; tuos vult pingere, sculpere vultûs
Dextra; sed artificeis vincis honore manûs.
Excedit scriptas tua mens heroica chartas:
Terram imples meritis: laude per astra volas.

Etiam in hoste laudanda Virtus.

QVid mirare! meos celebro quòd sæpiùs hosteis?
Digna cani virtus quà modò cunq; venit.
Non ego personam, personæ laudo probatum
Si quid habet. labij corripe frena tui.
Vis me propterea prauè simul esse latronem,
Laude ego quòd sollers macto latronis opus?
Sic dispensator Domino laudatur iniquus;
Sic ipse Smaragdos in meretrice probes.

In Poêtas, de gente Hungaricâ sinistrè scribenteis.

BArbara ſæpè feroxq; nimis gens Hungara verſu
Dicitur in chartis, clare Sabine, tuis.
Tu quoq; Petre canis toties (ignoſce) Lotichi,
Eſſe feras, rigidos Pannonas, eſſe truceis.
Vosq; alij Momis fòrs credula pectora, vates
Quos in Teutoniâ doctior orbis habet:
Non ſemel in miſeros tam prauè ſcribitis Hunnos,
Ac ſi de reliquis peßima turba forent.
Olim ego credebam! iam nec volo, neu tibi poſſum
Credere, Pannonici neſcia turba ſoli.
Heîc ſi eſſes, aliter ſentires, Teutonis ora:
Germanâ poſſes rem recitare fide.
Iſta domi placida eſt proles, foris aſpera bello;
Tu ſed pace leo, tempore Martis ouis.

IN SENDEROVIAM.

EN, qualē ad cœlos heîc ſurgere cernimus arcem?
Pileolo ſtructum ſidera pulſat opus.
Musa refert: Diui fecêre hoc æra Rodolphi;
Illius auſpicio celſior iſta ſtrues.
Quò Turcas contra gens Hungara tutior eſſet,
Prouidus hoc Heros monte parauit opus.
Rudera ac inferius, deiectaq; ſaxa quid ad rem?
Muſa refert: ſedes Bebbeciana fuit.
Digna ſtrui non eſt arx quondam Marte rebellis,
Et defenſori non ſatis apta ſuo eſt.
Quos tamen vlteriùs poſt vndas cerno penateis?
Oppida ſunt oculis obuia bina meis?

Muſa

Musa refert: habitat proles ibi Martia; forteis
Prima tenent Hunnos mœnia pacta luto.
Altera Germanas defendunt aggere turmas,
Dux Rottallerus quà benè sceptra gerit.
Sendreadum, voueo, Turcis notissima virtus
Floreat & sacri Cæsaris ornet agros.

Symbolum
SERENISSIMI AVSTRIÆ
ARCHIDVCIS MAXAEMILIANI:
Christo duce, comite Fortuna.

Nil ausim absq; Deo, Diuûm sim sanguine cretus
Ipse licet; seu pace fruar, seu prælia cernam.
Iamq; vbi me patriæ & succensum laudis amore
Bella iuuant contra rigidos hæc aspera Turcas:
Si quicquam mihi pollicear sine Numinis alti
Consilio, auxilioúe animos & robora perdam,
Nil mea sedulitas, mea nil sollertia prosit.
Nî prius & præsens Ducis instruat arma magister,
Cui mea se semper credit prouincia Christus.
His certè præstans comes est victoria castris
Queis Christus dux est, sequitur Fortuna, propin=
Bellis celsa piis: ductoribus addit honores. (quart
Marti vbi se Christus medium insert æthere quondam
Qui didicit grauis hostes debellare superbos.
Is dudum est bello satis exploratus & armis.
Verus is Alcides: plus Hectore, plus & Achille
Præstitit, & victor per tot discrimina rerum.

Nigra

Nigra triumpharent quùm Tartara & vltor Auerni,
Egregiis tandem ſpoliis ſuccederet alto.
Mars, Pallas, Bellona, meis exite triumphis,
Quæ penes eſt Chriſtus, ſola hæc ego prælia laudo:
Chriſto igitur duce, fortunâ comite ire ſecundâ
Non dubito grandes in bello Ductor habenas
Hoc regere, & lapſis me inferre per ardua rebus.
Chriſte ſaue dux, adſpira comes aurea ſortis.

ALIVD
In idem laudatiſsimum
Symbolum.

MAximus Hungariã cùm Princeps rurſus iniret,
Quem ſummum in bello vult Deus eſſe Ducem:
Inter tres grauis eſt contentio nata Dearum:
Pallada, Iunonem, & quam flagrat ipſe Deus
Auxiliando prior quæ debeat eſſe? Minerua:
Quòd ratio imprimis proſpera bella gerat.
Aera quid exhibeat Saturnia? Martia coniux:
Quòd comes in Turcas terror & horror eat.
Mars litem dirimit: duce Chriſto & ſorte ſequaci,
Nil, ait, eſt veſtris nunc opus auſpiciis.

In Poſtillam
GEN. ET EGR. DOMINI
CHRISTOPHORI SOOS
de Sokwar.

HEus vos Hungarici proceres, audite, quid oras
Plus decoret, veſtras Martis an artis honos.

Bella

Bella viros faciunt: esto. liberrima virtus
Plus agit; heîc paucis fortibus esse licet.
Ex vobis rari florerent; vos nisi in arma
Ob defendendam Turca cieret humum.
Nam si feliceis quos Gloria porrigit alto;
Magnifico clarent sorte fauente choro,
Scilicet ille suis laus est natalibus; ille
Nobilis est, patriam clarat & ille suam:
Marte aliquid proprio qui primutùs audet, & vsu
Omnibus esse cupit militiæ atq; domi.
Exemplum, Inuidiâ vel teste, Soossius hic est
Christophorus, fecit quem pia penna virum.
Ah quàm formosè generasceret Hunnidos ora,
Si passim taleis ferret amica Soos.

GENEROSISS. ET EGR.

Amplissimoq; V.

D. GEORGIO HOFFMANNO,

Cæs. in Cam. Scep. prim. Consil.

NVper vbi sonipes mihi quidam traderet Hunnus,
Hoffmanne, ex Musis verba profecta tuis:
Mentiar & peream; mihi si data gratior vnquam
Littera, dum supero, dum lego scripta, fuit.
Mel, Charites, Venerem, Ambrosiam, Nectarq; lepo-
Accepi, & si quid dulcius esse potest. (resq;
Me tenet vmbra silens, tenebris obscurior ipsis:
Tu magno passim clarus honore vir es.
Mi decus est nullum; mihi gloria nulla pusillo:
Tu notus terris & super astra vir es.

Vilis

Vilis ego circum puerilia pulpita ſudo:
Res tibi cum magnis Principibusq; viris.
Quæ tamen eſt virtus tua, me ſic omnium egenum
Dignaris, præſes maxime, luce tuâ.
Scribo: reſcribis. taceo: ipſe ſilentia rumpis.
Poſtulo: das. mitto vilia: magna refers.
O me felicem! mihi gratulor ipſe; nec vnquam
Dixero me miſerum, tu mihi donec eris.
Vt nil ſim, & placeat mihi ſimbolon iſtud inepto:
Nil didici, præter dicere; nil didici:
Nonnihil at fieri me quondam poſſe putabo,
Vt quid iudicio me rear eſſe tuo.
Et ne dura nimis tibi noſtra modeſtia dici
Poßit; ad arbitrium iam loquar iſta tuum:
Non aliquo ingenio: non Pallade glorior vllâ:
Succeßi doctis ſed tamen ipſe viris.
Huius enim Ludi quoq; quondam rexit habenas
Vernerus, ſæcli laus ſatis ampla ſui.
Pòſt illum virtus ad magnos traxit honoreis,
Cæſareo nomen cœpit habere foro.
Eius adhuc reſtant iſtas monumenta per oras,
Multum illi acceptum Pannonis iſta refert.
Illius in magnis prudentia cognita rebus,
Præcipuè in Camerâ præſide, ſæpè fuit.
Ardua compoſuit ci:ò mente negotia: gentis
Hungaricæ Sapiens & Solon alter erat.
Heîc etiam, celebris Muſarum fama, Gelous
Virgea præceptor ſceptra docendo tulit.
Sed quia erat multis ingentior arte loquendi,

Et varias

Et varias Suadæ doctas alebat opeis:
Hunc Deus ex tenui produxit puluere Ludi,
Carus vt huic regno Principibusq; foret.
Officio ex humili fasceis surrexit ad altos
Flos Genij sollers, clare Fabíne, tui.
Hanc tu consiliis moderatus es acribus vrbem,
Debet & auspiciis curia nostra tuis.
Non tamen interea potuisti linquere Musas:
Ob votum, priuo sub Lare doctor eras.
Quid reliquos memorem, quos Gloria sustulit olim
In magnum ex nostrâ conditione locum.
Hoc Deus ipse facit, qui, quos vult, tollit in altum,
Quos vult, ex alto præcipitare potest.
Nescit adhuc mundus, mundo quid subleuet æther:
Prouebit Omnipotens parvula, magna premit.
Vidistinè satos genitoribus addere fasceis
Fascibus, & simileis laudibus esse patrum?
Natus vbi Tulli? quid Achillis filius? iste
Martis iners, artis ille: at vterq; fuit.
Te, Marce, eloquium; te bello illustria facta,
Tessale Dux, faciunt maximum in Orbe decus.
Tam fauet angustis, augustos nauseat ipsum
Numen, & hôc homineis iam creat orbe nouos.
Et mihi fòrs aliquis Deus arridebit; Apollo
Aut alia inuenient Numina dextra viam.
Sed quid ego mihi posco Deos, Hoffmanne, benignos?
Nonnè mihi solus tu Deus esse potes?
Tu Deus esto mihi, Romani in Cæsaris aulâ,
Tu præsta Musis dulcem Helicona meis.

Hoc

Hoc virtutis amor, rerum hoc prudentia maior
Postulat; hæc studio sors foret apta meo.
Tu modò, vir præstans, ô rerum dulce mearum
Præsidium; pro me pauca disertus agas.
Sic tibi, Mecœnas ô optime, maxime, cœlum
Rideat, & sic te sospitet vsq; Deus.
Sic tibi dent superi, quicquid non antè dederunt,
Stet tua fama solo, vita salusq; Polo.

Φιλοσωφροσύνη

ad

NOBILISS. V. DOMINVM GEORGIVM HOFFMANNVM,

Cæs. Consiliarium.

AN dubitem, an credam? crescit prudentia vino;
Non sapiunt, facileis qui venerantur aquas.
Censuit hoc olim quidam: non fidam ego, vel si
Suada hoc oripotens diceret ipsa mihi.
Heîc magè ero Thomâ, mihi crede, incredulus, & me
Discipulum Phyrrho iam velit esse suum.
Cur vetuêre suis fasces hoc regibus olim?
Cur oluit nullum curia multa merum?
Cur Rex ille omnes iussit proscribere vites?
Cur lex sunt Getico dona lyæa solo?
Non dubito, sed credo: perit prudentia vino;
Et Salomon Morychum, cùm bibit illa, sapit:
Cæsaris ô fidum cor! nonné, Hoffmanne, fateris,
Me satis heîc Genio dicere digna tuo?

Te sim-

Te ſimplex iuuat humor aquæ: ſunt nauſea Bacchi
Munera, at ipſa tuo Pallas in ore ſedet.
Quid loquar ingenium? doctas quid acuminis arteis?
Quàm ſis conſiliis, ore, ſtiloq; potens?
Quàm tua difficileis ſollers induſtria cauſas
Expediat? probitas quæ tibi? quanta fides?
Plus alis tu mille vides, præuiſor & auceps
Temporis, vt ſpeculâ luce ſagace notas.
Sed ſua quem virtus commendat, an indiget ille
Ellogio? ô ſalue, magne vir, atq; vale.

V. Prud. Opt. & Doctiſs.
D. MICHAELI WIRT,
Not. & Senat. Epperieſsino.

ILla nec eſt prudens nec ſat reſpublica felix,
Cui vinoſa præeſt curia.
Nil præcepta iuuant, nî ſint exempla regentum
Omnia præceptis conſona.
Sic etiam Ludi quiſquis moderatur habenas
Sceptra gerens rector virgea,
Paſtorem tanquam ſi non ſchola tota ſequatur,
Rebus in eximiis æmula:
Quicquid agat doctus dicatúe docendo Magiſter,
In ventos fruſtrà diffugit.
Sed vice tum verſâ feliciter omnia cedunt,
Cùm ſpeculum pubes adſpicit.
Exſequitur nutu, ſi quæ data iuſſa, iuuentus,
Quando ſequatur habet quem benè.

Hæc mihi dum subeunt, præceptor & ipse labori
Iungo quod officium postulat.
Hæc ratio vitiis obstat custode remoto
Ne iuuenes faciant turpia.
Vita mihi cœlebs specie quia ducitur istâ,
At malus heîc aliquis fòrs erit.
Assecla sed quisquis fuerit meus auspice Christo,
Nestoreos annos transigat.
Dic mihi iam, Michaël, tua quæ censura sit, ista
Carmine quòd facio prælia.

Symbolum
DOCTISS. V. DOMINI
MATTHIAE THORACONYMI:

Piè, modestè! Deus prouidebit.

Viue piè! fastu sine fac peragenda modestè;
De reliquis clemens prospicit ipse Deus.

Symbolum
ADAMI KVNISCHII,

V. litteratiß. & opt. Conrect. Cassouiani, cariß. mei amici.

ΟΙΣΕΟΝ ΚΑΙ ΕΛΠΙΣΕΟΝ.

Ferendum & sperandum.

Saepè quis ex humili desiderat ire popello,
Et tamen, vt sese maceret, vsq; iacet.

His

His ego vidi oculis, qui frustrà prouidus imis
Sensibus, vt census diues haberet, erat.
Pendulas is miserè laqueo trabe nexus in altâ
Propterea factus littera longa fuit.
Non me suspendam tamen, vt sim pauper, & auctos
Fortunæ reliquos dotibus esse sciam.
Fingo: fui cæsus; me sors deiecit, vt Irus
Mox fierem; rursùm spero feroq; Deam.
Non me suspendam, vel si mihi vincula Turcæ
Dent, ac terga truci fuste dolanda forent.
Nilq; breueis Gyaros, nil palleo carceris antrum;
Si fas, pistrino tradita pensa molam.
Cur animer quæris? cor habet fiducia, certum
Spes faciet: nunquam, qui benè sperat, obit.
Nonné Dij superant? nec adhuc versatile cœlum
Dum spiro, spero; cætera Christus aget.
Cannabe non opus est tortâ, non sanguine misso,
Dum qua viris spes est in bonitate Dei.
Ipse pater gentium contra spem credidit in spem,
Hinc populus tecum viuit, Abramo, tuus.
Sperat Hiems floreis, Flos messeis, horrea Meßis,
Horrea contemptæ rusticitatis opes.
Vt patiar, potior iam primitùs: altiùs olim
Ibimus: & quercus primula virga fuit.
Sæpè tuli maiora: ferunt maiora potentes:
Non mulier, vir sum; quod fero, ferre decet.
Si mihi dulce haud οἰστέον ac ἐλαωιστέον esset;
Non adamas fortis, mollis at Eua forem.
Quid nõ confundit? Spes. quid scit perdere? non spes:

Spes ſalue, ô animæ nobilis eſca meæ.
Mens confiſa Deo confuſa recederet vnquam:
Non ita; ſpes mediâ viuere morte facit.
Sperandum ergò mihi melius, peiusq; ferendum;
Pro terrâ cœlum, Spes mihi req; dabis.

In gratiam D. MICHAELIS WIRTII,

Notarij Epper.

Ex verbis illis quatuor:

Vocabis nomen eius IESVM.

Matth: 1. cap.

V *Era Dei Soboles, Patris indelebile Verbu* M
O *mine cui miro iam totus plaudit Olymp* I
C *œtus; nec ceſſabit, erunt hæc ſæcula done* C
A *eternum peperit quem virgo puerpera Silo* H
B *ethlemiæ turres quà ſtant & mœnia paru* A
I *ſacidumq; domus. Salue, Puer optime, ſalu* E
S *alue, ſancte Puer! decus æui, Iuſtitiæ So* L
N *imirum hæc te noſtra ſalus ſub paupere cult* V
O *ptatam impulit heic maſſam hanc aſſumere part* V
M *irando. tua nam Genetrix ignara marit* I
E *nixa. Iſta tuum nunquam ſat, Chriſte Redemto* R
N *omen honoremq; æternùm mea plectra ſonabun* T
E *ia venis, Homodiue gerens venerabile Nome* N
I *n terram, eia venis, cœlo delapſus ab alt* O
V *erus homo, verusq; Deus; quùm nulla fuerun* T
S *æcula, promiſſusq; ſolo cùm offenderit* E V A

Induis

I nduis hanc nostro massam de corpore frate R
E t geris hos infans artüs, quos ipse creast I
S is bonus Immanuel, mecum dulcißime Ies V
V t quæ iam patria est, cantet tibi publica laudei S
M eq; Notario & heic res crescat vt Epperiensi S

NATALIS DOMINI.

Humani generis spes longa renascitur; atq;
Orbe renascatur Pannonis, opto, salus.

MICHAEL WIRT.

M ystica Musarum Mecum Modulare Michaël
I ucundo Infanti Iucunda Iteremus Iesu
C armina Cudentes Caro Cunabula Christo.
H aud Horrescenteis Herodis Hauebit Habenas,
A ulæis Aut Augusti Adspirabit Auaris.
E rrabundus Egens Erit, AEgypto Exulabũdus.
L udibrium Ligno Legis Lethale Litabit
V ictima: Verberibus Vexabitur Vndiq;, Vita
V t Violabilibus Viuatur Vera Vicißim.
I rremeabilis In——Iustis Infernus Iniquus
R escissus Rosido Resignat Rore Ruinam
T ristem: Talia Tollentur Tormenta Triumpho.

Nænia Mariæ.

BLande puer, mellite puer, mi Iesule, dormi;
Claude tenelle oculos, Iesule, claude tuos.
Bellule, somniculum cape, Iesule sanctule, dulcem;
Blandulus eia venit somnulus, eia venit.

Blandule ſomne veni citò lumina claudito Nati,
Eia meus dormit melleus eia puer.
Dulcia filiolo ſaliunt cunabula noſtro,
Tale meo Gnato pſallitur ore melos.
Anna, iube maneat, maneat vir peßimus extra,
Ploranteis pueros qui ſibi ferre ſolet.
Dic noſter puer eſt procul hinc cum matre profectus;
Dormit & ille alibi, dormit & ille domi.
Quære alios, male vir: probulus nam Ieſulus anni
Tempore ploranteis non amat ipſe puer.
Anna veni, pulcer iam Puſio clauſit ocellos,
Iucunduſq; tenet lumina victa ſopor.
Molliter accipe ſic, cunas in deuia pone,
Corculum vt hoc noſtrum dulce quieſcat, abi.

Reu. & Doctiſs. V. D. IOANNI BALOGO, Theol. & Poëtæ. A. Car.

MActe vir ingenio, Chriſti Phœbiq; Sacerdos,
Quem penes eſt grauitas, moris & oris honos.
Hæc à fragoſo tibi littera fertur Epeiro,
Quis mittat, quæris? ſcitum ei erit melius.
Ecquid adhuc tardas tua dulcia tradere luci?
Durus an in tenebris illa iacere ſines?
Iane, nouenarum mihi fœdere iuncte ſororum,
O & amicitiæ lucida gemma meæ!
Aureolos fœtus expone in luminis auras,
Ac te participa, docte Baloge, tuis.

Hoc

Hoc niueæ mecum Dominus vult ipse Demetes,
Is, qui Mecœnas nos velut alter amat.
Mira mera & leuitas multos quid scribere iußit:
Tu quicquid scribis, scribis id omne Deo.
Tu sacer es Christi vates, vt maximus olim
Romani assertor Scæuola iuris erat.
Te non pauperies in carmina cogit, & illud
Non iubet, vt paßim docta per ora voles.
Sorte tuâ viuis contentus: splendida mundi
Nil curas; modò te splendor in Axe beet.
Corpus vt vmbra, tamen sequitur sua gloria vates,
Immortalis & hic cogitur esse chorus.
Præterit ætatis flos; morte peribimus omnes:
Nulla perit Clarij famaq; lausq; viri.
Perge, Baloge; nec est metuas, qui fortè Theones,
Lectoremq; tuum, cæcaq; tela paues.
Nil paueas: quò plus fugiendo cedimus hosti,
Hoc minùs aduersis credimur esse viri.
Magna solet liuor, non carpere parua; Maronem
Dente Theonino qui laceraret, erat:
Perge: vt non placeas Momis, erit vnus & alter,
Qui dicat: Lauro dignus & iste suâ est.
Nescit adulari mea Musa; obtrudere palpum
Nescit; at hoc de te scribere iure queo:
Te penes Argiuæ flos est, Latiæq; Camœnæ,
Te prope Pannonici sanguinis esse negem.
Tu legis eximiè vestigia docta Maronis,
Dum canis heroo grandia gesta sono.
Tu Nasoniaci fluis æmula carminis, audax

Quando per vndenos quid modulare pedes.
Deniq; tu numeris vates & Horatius alter,
Doctus vbi Ausoniam vis resonare lyram.
Ergò, licet laudare etiam soleamus amici
Non laudanda; tamen sunt tua digna legi.
Plus tua me capiunt tria metrica verba poëtam,
Quàm quæ versifices millia mille vomunt.
Perge; nec irasci tibi sic patiare Camœnas;
Perge, nec Aonias Numina temne Deas.
Perge; tuis Codris rumpantur vt ilia, perge:
Si Deus est tecum, quis tuus hostis erit?

Smelnice.
vel
AQVA OPPIDI HVNGAR.

Smelniciæ, ferrum in Cuprum commutans.

HVc mirator ades rerum, qui maxima paruis
Miracla arbitrio subiicis ipse tuo.
Huc oculos, animos, huc omneis dirige sensûs,
Quæ natura rei conditioq;, refer.
Quæ ratio, quæ causa? vides, mirabilis vndæ
Vnde metalla tamen fons variare potest?
Scilicet abs hominis res hæc ratione remota est,
Heîc nec Aristoteles, quæ sit origo, probet.
Hoc nimirum operatur adhuc diuina Potentis
Dextra, cui nostri páret & vnda soli.
Quùm genus Isacidum fugeret Pharaonis ab oris,
Esset amaricies quòd Mara, sensit aquis.

Legi-

Legifer has Moses correxit, & arboris aureâ
Cœlitus ostensâ, mitificauit ope.
Mortiferos fonteis sale viuificauit Eliæ
Discipulus vates vatis & ipse comes.
Smelnicias sed nullas aquas ita temperat; alti
Hæc igitur virtus solius illa Dei est.
Gratia, summe Pater, tibi summa, quòd vsq; per oras
Vtiliter populis has operare Deus.

LAVS MEDICINÆ

Ex dicto Ecclesiast. 38.

Honora Medicum propter necessitatem, quia Dominus eum fecit.

ad

MAGN. ET EXCELL. V. D. NICOLAVM DE BVCELLIS Ital. olim Steph. R. Pol. Archiatram, Med. Doctorem Cracouiæ.

CRedere si Græcis fas est, Epidaurius ipso
Aesclapius Phœbo dicitur esse satus.
Ex hoc rursùm orti Podalirius atq; Machaon,
Par medicum toto nobile in orbe satis.
Queis Medicen voluit pia commendare vetustas,
Heic sua quò claris laus foret arte viris.
Inuentumq; Dei quòd crederet esse Medenteis,
Aetas prisca fuit grata memorq; magis.
Hinc Medicos opibus magnis & honoribus auxit,
Insertos claro iussit & esse loco.

Non paucis grandeis paßim ſtatuêre columnas,
Pharmaca vel ſancti numinis inſtar erant.
Et meritò ; ægrotis qui ſcit benè reddere vireis,
Is certè magno dignus honore vir eſt.
Biblia pro nobis faciunt, non Græcia mendax,
Si quid Siracidæ pectoris eſſe putas.
Vt Doctor præſtet medicaminis, efficit ipſe,
A quo noſtra venit vita ſaluſq; Deus.
His igitur cœlum quòd honoreis deſtimat altos,
Clarat Apollineos gloria iure viros.
Verùm hodie paucos laus iuſſa celebrat, & ægra
Vel fera Barbaries Pœonas ore petit.
Iam, licet egregij, vano ludibria vulgo
Sunt Medici, & laudeis neſcit Apollo ſuas.
Liuor edax illos manet, Obtrectatio carpit,
Doctus & arte potens ſtellio nomen habet.
Clamor it : an Medicus faceret mihi grandius æuum,
Horas ipſe ſibi proroget antè ſuas.
Terminus eſt ? fruſtrà medicamina quæris, in vrnam
Proiicit Archibius forſitan ægra ſuam.
Turba tace ; non eſt ea noxa Machaonis ; annos
Ille dat integros, cætera numen agit.
Et ſi ſæpè nihil Crateri curatio prodeſt,
Hæc ægrota ſibi membra parare ſolent.
Tradita non ſeruant alij præcepta, recedunt
Mox â præſcriptâ nil toleranda viâ,
Aut alij, poſcunt quod ſacri dogmata verbi,
Non præſtant, morbos impietate merent.
Quin etiam paßim vult quilibet eſſe Machaon

Sartor,

Sartor, fartor, anus, Mysta, Scholarcha, rudis.
Sic ars vera iacet contempta, & nescia recti
Natio, iudicio priuat honore bonos.
Quis neget, ah miseris nobis genus esse caducum;
Hoc infirma mari nil nisi bulla sumus.
Ah Medicis melius nil maximus orbis haberet,
Aeternos possent si dare spontè dies.
Sed quòd pestiferos possint depellere morbos,
Nì peruersus homo, nemo negare potest.
Hos etenim floreis Natura creauit ad vsus;
Hinc quoq; vel miseris gramina nata feris.
Ceruus vbi iaculo se læsum sentit, ad herbam
Dictami cursu præpete quærit iter.
Arte Machaoniâ se Cecropis erigit ales,
Est & amans sani Daulias ipsa chori.
Comprimat os igitur sibi dira Calumnia: Phœbi
Esse Sacerdoteis vult in honore Deus.
Per mare, per terras quibus est doctrina parata,
Fecerunt sumptûs semper in arte graueis.
Hos, inquam, hos, quamuis ringatur plurimus, æquum
Inter honorandos nomen habere viros. (est,
Et pia Siracidæ Medicos quia scita celebreis
Suspicere, & magnâ tollere laude iubent:
Forgaciana domus monitis his applicat aureis,
Vult Medicos certus porrò sequatur honos.
Clare Machaoniis pater artibus, inclite Doctor,
Qui de Bucellâ nomina stirpe trahis:
Huc te Sarmaticis nuper deuexit ab oris,
Corpora quò fidei crederet ægra tuæ.

Quæ,

Quæ, precor, vt releues feliciter: arte reseruas,
Vt posthac semper membra valere queant.
O Bucella, *tuam, celeberrime, grandibus artem*
Ad cœlum vates laudibus vsq; feram.
Hippocrates *alter*; Podalirius *alter*; Apollo
Alter eris noster tempus in omne solo.
Sed, *venerande senex, quoniam tibi tempore nostro*
Non habeat Medicum Sarmatis ora parem:
Quod Stephanus Rex Bathoreâ *de stirpe professus,*
Quando tibi corpus crederet ipse suum:
Quùm quoq; mortalis tu sis: pia numina poscam,
Dent, superes Pylium Nestora in orbe senex.

Clariss. & Excell. V. D. ANDREÆ CVRTIO Med. Doctori.

TV *quoq; præstantis salue collega* Bucellæ,
Hungaris absentem quem dolet esse virum.
Bodrocides *Nymphæ testantur & vnda* Tibisci,
Mœnia Pannonibus *quà* Tocaina *iacent.*
Iam tamen acito tibi Magnas páret in aulâ
Forgaciâ, *dominus gentis, amorq; domûs.*
Clare *Machaonij flos & noua gloria cœtûs,*
Fac, sint Patrono prospera membra meo.
Cura, quæso, patrem natumq; potentibus herbis,
Pœoniis fiat sospes vterq; cibis.
Ars tua Parcarum domitrix protollere mortem
Sæpè potest, vireis suppeditante Deo.

Vt rata sint, Curti, medicamina & ægra triumphent
Corpora, deposcam supplice voce Deum.

Mecœnati.
GEN. ET EGR. DOMINO
CHRISTOPHORO DARHOLTZ
de Fynthâ, &c. In ipsius aulâ
Demetanâ.

HAc Musæ totâ duxerunt nocte choreas,
Tu quòd heri cytharâ luseris ipse tuâ.
Sed quia, Mecœnas, fidicen, velut alter Apollo,
Pollice tam docto luxuriare potes:
Orphea miretur, qui vult: Delphines Ariona
Auscultent; Clarius tu mihi cantor eris.

IN ARMA INCLYTA
Forgacianorum gentis.

MArs aurum & clypeos, merita est ars clara pu-
Hoc Insigne domus Forgaciana gerit. (ellam;

DOCTISS. ET CELEBER-
rimo Poëtæ
FRIDERICO TAVBMANO.

HAs quoq; contigeris si tu, Taubmane, pagellas,
Sis mihi, Reusnerum quod cupis esse tibi.
Barbara me tellus: te Leucoris ipsa poëtam
Fert. me simiolum; te decet esse virum.

Est

Est Erato tua sublimis : mea Musa pedestris
Serpit humi : cœlum tu pete ; terra mea est.

Ellogium Hungaricorum *equorum.*

ad

Mecœnatem

GEN. ET NOBILISS. D. D. CHRISTOPH. DARHOLTZ, *de Fynthâ, &c.*

SI Culicem cantare Maro : si magnus Homerus
Sustinet & Ranæ memorare & prælia Muris :
Siq; alios vateis, illustria versibus ora,
Nil tædetq; pudetq;, animas describere paruas,
Exigua æternâ donare animalcula vitâ :
Quare ego, Mecœnas, nolim celebrare Caballos
Egregios animis ; belloq; domiq; tot vsûs
Queîs insunt, robur præclarum atq; ardua virtus ?
Quos rerum domini, proceres, magniq; Dynastæ :
Tot reges, generosa & viua sedilia pressant.
Hos celebrabo igitur : quæ scitu & digna relatu
Suffice, Musa, chelynq; tuam, generose Darholci,
Haud renue, ast nostris faueas compendia rebus.
Est animosorum tibi copia blanda Caballûm.
Te duce quadrupedéis igitur laudabo sonanteis,
Hungara præstanteis quos parturit inclita tellus.
Si qua tenet rerum gentem per Pannonis oras

Cura,

Cura. quibus foris atq; domi queat acriùs vti:
Præcipua est ea sollicitudo laborq; nepoteis
Belligerûm armigeris nutriri semper equorum
Semper apricanteis per campos millia pasci
Multa iuuencorum, queîs libera colla, domando
Dum sint apta, viros portare, aut iungier axeis
Ante leueis; currûs agitare per arua volanteis
Vtraq; piscosi testatur ripa Tibisci.
Quà innumerabilibus passim errant multa lupatis
Agmina: cornipedum tot membra ferocia pascunt.
Illorum haud paucos mea sæpè receptat Epeîrus;
Hanc, de more, intrat cùm plurimus institor vrbem.
Quadrupedum iuuenis, furit extra mœnia proles,
Vendere, turmatim, quam dux solet, acris Agaso.
Sæpè ego naturam miratus, amore videndi
Egressus, pecoris primordia dura laboreis
Emptori eximios pariunt, dum ferre recusant,
Sessorem, ante rotas patienter & ire iuguleis
Tunc eques illustrat, sit quanta potentia bruto;
Quod tamen, in sua fræna ferox licet, ore capessit
Ritè lupos tandem, spumanteis mandit habenas.
Scilicet hoc virtutis opus, non cedere palmam
Tam facilè; aduersis pro libertate tuendâ
Sufficere & rursus sudoreis ferre molestos.
Qualiter in pullis ea gloria claret equorum
Hungarici generis: quæ sanè imitatur herileis
Laus animos: tot iam se gens labantibus annis
Nititur horrendos contra defendere Turcas:
Vt iuga seruitio non præbeat, arma vicissim

Vſq; gerit bello contraria; ſicut equina
Impatiens ceruix admittere reſpuit, intra
Ire iugum: renuit ſpiratq; è naribus igneis
Excutit impoſitos, donec vi victa laboreis
Paulatim adſueſcat, poppiſmata crebra magiſtri
Exſuperent blandi; clementia terga ſuperbum
Accipiunt rectoris onus nec epiphia ſpernunt.
Tum demum ſonipes latos calcaribus armos
Præbet, & arbitrio ſua format crura regentis.
Quos iam compoſito pede greſſus vngula format
Ferrea? luxuries quæ tunc & quantus aperto
Sudor! vbi poſitam fas eſt attingere metam
Aſpice, quæ facies? nitidam mirabere formam,
Quàm caput argutum! quàm curtas aſperet aureis!
Quàm pede ſit longo pulcer! quàm crura decorus
Vt micet, & latè nigra lumina ſæpè feneſtris
Vt tremat, imq; viceis oculis, vt porrò laboret.
Sic variat ſerpens hirquis Epidaurius igneis
Flamma procul fumans ex naribus exit apertis.
Protrahitur collum ſat honeſtè ad pectora craſſum.
In medio guttur lunatum, & curua iubarum
Stamina criſpantur, dextros reiecta per armos
Denſo animant; tergo breuitas pinguedine lato
Pectore luxuries ſolidat ſpatioſa decoro.
Spadiceumq; toris color altos cordis honoreis
Exſerit & bello virtuteis indicat acres.
Area pro lumbis ſolida eſt; parua atq; rotunda
Genua; nigrum durâ cornu compage recurvum.
Syrmate non paruo, promiſſaq; cauda, fluenti

Crine,

Crine, gerit vulpes qualem, currendo volantem
Si placet, ingreditur ſublimis, & alta reponit
Crura, cati de more leuis. Velocia poſcis?
In ritum leporis curſabit in aêre peruix.
Non ita Germanæ quos gignit obeſa propages:
Seſſorem inſultu quatiunt, procedere tardi.
Quid referam? quũ bella vocant, horrenda, caballis
Hungara quàm citò ſe fert natio lata per omneis
Mox caſus: fluuios ignotos intrat in vndas.
Prima ſecat. ſiluas, varia auia tranſit, & vna
Turcigenis longè antè pigris quàm Teuto moloſſis
Poſt feſtum veniat, trux ardet vbiq; ſequaci
Marte, ſuos aufert dominos quoq; ſæpè periclis.
Sors temerè nolit quando perſtare furentes
Fruſtrà, & ſit meliùs dare terga & abire, volucris
Hunnus eques cùm fas, abeundo decipit hoſtem,
Friſia dum nequeat villoſis tendere monſtris.
Quem capiunt molles, is carmine laudet Iberos.
Sarmaticos celebret mureis & corpora parua
Qui volet; Hungarides ſonipes me raptat, ob alta
Tergora: velocem curſum: formamq; decentem:
Porrò, Mecœnas, tu qualibus vtere victor.
Qualis erat quoq; nuper ego, te dante Balogi,
Quo látus noſtri ſum fortè profectus in ædeis,
Aliger is certè mihi ſemper Pegaſus eſſet.
Et ſcio, Bellephoron, ſi pennis ille careret,
Eſſe ſuum, ſanctè iurando, diceret iſtum.
Qui te portet herum plureis robuſtus in annos
Tempus erit, natura mihi quô notior huius

Se clarabit; equos istâ tellure creatos,
Gloria maioreis faciet, quæ carmine surgit.

IN

Propheticam enarrationem GEN. ET EGR. DOMINI CHRISTOPHORI SOOS, De Sołwar.

VT nil esca sapit, sale nî consperſa sit; omne
Huic licet iniicias Indici aroma soli.
Sic genus & magnum nil prodest stemma, patritis
Nî titulis addas nobile & ipse decus.
Stemma, dècus, tituli, bona sunt aliéna, priusquam
Stemma, decus, titulos, nobilis ipse pares.
Ceu violas campo, ceu lilia deiicit Eurus;
Non aliter claras sors vaga frangit opes.
Qui decore & titulis, qui stemmate claret auito,
Plusq; subinde illis adiicit, ille vir est.
Virtute ille sapit, tantùmq; his stemmate vincit,
Quantum & aromata sal quælibet ipse cibis.
Tu viuum exemplum es decus & sal nonné Soosi,
Hoc sale nos duplici qui salis vsq; solo.
Terra tibi salsa est; tibi penna est salsa: patritum
Illud: at hoc Genij vis tua docta facit.
Te patina agnoscit; te pagina & Hungara, cunctis
Quòd plus nobilites tu sale sole solum.

TAV-

TAVRO SVO.

QVid tibi cũ lauro, thesauro, Taure? quid auro?
Non Taurum laurum; ast cornua ferre decet.
Laure veni, thesaure, probis aurumq́; poètis
Te faue, & haud bruto prostituas pecori.

Symbolum
REV. DOCT. ET OPT. V.
IOANNIS BALOGI.
Sanctior Splendidior.

HEu quàm splendidus hæc mortalia decipit error!
Omnia iudicio stantq́; iacentq́; malo.
I, refer ingenio Marcos, pietate Metellos,
Sis & mente Solon, integritate Cato.
Nî gemmis oculos ferias, nî veste corusces
Purpureâ, qui te, nemo salutet, erit.
I Lapithas, Tityum, Centauros exprime factis,
Autolycus vitâ, moribus esto Cyclops.
Te modò conspicuum faciant tua pallia vulgò,
Magnificis niteas sumptibus, ære mices.
Nocte tibi cæcâ rutilet carbunculus auro,
Fulgidus in digitis dulcè coruscet onyx.
Illustra tunicas, flammisq́; imitare Pyropos;
Iuro ego, tu mundo Numinis instar eris.
O miseros, quibus hic perstringit lumina splendor,
Qui ducunt terris lucida, sancta Polo.
Illa dies quondam æthereo splendescet ab axe,

Quà totum hoc mundi flamma vorabit opus.
Tunc sua cùm pietas & habebit præmia virtus,
Quùm splendor sanctis perpetualis erit.
Cùm Sol Iustitiæ vero de lumine lumen,
Lux mundi, Iacob stella corusca domûs:
Lucifer aureolus, oriens Patre lampas ab alto,
Christus erit nunquam fax peritura suis.
Quem tunc de facie ad faciem pia lumina cernent,
Nec poterunt visu se satiare suo.
Quippe vorax rerum hoc Ignis canit esseq; cunctos
Nos sanctos, porrò sanctus vt ipse, iubet.
Sidera siderius discriminat orbis, & illo
Discernet pacto pectora sancta Deus.
Vita æterna quidem donum est: tamen aula Monarchæ
Illius in famulos sic stat aperta suos:
Plus fulgoris erit, queis plus sudoris ad aras,
Queis fuit in curas mens operosa pias.
Quale vides, quùm noctis eunt nigra tempora, stellis
In celsis flagrans orbibus esse decus:
Tale ferent mystæ veneranda statuta Iehouæ,
Iusticiamq; alios qui docuêre, iubar.
Qui geris hoc scitum, vitæq; hoc Simbolon addis,
Iurate in moreis, Iane-Baloge, pios.
Sic quia erit melius nobis, quùm fulserit Eos
Vltima, agè æquo animo fer mala & ista sona:
Falsa vale mundi; salue verißima cœli,
Salue lux votis summa caputq; meis.
Tu quoq;, Christe, meas de pectore tolle tenebras,
Sanctior vt fieri Splendidiorque queam.

AD

GEN. ET EGREGIVM, NOBILIßIMUMQ; VIRUM,

D. GEORGIVM MERSE, de Sinye, In Cæſ. Cam. Pragæ Conſeruatorem.

VIx credis, flos Cæſariæ generoſe coronæ,
O & Sinneicæ ſplendor honosq; domûs!
Vix, inquam, credis, quâ me perſuderit iſtâ
Lætitiâ vultus nuper in vrbe tuus.
Non hæc eſt cupidis fòrs oblectatio ſponſis,
Quùm ruit in licitum fœmina virq; torum.
Quàm tua me cepit præſentia, ſemper anhelum
Hactenus! à facie te quia noſſe datum eſt.
Antè ſat à ſcriptis, claræ virtutis & artis,
A grauitate mihi iam benè notus eris.
Te quoniam didici generoſâ fratris in aulâ,
Cui prolem noſtrâ Pallas in æde docet.
Qui vir ſis, à ſepteno mihi conſtat id anno,
A quo me patriæ detinet ora tuæ.
Sæpè fui procereis inter conuiua; per omneis
Quùm ſat honorificè mentio facta tui eſt.
Quomodo Romanus te complectatur amore
Cæſar, & officio ſplendidiore locet
Proximus à Dominis, magnatibus atq; patronis,
Imperij coram ritè ſedere queas.
Et quia iam tantùm rutiles, contingere poßit,
Te celebret magni maior honoris apex.

Sis columen patriæ carisq; futurus amicis,
Victura æternos gloria summa dies.
Quando tot egregiè iam lumina clara virorum
Suspiciant Genij splendida dona tui.
Fungarisq; dato tam dexter munere, laudes
Vt meritò possit nemo tacere tuas.
Carus ob ingenium sanctosq; in pectore mores
Agmina fautorum plurima iure feras.
Apta tuis variè sint viribus omnia regni
Ardua, queis magnos præficit aula viros.
Ore potens facias cùm verba latina disertus,
Rhetoris Ausonij nomen habere queas.
Ista, vir excellens, laus Hungara, clare Georgi,
Sunt de personâ sæpiùs orta tuâ.
Hinc ego te tacitè suspexi; nomine virtus
Cùm rapiat solo me generosa suo.
Et iam Pannonicas tua laus extensa per oras
Afficit ingenium, vir celebrande, meum.
Sæpiùs in votis habui te cernere, possem
Vt tam præstanti notior esse viro.
Ecce sed hoc cessit nobis occasio tempus
Marte suo; voti spes mea compos ouat.
O iucunda dies! ô hora beata, nimisq;
O felix, qui nos iunxit in vrbe, locus.
Festa mihi fiet porrò lux ista; quotannis
Annaleis inter conspicienda suos.
Quando viri tales oblectamenta Camœnis
Sufficiunt, doctos perpetuantq; choros.
Si non Mecœnas Augusti vixet in aulâ;

Vergi-

Vergilius nobis nullus in orbe foret.
Illius & Flacci sunt munere carmina, totq;
Docta poëtarum sunt modò corda super.
Inde laboreis habent Clarij solatia vates,
Regia quos ideò spes animare solet.
Feliceis Musas, quà Principis atria seruant,
Tempora qui studiis blanda dedêre suis.
Arbitrio quorum doctis largitur honoreis,
Inclita terrarum qui sua sceptra gerit.
Qualis es Ausonio quoq; tu pars vna Monarchæ,
Grata senatori Cæsaris vsq; throno.
Commendare soles præstanteis Marte vel arte,
Vt suus ex merito quenq; sequatur honos.
Antè viris virtus per te insinuata potenteis,
A magno titulos Cæsaris læta ferat.
Nam quâcunq; potes ratione, decora propagas
Corda, nec in tenebris, quæ meruêre, sinis.
Me quoq;, vix aliquid meritum sed tale, patronus
Quòd benè prosequeris certus amore tuo:
Quòdq; tuis capias mea commendare togatis
Nomina, quò titulis stent perhonora suis:
Est satis indicio, te, clare vir, esse Camœnis
Addictum; nec adhuc deseruisse Deas.
Si tibi nobilitas generis proauita deesset;
Hoc tibi pro vera nobilitate foret.
Quisquis enim Musis aulâ se præstat amicum,
Hunc decus & rursùm splendida forma decet.
Quare Synneicæ flos stirpis amorq; Georgi,
Fac, quod sponte tuâ, meq; tacente, facis.

Tu potes eloquio mihi conciliare fauòrem
Illorum, actiuè quos penes altus honos.
Crescat vt alternis mihi gratia vocibus; ornent
Me nostri proceres numinis ante thronum.
Fundamenta meæ quoniam sint iacta salutis,
Prouehere hoc citiùs, quod rego, fortè potes.
Forgaciana *priùs rem strinxit epistola supplex,*
Hoffmannusqúe *suam suppeditauit opem.*
Fautor idem pro me scribendo Capronciu*s orat,*
Tu desiderio sis bona meta suo.
Consorteis operum rege voce! necesse fatebor
Nostra sub auspiciis irrita vota tuis.
Deniq; si fuero tantum feliciter ausus;
Contigerit nostras gratia larga preceis:
Quis, rogo, te meliùs, vir præstantißime, scripto
Mittere Cæsarias huc mihi poßit opes?
O ibi, per tractûs tibi vel vicinior essem!
Quanta fores nobis gloria, quanta salus?
Pulcriùs extarent viuis emblemata chartis;
Nobile splendoris plus mihi ferret opus.
Cætera luce suâ longè Sol astra triumphat,
Omnia scribentûm tu monumenta regis.
Scripta tibi aureolis doctè ridentia pennis
Vidimus, ac dextræ plurima scita tuæ.
Quâ decus illustras ad viuum illustre virorum,
Scribis & artifici non imitanda manu.
Pictor Apellæo cùm luxuriaris honore;
Discipulus Zeuxis cùm tuus esse velit.
Scilicet hoc laudeis cumulat! decus auget! honoreis

Ampli-

Amplificat, claris pingier arte viris.
Magnus Alexander per Apelles vnius artem
Describi voluit corporis ora sui.
Non alios etiam sculptoreis ære, Lysippum
Præter, in artifici rex Macedo ille tulit.
Sed moneo memorem, vir percipis inclite sensûs
Ipse meos! verbis non opus esse reor.
Desino! pollicitis diffidere forsitan vltrò
Ne videar; per te cætera sospes ero.
Iamq; paras abitûs, neu te iuuat heicce morari;
I Domini felix arua Bohema tui.
Te Deus in multos nobis indulgeat annos;
Nobile post obitum tu quoq; sidus eris.

Ad Hortulum domesticum V. GEN. ET EGREGII D. GEORGI CAPRONCI, Percept. Cæs. Cassouiæ.

HOrtule mi, salue: quàm te tam lætus ocellis
Aspicio, nostri luminis alme cibus.
Ignis, onyx, Smaragdus, nix, flumen, purpura, cœlum;
Ista colore geris, gramine, flore tuo.
Nil sunt Alcinoi præ te nec Adonidis horti:
Tu nemus Elysium, tu Paradison habes.
Hortule, fer Domino quod curas molliat, & quod
Blandiùs in cerebrum dulcè penetret Heri.
Hortule, fer Domino, quod morbos pellat, alat quod
Corpus, quodq; animo nobile delitium.

In concionem DE FAME S. EX AMOS VIII.

Reuer. & Docti V. D. FRIDERICI VSRAI, Conc. Epper.

SCire licet, paßim Cereris Bacchiq; quotannis
Quàm fuerit quondam Pannonis ora ferax.
Dura negat victûs eadem nunc terra, nec vsus
Aut esus quantum fortè requirit, habet.
Nescius est caussæ miser incola: sæpè quis arma
Increpat, & vano Teutonis ore ciet.
Hic, noua relligio sterileis, ait, asperat agros,
Terræ Euangelij concio perdit opeis.
Veri exosa Dei gens, istas corrige voceis:
Ipsa tibi caussa es crimine vera mali.
Heu nimis ingratæ quoniam tibi Gratia sacrâ
Cœlica diuinas exhibet æde dapeis.
Iure tuas ingressa fames est aspera terras;
Ah nisi fis melior, te mala plura manent.
Numina mox epulas, quæ sunt tibi nausea, tollent,
Quod pius heîc Vsrai cœlite voce docet.
Posce Deum veniam, Cereris gens prodiga sacræ,
Pòst Verbi sacram ne patiare famem.

Prosopopœia ex eâdem.

FOEmina Pannonicis nuper currebat in agris,
Lurida cui macies, pallor & oris erat.

Ipsa professa, Famem sese dicebat, & istos
Mœsta nimis querulo protulit ore sonos:
O ter feliceis, sua iam quibus arua coluntur,
Ruraq; iam quorum prosperat Ipsa Ceres!
Heu deserta Diis peregrinas quærere terras
Cogor ego; nullos contero dente cibos.
Ah incredibilis rabies me vexat edendi,
Semper inops cruciat viscera sicca dolor.
Diues agri quondam reditu, nunc exsulo egena;
Scilicet arua truces iam mea Thraces arant.
Huc feror, vt si me tellus patiare magistram
Hungara, ab exemplo sis benè cauta meo.
Quæ nunc Ambrosiam, lautas quæ despicis escas,
Ne toleres duram, prospice, quæso, famem.
Dextra tibi superi quæ sufficit alma Parentis,
O soror, hæc felix pòst reuerenter habe.
Aut extrema petes Scythicæ confinia terræ,
Vt fastiditis antè fruare cibis.
Si prior à duplici non fortè vorabere monstro,
Hoc animam quorum, corpus at illud edit.
Iam pridem te Roma famet: te Turcia grandi
Fauce Saracenis expetit vsa lupis.
Ergò agè (quùm superi, tellus Mauortia, mensâ
Te dignentur adhuc, pro bonitate suâ)
Ore pij cordis ventura in sæcula posthac
Iam duraturas accipe grata dapes.

AD F. D.

Christe, faue nostramq; animam cum corpore serua;
Integra sit Verbi gloria porrò tui.

DE

DOCT. ET CIRCVMSP. V.

D. SEBALDI ARTNERI,

Trib. P. & Notarij Cassouien.

primogenitâ filiâ

ROSINA.

TEmpore quo passim rosa plurima nascitur horto,
Hoc etiam Artnero nata Rosina fuit.
Flos, Cytherea, tibi sacer est Rosa; quaeso Roseto
Artneri plureis da, Venus alma Rosas.

DE TRAGICO CASV ET

obitu miserabili, Excellentissimi Viri

NICODEMI FRISCHLINI, P. L.

Com. Pal. Ciuis Rom. &c.

ad

Mecœnatem

GENE. EGR. NOBILISS.

Doctissimumq; Dominum,

D. CHRISTOPH. DARHOLTZ,

de Fynthâ, &c.

MOs tuus est, emere autores, generose Darholci,
Quos benè certatim doctior orbis auet.
Non igitur dubito, tibi notas esse Camœnas,
Quas iam Frischlini protulit ore Deus.
Ille meret Cicero dici atq; Terentius alter,
Quando ligata sonat, libera quando tonat.

Scripse-

Scripserat is contra, qui nobilitatis honores
Plus vitiis soleant commaculare suis.
Lestrygonas solos, Epicuri de grege porcos,
Et contra horrendos triste Cyclopas opus.
His grauiter motus Germanæ gentis equester
Ad pœnas hominem protinus ordo rapit.
VVirtembergiacæ Dux stirpis ad instar? ad vrnam
Frischlinus rapitur Principis atq; gregis.
Ore grauis causâ se crimine purgat, honestos
Stringere quòd nolit nobilitate viros.
Nil cum personis, sed cum scelere esse poëtæ
Hîc sibi; quod faciat, postulet ipse Deus.
Qui sua barbarico dehonestent more parentum
Arma, patrent flexu liberiore scelus;
His soleat chartis indicere prælia virtus,
Pectora cum vitiis Musica bella gerant.
Nil sua Frischlinum iuuat excusatio; Lictor
Abripe damnatum: carcere claude reum.
Arx monte Auraci summis vicina stat astris,
Quà sibi dura loquax iugera Sweuus arat.
Hanc Frischliniades conscendere cogitur arcem,
Tale nihil scribat, tempora fallat iners.
Displicet hospitium capto; mox cogitat artes,
Officio quarum liber abire queat.
Suscitat ingenium dolor; ex lodice paratur
Restis & ex variis tortile rebus opus.
Turris ab æthereæ mens est transire fenestram
Per laqueum saluam tangere sperat humum.
Nox fauet; haud prohibet custodia; corripit ergò,

Ipse suum infelix restio funis iter.
Vix vlnæ spatium cùm pendet ab ore fenestræ,
Heu! laqueo doctum rumpitur istud onus.
Heu! caput alisum prædurâ in rupe cerebrum
Linquit, & in terrâ fractus vbiq; iacet.
Terribiles boat ore sonos; auditur in arce
Vox, & Frischlinum quærere turba ruit.
Aulica concurrit manus; ah illudere capto,
Sed fracto & tacto satrapa quisq; cupit.
Nec mora; tam miserè toto plorante senatu
Cœlicolum & Musis, spiritus astra subit.
Hæc pro diuinis, Frischline, laboribus! hæc &
Pro virtute tuâ præmia digna capis?
Ite viri docti, vos angite, frangite Musis;
Pro pennâ serâ pœna seuera datur.

IN PELICANVM.

Insignia
GEN. ET EGR. DOMINI
MICHAELIS DE KELEMES.

ASpice, quid volucris notet ista, terebrat acuto
Ipsa quid & rostro pectus aperta suum?
Sunt Kelemesiadæ Michaëlis signa: dolores
Heros pro patriâ sustulit ille graueis.
Publica qui passim dum commoda sedulus auxit,
Sæpiùs in proprias vulnera fecit opes.
Sæpè procul vitæ sat certa pericula sensit,
Vt modò natalem viuificaret humum.

Cæsar

Cæsar id & Princeps scit Macouicenus; honoreis
Cui tribuit rursùm gratus vterq; nouos.
Viue decus generis, Kelemessia gloria: pulcrum est,
Pro patriâ aut vitam perdere, dura pati.

Antithesis
EBRIETATIS ET SOBRIETATIS, iuxta casus.

EBrietas pixis Pandoræ, & lerna malorum,
Pestis honestatis flagitijq; parens.
Ebrietatis id est, hominum secura Dei mens,
Quod dirum omne sonans dia elementa lutat.
Ebrietati omnes scelerum sunt orbe ministræ,
Mille quod exemplis ipse probare velim.
Ebrietatem Acheron manet, & pixin ista per vdas
Tartareas, quâ styx cæca ministrat aquas.
Ebrietas ô dulce malum, blandumq; venenum,
Hinc procul hinc Indos & Garamantas adi.
Ebrietate nihil cernes monstrosiùs vnquam:
Dispereat Furia hæc tam vitiosa precor.

SOBRIETAS.

SObrietas schola virtutum, Troianus vt olim
Clara virûm in lucem lumina misit equus.
Sobrietatis id est, precibus quod casta Deum mens
Suspicit, & Christi scit doluisse crucem.
Sobrietati adstant comites, Pax, Candor, honestas,
Digna viris Grauitas, Vita modesta, Fides.
Sobrietatem olim Deus altis ponet in astris,

Vt supe=

Vt ſuperet ſtellas, Heſpere, luce tuas.
Sobrietas ô triſte licet, tamen aurea noſtræ
Spes, hominumq; bonum dulce ſalutis aue.
Sobrietate nihil cernes feliciùs vnquam:
Quilibet hanc oculis plus venerare tuis.

EBRIETAS.

EBrietas nocet ingeniis, & corpora perdit:
Sobrietas menteis membraq; ſana facit.
Ebrietas viduat marſupia, diſſipat æra:
Sobrietas loculos laxat & auget opes.
Ebrietas rigidas in pectore ſuſcitat iras:
Sobrietas pacem, prompta iuuare, colit.
Ebrietas diras eructat in aëra voces:
Sobrietas grates occinit ore Deo.
Ebrietas odioſa piis tandem exſulat vrbe:
Sobrietas cuiuis mellea tota venit.
Ebrietas iacet æternùm, vt ſus ſordida cœno:
Sobrietas altum tollit honore caput.
Ebrietas mundo cita nomen perdit honeſtum:
Sobrietas terris viuida ſemper erit.
Ebrietas Acherontis imit poſt fata paludes:
Sobrietas cœlo veſcitur ambroſiâ.

In temulentos Poëtas & Cantores.

ESt vnum id vitium Cantoribus atq; Poëtis,
Quòd vinoſa canant carmina, ſi qua canant.
Inficias nec eo, quòd oporteat eſſe canenteis
Humidulos: at aquas ex Helicone bibant.

Immò

Immò hinc ebrietas Cantoribus atq; Poëtis
Nî fuant, vt faciant, carmina nulla placent.

In paucos libros & multa pocula habentem.

VItrea plura libris Musæum pocula cernit:
Musæum annè meret dicier, annè cadus?
Artificem, quis sit, demonstrat & ipsa supellex:
Lurco bibax igitur non studiosus homo es.

In Theologum helluonem.

QVi præter Bacchum redoles nihil atq; falernũ,
Helluo, te Mystam, peßime, tene vocem?
Talibus heu porcis quòd margaris illa palæstram
Cedat, quos hara, non sanctior ara, decet.

Cantori bibulo.

VIx sic assequitur benè vultur odore cadauer,
Quàm tu lurcones quà bona vina bibunt.
Quando datur gratis, distendis guttura latè,
Vt, si fauce foret, iam mola posset agi.

Pastori lurconi.

CVr toties madidos inter sis, quæso, bibones,
Plebsq; tibi mores arguat esse malos.
Ad mensam & cyathos, dicis: quoq; sæpè sodalis
Zacchæi quondam Christus & ipse fugit.
Egregiè mihi respondes: non ille notari
Labe potest: at tu, nil nisi culpa, potes.

Cuidam querulo.

PAuper es, hoc fateor; sed vis: nam ditior esses,
Si modicè cyathos tollere cura foret.
Non tibi condoleo; sis Codrus & Irus: honestam
Qui paupertatem subleuat, ille sapit.

In Potatores, ex calceo mihi cereuisiam propinantes.

QVà iacet Ellysius Cerere & glebâ vbere cãpus,
Rustica mî hospitium nocte taberna dedit.
Fecerat heîc vdos nimium cereuisia fratres,
Hospite sermones vix faciente domus.
Is me, sex & equos hâc conditione recepit,
Vt biberem ex cyatho tum mihi sorte dato.
Intueor cyathum, pedis est munimen, & ori
Præcipit vt iungam, aut me iubet ire foràs.
Quid facerem? sordes bibo: sed pòst calceus, orto
Sole, mihi sumptus me numerare sinit.
Da veniam, hospes ait, quòd heri peregrinus vt inter
Tu quoq; debueris nos vllulare lupos.

Prud. & Doctiss. V. D. SEBALDO ARTNERO, Not. Cass. Trib. Pl. facto.

SI Respublica tum beata demum est,
Quando Philosophi gregis gubernant
Clauum; dixerat vt Plato: quid obstat?
Si rear quoq; ter beatiorem

Iam

Iam posthæc fore Cassouianam,
Quùm Tribunus ei, Sebalde, factus
Tu sis Philosophus. Sebalde, salue.
Salue tam citò Gloriæ quadrigis
Inter vecte Cygnos caput senileis.
Canibarba cohors vale: Sebaldus
Curatum dabit, vt beatiores,
Teste aut Inuidiâ Calumniâq;
Dicas iam fore Cassouianos.

Ad Amicum pocula exhausta postulantem.

AN me hominem esse putas, an vaccam? poscis vt
Epotem: haud vitã tu mihi amice cupis. (vrnã
Non hos traxisti claro Lacedæmone mores:
Spartæ habet arbitrio pocula quisq; suo.
Nolo scyphis: si vis, more & pugnemus amore,
Vt nostram æternet quælibet aura fidem.

In Templum, vini vasis repletum.

ECce, Deo, si nescis, plebs cui seruiat ista,
In fano positis indicat, ecce, cadis.

In Fœminam ebriam.

DIc mihi, quisquis aues benè verum farier, orbe
An quicquam toto fœdius esse queat?
Quam (quod sæpè vides) mulier perfusa falerno,
Nescia quæ mediâ currit in vrbe sui.

Monstrum hominis videas: vacat os sermone recocto.
Exsulat ore pium, pectore, fronte pudor.
Baccha ita per campos & per iuga concita Thyrso,
Vix furit, & spurcos est adaperta sinûs.
Vos ego culpo viros: sed honestos laudo Quirites,
Quòd furias mâlunt fuste domare suas.

In Potatorem maturè barbescentem.

NVnc ego non miror, madidissime lurco bibonum,
Cur tibi sit mento tam citò nata seges.
Arida quæ tellus, & quam non perluit vnda,
Caluicie longâ plana manere solet.
Sed sunt arboribus frondes, sunt gramina campo,
Quando frequens largis decidit imber aquis.

IDEM EIDEM.

Cur implume mihi, bibo fœde, os obiicis vni:
Scilicet annosum te tua barba facit.

In Cataphractum equo suo plus debito bibere non permittentem.

QVùm gelidas auidè fòrs rostrũ immittit in vndas,
Fortis, equum fræno cur Cataphracte trahis?
Annè fatigato quia sic aqua nempe caballo,
Si magno fuerit gurgite pota, nocet.
Est ita: sed miror, parili cur tu quoq; legi
Non sis adstrictus, pocula quando trahis.

Cur

Cur Ebrij omnia effutiant,

Ex Seneca.

MOs est, ad cerebrum benè si penetrauit Iacchus,
Nil non incipiunt garrula pocla loqui.
Tunc vbi vel proprij volat irreuocabile verbi,
Et sibi fata creat tristia vocis opus.
Nempe docent eadem doliis noua musta natantes,
Quæ eructant partes, eiiciantq; cadis.

In quendam, à tribus famulis

ex conuiuio ductum.

CLaras hospitibus Lacedæmonis approbo leges,
Quæ face conuiuas nocte redire vetant.
Scandala ne qua vir excellens det fortè minori,
Si lapsando petat, quos colit ipse, lares.
Aut si fortè quid aduersi ferat inter eundum,
Maturè à cyathis discat abire domum.
Sed quidam lurco, totâ primarius vrbe,
Visere conuiuas sole cadente solet.
Manè tribus famulis benè potus fertur in ædes,
Cum risu totâ plebe vidente, suas.
Nobilis ô salue decus haud imitabile nobis
Spartæ, qui verum nouimus ore Deum.
Iudicium tolerabilius, Lacedæmon, ab axe
Scilicet Ellysio te quoq; sicce manet.

In Militem, effringentem

cellam vinariam.

STrenuus, ecce, sui fecit præludia Martis
Bella gerens cellâ miles in hacce grauis.
Perge vir in simileis ô præstantißime pugnas,
Horret ob aduentum Thrâcia tota tuum.
Victor eris certè, præstat tua mascula virtus,
Non Baccho aut cyathis Turca sed ense vir est.

In Militem ebrium, & meretriculam in sinu fouentem.

PErdidit ebrietas Macedûm olim regna: quid ergò
Mirum, si nostram perderet Vngariam.
Perdidit incestus Phrygiam Troiamq; : quid ergò
Mirum, si nostram perderet Vngariam.
Heîc vbi certatur pateris: vbi miles in armis
(Ecce) Cupidineis semisepultus agit.
Ah, ah impietas: cur illi bella mouemus?
Quo duce nostra Getis bella mouenda forent.

Templum & Oenopolium.

IN Domini sacram vix aduenit vnus & alter,
In Bacchi legio non ruit vna domum.
Quando sonant turres sibi quilibet obstruit aures,
Syrenumq; sonos edere monstra putat.
Cantarus immodicè madidas vbi verberat auras
Acer, quis pennas non citus hospes habet?

Asoto in via titubanti.

EBrie, si Deus ipse foret, plaustri instar onusti,
Cedere vis nulli bestia curua viâ.

Proh!

Proh! ita particulam diuinæ mentis habentes
Ebrietas asinos impetuosa facit.

EN OINΩ ΑΣΩΤΙΑ.

O Vindemia Dæmonis, culullos
Siccare, ac diuturniùs falernum
Perpotare: suas vbi scelestûm
Fert Pluto decimas: decem tabellæ
Quà Mosis rudimenta fracta testas
In tot mille iacent, & obloquuntur
Non vnis vitiis Deo parenti,
Siccare is diuturniùs culullos
Non dat: nobile sed creat falernum,
Vt laudes recites Deo parenti.

Vinum & fornicatio auferunt cor regis.

DIc mihi, quid frangat fortißima pectora regum?
Personæ vt nequeant plus meminisse suæ.
Nonnè gerunt cyathis obnoxia corda furori?
Personæ vt nequeant plus meminisse suæ.
Vos melius, quorum parcebant Maßica reges
Poscere, ne vino noxia sceptra forent.

Epicedion mortuo, ob immodicum Vitæ aquæ vsum.

DIsce viator: obIt, quem saxum contegit istud,
Immodicè vitæ quando bibisset aquas.
Disce viator, obire potes, sic viuere si vis:
Christus habet vitæ, cætera mortis aquas.

Ad pocula de ſacris rebus *diſputanti.*

EBrie porce, ſacris de rebus ad vda furenter
Pocula, nec docto teſte, tot ergò crepas.
Ipſe vir es, fungus pars cætera: diſputo ſacra
Manè domi, heîc vir ſis, ſi placet ergò, veni.

Theologo, pauperum nuptias *fugienti.*

REx regũ, Dominus dominantiũm ſimplice Canâ
Munera pauperibus magna dedit thalamis.
Tu ſatus obſcuro patre, terræ filius, Irus
Tenuia cùm celebrat gaudia, nullus ades.
Semper donari vis, non donare: Magiſtrum
Hocnè ſuum eſt vitâ, relligione ſequi?

Turcæ abſtemij.

CVr Geticus vetuit bibere Induperator Iacchum,
Et Moſi obſequium fert benè turba ſuo?
An? quia Marticolas vino haud decet eſſe grauatos,
Bacchicus à caſtris exulat ergò liquor.
Diſcite vos animæ illuſtres, exercitia Marte
Pectora, pro Chriſto quos ſaga ferre iuuat.
Diſcite: nec pudor eſt veſtros imitarier hoſtes:
Ah nimiùm eſt, ſortem ventre perire bonam!

In Homicidam & Adulterum, *per temulentiam factum.*

Res

RES plumâ leuior, pateras siccare, putatur,
Dum modò seruetur sic socialis amor.
Sed nego: scit latam viciis aperire fenestram,
Atq; scelus sceleri scit cumulare, merum.
Quidam, aiunt, stygij persuasus Rhetoris ore,
Crimine sic triplici debuit esse nocens.
Solueret aut hominis non noxia pectora ferro,
Aut foret obscæno turpis adulterio.
Seu Bacchi fieret vas ipse bibacius: ergò
Pondera solliciti computat vsq; mali.
Hinc subit ebrietas, crimen sed mutiùs illis,
(Quod patrat ipse, quis hoc rex cohibere potest)
Tum facit innumeris obnoxia guttura poclis,
Hinc ratio princeps corporis esse nequit.
Coniuge nam cæsâ alterius cum coniuge metas
Transilit: I leue dic ebrietatis opus.

Gen. & Egr. V.

LADISLAO DONAI,

præter Hungarica pruna nihil comedenti, & præter lac & aquam nihil bibenti, ab annis 46.

QVi te, qui Ladislae, tamen genuêre parentes?
Quis te semideis non putet esse satum?
Non hæc illa ætas, quâ sint mortalibus herbæ
Panis; agant homines absq; foco atq; coco,
Nulla est vberibus, nulla est reuerentia fonti;
Lautis summa cibis maxima cura scyphis.

Viſcus aueis vincit; ponuntur retia ſyluis;
Et rarò liquidæ piſce natantur aquæ.
Occupat hinc noſtras tota India odore culinas,
Ignis & innumeras præparat arte dapeis.
Ingluuie multos gula pauperat vndiq; Cræſos,
Et mors ſunt magnis vina merumq; viris.
Quippe habet ebrietas & primas crapula partes,
Eſt magis abiectum ſobrietate nihil.
Nì potesq; voresq; ſimul, ſapientulus audis,
Nilq; hominis paßim dicitur eſſe tibi.
Nemo tuos autem eſt qui auſit præcedere mores,
Quàm qui naturæ bella parare velit.
Me ſtupor inuadit, tua quando pediſſequa prunis
Capſula ſe prodit, ſeu liquor ille tuus.
Qui te, qui, Ladſlae, tamen genuêre parentes?
Quis te ſemideis iam negat eſſe ſatum?

Ad Cancellarium Principis Tranſyluaniæ.

QVam cepiſti hodie ſolo cum Principe ſolus,
Spectatrix cœnæ pars ego ponè fui.
Cœna breuis ſomnus leuis eſt. breuis vtraq; res hæc
Principe digna viro, milite digna viro.

In milites Germanicos, ducentes in militiam ſecum fœminas.

DIcite: militiæ pudor execrandus, an vxor
(Scilicet eſt vxor) debeat ire foras?

In chon-

In conchâ Venerem sollers depinxit Apelles:
Cypris & in conchâ debuit esse tua.

Theologo lasciuo.

ERgò aliam quæris? vix frigida nupera facta est:
Vis dicam quid sis? spiritualis homo es.
Sidera quàm certos, quàm corpore pharmaca sanos:
Tam sanctos homines & tua Sparta facit.

Cuidam Satyro.

MEnè, quòd haud vir sum patimis, ais esse superbũ?
Annè aliquis vinctum hoc expediisse potest?
Menè, quòd haud vacuo plenos, ais esse superbum?
En logicum hunc nodum quis resecare potest?
Menè, quòd haud agito choreas, ais esse superbum?
Hoc argumentum frangere nemo potest.
Menè, quòd haud facio risûs, ais esse superbum?
Nè nullus nexum hunc expediisse potest.
Menè, quòd obluctor vitiis, ais esse superbum?
Herclè vires vinci nescius: herclè vires.
Vis te depingam: comedo, bibo, capra, balatro,
Palpo, ex te cudi en ista moneta potest.

Bacchanalia.

SEmper abit brutum studia in contraria vulgus,
Nec lex, aut ratio quod sibi dicta agit.
Quùm flendum est ridet: redeunt vbi gaudia plorat;
Et miranda facit, consona si qua facit.
Ecce, foret Christi cùm crux & passio flenda,

Sangui-

Sanguine quòd lueret crimina nostra suo:
Non est luxuries toto speciosior anno:
Ludo, epulis, Baccho quisq; vacare solet.

In quendam die Veneris impudicum.

NEptuni subolem comedis si cypria lux est,
Et graue, ais, vitulâ de comedisse nefas.
Furta tamen Veneris peragis de nocte procacis,
Et spurcus spurcâ cum meretrice iaces,
Bis peccas mundo: sexcentis pectore cœlo
Flagitiis onus es, fœtide porce, tuis.

De cibo potuq; prisci & nostri sæculi.

OLim sponte sua quando dabat omnia tellus,
Nec faceret lautos flamma superba cibos:
Panis erant herbæ, patulâ vel ab arbore carpsit,
Mâla manus natis, dulcia ventre, suis.
Humor aquæ simplex benè guttur & ora rigabat,
Nulla fuit patinis nausea, nulla scyphis.
Certabant coruis homines viuacibus annis,
Et serò morbis contigit absq; mori.
Nunc vbi prima Ceres docuit contundere fruges,
Vasaq; sunt auidæ Bacchica iuncta gulæ:
Tot sunt morborum species, quot in orbe figuræ,
Coruus & est albus, qui benè semper habet.
Tota nec est aliud, carmen quàm flebile vita:
Fallor? an est sortis fabrica quisq; suæ?

Seni

Seni lasciuo & decrepito.

CVrue senex, edentule mus, cur, quaeso, propinas
Te deridendum, & damna tibi ipse struis?
Miles inermis in hoc bellum vix stipite repis:
Mors est imbelli bella puella seni.

Vetulo, coniuge vix sepultâ, aliam ducturienti.

TAntum herè lacrimulas Crocodili, turpis Agaso,
Mittebas oculos docte madere tuos.
Nondum hodie albebat cœlum, Motacilla volabat,
Mox Venerem viduo conciliare nouam.
Fuste dolande senex, barbam quin aspicis albam:
Bestria trux homines, non imitare canes.

Puellæ nubenti decrepito & rudi.

TVnè potes Mopso Lædæ æmula nubere Nisa?
Tunè potes curuo plana iacere seni?
Non huic propter opus, sed opes, das oscula Codro:
Stulta puella nimis, stulta puella nimis.
Quid te iam fiet? vis scire? ab ditior esse
Dum cupis, impurâ Thaide peior eris.
Crabrones tuos ille tibi irritabit. vt extra
Præscriptam salias, turpe sequendo, viam.
Scilicet hæredem te scribat vt ille, iuuencum,
Qui tibi dulce magis, clàm patiere virum.

Iudi-

Iudici potatori.

SEmper pectus habes madidum: res iudice digna:
Est bibulus thorax spongia plena tuus.
Barba tibi semper stillat: res iudice digna:
Non mirum, iudex, lurcio nomen habes.

Idem eidem.

NEscio quei fiat: non audes plectere, Iudex,
Ebria queis nox est: ebria tota dies.
Fors ideò, pœna ne fortè Zaleucus vt alter,
Sic oculis miserè destituare tuis.
Insidias miluo, nec ponit retia, miluus:
Quod caueant alij, tu prius ipse caue.

Oranti post Ionam & madidam cœnam.

STentor es ante cibos, & verba precantia fundis
Ritè, nec est linguæ semita curua tuæ.
Quùm sessum est epulis, & Maßica, Bacche, tulisti
Munera, nescio quis scrupulus ora tenet.
Balbe tace: non est oratio grata precantis
Cum lue, peccatum est lurco vbi dia facit.
Ito domum, pueris cum lalla: forsitan ista
Est qui te meliùs scit recitare Deo.

Concionatori ebrio, perperam legenti Epistolam Pauli 2. Corinth. 11.

EST quidam, at dignus querno qui fuste doletur,
Et porcos, Christi non ita pascat oueis.
Huic vbi pro officio stanti sacra epistola ad aram
Ad populum plenâ voce legenda foret:
Hæc: Hæbrei sunt, sum & ego; pronunciat ebrI
Sunt, sum & ego, est index scilicet os animi.

Theologunculo, pro concione compotationem hesternam ruminanti.

SAEpè fit, hesternum quando edormire Lyæum
Non licuit, manè est concio habenda tamen:
Nec postilla tuos est consolata labores,
Pol nimiùm doctè verbera verba facis.
Causam agis ante Deum, si fòrs te rustica vicit
Turba herè, nec pugnæ sat fuit hora tuæ.
Herclè nocendum aliquà rursùm est, aut vita recedit:
Pastorem grauitas, iraq; magna decet.
Gratia non parua est, bacchando quando sacerdos
Miscere ampullis sesquipedale potest.
Res Euangelij non tanti est, lecta secutus
Vt doceas: res est priua docenda prius. (iam,
Nonnè vides Corydona tuum, ecce, heic, ecce, sedet
Qui pocla in faciem iecit herè vsq; tuam.
Deiice suggestu Lybicas, trux omnibus, iras,
Dic, dici hesterno haud quæ potuêre die.

Nobi-

Nobili & Doctiss. V.
D. MICHAELI GREBIO,
Transyluano.

SIm Salamadra graueis quæ frigore sopiat æstus,
Feruida dum Bacchi toxica fortè neco.
Tu mihi sis Phœnix Nasonis ab orbe diserti,
Carminibus priscis qui rediuiuus ades.
Carmen amo cum vate : sed hoc vt testor amicè,
Hospes cum famulo cras meus esse velis.

De quodam Papa, bibente vinum ex Talyâ oppido Hungariæ.

HVngara nî Getici sentiret acynacis iras,
Nonné satis felix terra vocanda foret?
Vt taceam reliquas, queîs cœlitùs aucta superbit
Dotibus, est sapido nobilitata mero.
Incola quâ passim generosas educat vuas,
Est locus : Hungaricè Tália nomen habet.
Hinc Bacchi latices auxerat Itala tellus,
Dulcia Pontifici dona ferenda suo.
Mox Pater admiscens cupidis noua pocula labris
Laudat, & vnde liquor sit bonus iste rogat?
Subiicit huic aliquis, cui nota lociq; meriq;
Conditio : est matri Tália nomen : habes.
Gratulor ergo mihi, Papa dicit, talia nobis
Vina : patrem sanctum talia vina decent.

De

De alio quodam Papa, accipiente dono vinum ex Szânto, Vngarico oppido.

IAm didici verum: tractare fabrilia fabros,
Gaudere officij nomine quemq; sui.
Hoc exempla docent Romani præsulis, olim
Cui sancto Szânto munera sancta dedit.
Sancte pater, bibe vina: licet: quia sancta: sed heus: ne,
Hinc titubes, sanctè tu quoq; vina bibe.

D. Ioanni Fabricio, Theologo doctißimo.

HAnc mihi tu historiam narrasti, Iane süauis;
Hanc iterum versam carmine narro tibi.

De Sweuo loquace salace.

SI sic Marte potens esset, velut ore, Süeuus:
Quilibet hunc belli diceret esse Deum.
Si sic arte potens esset, ceu Marte Süeuus
Nocturno: quis eum dicet esse hominem?

In picturam Temperantiæ.

QVid sibi vult mulier, sollers quã fecit Apelles,
Ista, quòd in paterâ lumina fixa gerit?
Vrnam dextra tenet, quam mascula tollit in auras,
Pendula quâ fluidum fertq; sinistra merum.
Edocet, vt sic quisq; sibi quoq; vina ministret,
Quantum habeat pateris cernat & antè suis.
Vina modum poscunt: si desit regula vino,
Certa est naturæ pugnaq; morsq; tuæ.

Intemperies quorundam, ob diuersam religionem doctos & bonos viros perperam odio prosequentium.

ERga homines fidei diuersæ, ast arte politos
Ingenuâ atq; bonos, qui volet esse Timon:
Næ facit ille, nimis sapiendo vt morio fiat:
Exsuat humanæ conditionis opus.
Carminifex quòd carnifices non flagrat, honesti
Est ratio: at doctus dignus amore vir est.
Ad nostros olidus faceret coriarius vsûs:
Si de Pegaseo fonte bibisset aquas.
Atq; suas, nosset si plus, quam scalpere pelles,
Esset amicitiæ portio cerdo meæ.
Hoc si relligio vetat: ô vos ite, valete,
Hinc procul hinc omnes, Ethnica corda, Sophi.
Absit Aristoteles, Cicero, Plato: quilibet absit
Philosophus, Latium, Græcia quosq; tulit.
Heus, sciole, heus: Christum & Paullũ occinis? immò
Dixit aue Christus, dixit & alter aue. (ego noui
Lucifer in cœlis, Adam peccauit in horto:
In mediâ Sodomâ Loth bonus ipse fuit.

De reditu
EX GERM. IN HVNG. SVP.
Nobil. & Præstantiss. V.
D. CASPARIS FRANCI, Cæs.
R. in C. Scep. M.

Sic

Sic est; nihil dubito: rediit iam Francus ad Hun=
Falx vbi curua solum Cassouiense metit. (nos,
Dicitur hanc nostram felix transisse per vrbem,
Hungara cui nomen fraga dedêre suum.
Hoc mihi Crispinus narrauit, & ille pependit
Qui reducis Franci lætus ab ore sui.
Hoc mihi Cæsareâ Camerâ perscripsit amicus,
Cuius non didicit fallere plana fides:
Hoc mihi laurigeræ potuerunt dicere Musæ,
Quas vidi lætos ducere fortè choros.
Illæ, quando suum Collegam hoc orbe viderent
Exire, & nostro iam dare terga solo:
Pectora tundebant palmis, crineisq; solutæ
Cantabant nullo dulcia sacra die.
Hinc aberant Charites, grauium decus omne lepórum,
Nec mœstus mœstam strinxit Apollo chelyn.
Tres siluêre etiam solitâ sine voce Camœnæ,
Nec sacer, antè velut, fons in honore fuit.
Sic ego, vt Aonides, pia numina, secter amicè,
Pars & Apollinei sim quotacunq; chori:
Non aliter cecini, quàm piscis & arboris expers
Frondentis turtur busta marita gemens.
Iam, video, dulcis redit ad sua gaudia Phœbus,
Et cytharam, plectro luxuriante, mouet.
Lætitiæ plaususq; nouem dant signa sorores,
Omnia blanda vides, omnia salua vides.
Et mihi diuitiore fluunt in carmina lusus,
Et mihi se facilem præstat in arte Deus.
Non aliunde reor, reditûs quàm propter amicos,

Iam nasci ob tanti gaudia larga viri.
I, puer, in cellam, quod treis superauerit annos,
Affer & in pateram nobile funde merum.
Et quoniam igne suo iam Sirius asperat agros,
Regnat & Icarij feruida stella canis:
In puteos glaciem simul iniice nocte repostam,
Vt iuuet in medio dulce calore gelu.
Hæc mihi tota dies Genialis habebitur, adsint
Lætitiæ socij, conscia corda, meæ.
Flore domus sparso mea rideat vndiq; Nardus,
Rosmaris & violæ dent mihi dulce comis.
Impediant socios florentia serta capillos,
Myrtea sit capitis lætà corona decus.
Dicemus bona verba, viro gratabimur illi,
Cuius ob aduentum turba canora sumus.
Salue, clare vir, & vates celeberrime, salue!
Exspectate tuis salue amor, omnis bonos!
Salue, macte nouis titulis, quos Cæsaris aula
Pro meritis tribuit, candide France, tuis.
Cui dedit ingenij doteis regnator Olympi,
Hunc meritò virtus, & bonus omnis amat.
Zoilus inuideat, rumpatur & æmulus, ipse
Quùm nequeat cunctis Axe placere Deus.
O miseros, nemo quibus inuidet; obuia res est
Lætum odiis: nunquam tristia Liuor edit.
Cum Scrophiis, Porci, Bruti, valeantq; Suilli,
Paucis atq; bonis qui placet, ille placet.
Vis Mecœnates? te Teuffenbachius ardet,
Et Cameræ Domini te sitienter amant.

Nuper

Nuper honorificè de te fuit ille locutus,
Cùm fierent celso sacra marita loco.
Quando noster adest Francus? iam forsan abiuit,
Amplius ad nostros non rediturus agros.
Quùm sua mutârit trimâ vice cornua Phœbe,
Vobiscum, dixit, tunc ego rursus ero.
Luna quater latuit, sed adhuc nondum ille reuertit;
Mansio sed causas, credo, habet illa suas.
Iam bibo votiuus, quò sospes & alite faustâ
Conficiat Francus, si modò carpit, iter.
Hæc refero, ipse meis quæ coràm his auribus hausi;
Iudicio grauium multa fuêre virûm.
Mox alius, proprium qui te dicebat ocellum,
Pro reditu fecit candida vota tuo.
O curet reduceis currûs, det terga Casurgi,
Francus amicitiæ summa caputq; meæ.
Ille suis noua mille domi narrabit amicis,
Exponetq; suæ quæ mora longa viæ.
Disseret, vt noster procereis in prælia Cæsar
Poscat, & in caussas ingeniosus eat.
Bellica Romanam quid Thracia scribat in aulam;
Num Mars, Irene sitné futura breui?
Scilicet hæc de te interea, doctissime vates,
Atq; alia hæc tellus multa locuta fuit.
Gratulor hisce tibi reditum, voueoq; diurnes
Nobiscum; vt possis, optime France, vale.

GENEROSISS. EGREGIIS, *& Nobilißimis Dominis,* D. FRANCISCO, ANDREAE & Sigismundo Mariaßi, &c.

SAlue nobilium Trias virorum,
Gentis flos Mariaſsiæ, decusq;
Vos doctis etiam fauere Muſis,
Iam pridem audieram, fides & ipſi
Eſt iam facta mihi, nihil merenti
Certè tale datâ modò papyro
Nam pro ſimplice verſibusq; paucis,
Qui vix paupere venulâ quid audent,
Accepi aurea dona ſexq; Regeis.
Aurum reddere dantibus Poëta
Quando ſed nequeam, quid ergò vobis
Reddam? quin graue dedecus putarem,
Accepiſſe, nihil dediſſe contrà.
Vt ſat magna mihi quidem voluntas:
Sic eſt parua iterum mihi facultas.
Sed quùm velle meum probetis ipſi;
Quæ poſſum dabo liberalis ergò.
Quidnam? vota preceis Deo, patronis
Pro vobis; mea quòd Camœna veſtris
Non ſordet titulis, Viri potentes.
Miſſos inſuper huc docebo promptus
Veſtros erudiens probè clienteis;
Diſcentûm decus vnicum meorum,
Et par nobile, par profectò ad amplam
Adſpirans ſatis eruditionem:

Queis Phœbiq; Deiq; cura amorq;.
Alter, Czitneciæ domûs columna,
Musis immoritur probè nouenis,
Manè & sera crepuscula optimatum
Dans autoribus; ipse sæpè cantat
Versu splendidiore res honestas.
Alter, magnifici gradûs, Rakocl
Proles optima, spesq; summa stirpis,
Dicendi magis arte sudat, & se
Exercet Ciceronis in palæstrâ.
Ambo ornarier & merentur ambo,
Quos patrocinio graues iuuetis
Vestro, sicut & hactenus; patronos
Vos quùm suspiciant, ament, colantq;.
Hos, inquam, hos magis erudire conor,
Vestræ vt reddere liberalitati
Quid possim: immò satos domi puellos
Si vestræ mihi mitteretis olim:
Illos totus ego vel inuolarem;
Vt docti ingenij quid, & Mineruæ
Si quid me occupat, illud omne natis
Vestris seruiat omnibus lubenter.
Sed vos interea Deus beatos
Feliceisq; diu, rogo, futuro
Seruet tempore; quò fauere Musis
Iam passim exsulibus queatis vsq;.
Hæc est summa precum caputq; voti.
Saluete atq; valete, tres virorum
Flores Nobilium Hungaras per oras.

INSIGNIA
Mecœnatis mei colendiſsimi
GENEROSI, EGR. NOBI-
liſsimi & literatiſsimi
D. CHRISTOPH. DARHOLTZ,
de Fynthâ, in Demetâ & Hillo
Domini, &c.

QVare Chriſtophorus *gerit hancce* Darholcius *armis*
Cùm quoq; ſit præſtans, miles & acer, auem?
Cauſa patet; veluti roſtro ſibi pectus acuto
Illa ſuum volucris perterebrare ſolet:
Sanguine vt implumeis emiſſo prouida natos
Paſcere & hoc pacto viuificare queat:
Non aliter quoq; Mecœnas meus optimus ardet,
Pro ſibi commiſſo vulnera ferre grege.
Prælia non poſcunt vbi Martia, fortibus auſis
Aſſerit hoc patrium ſiue cruore ſolum.
A patre nil etiam fido differre videtur,
Cùm regit in propriâ ſubdita membra domo.
Scis iam Chriſtophorus *cur hancce* Darholcius *er-*
Geſtet auem clypeo nobilis atq; animo. (*go*
Aſſere, magne Deus, nobis hunc vſq; patronum,
Neſtor vt euadat, ſerus ad aſtra volet.

De eiusdem Demetano
Caſtro.

QVando Darholciade *ſubit aula & nobile ca-*
ſtrum,

Quod

Quod sibi Mecœnas struxit & ipse meus.
Dignam rege domum claro, Musisq; nouenis,
Si quicquam verè censeo, iure rear.
Credere qui non vult, is apertis cernat ocellis
Fixiùs, & lustret fabrica quanta domûs.
Quod robur muro? quæ pariete gloria scripto;
Regia pro Marte est Pallade quoq; schola.
Quot tormenta locis in cunctis bellica, & arma
Pendula pro multo milite quanta suo?
Cuncta docent cõclauia? cuncta hypocausta, nec extra
Vult spectatorem littera picta rudem.
Lumina quà tua cunq; feras, sententia passim
Occurrit Genio mascula tota suo.
Hocne mihi castrum vir nobilis incolat, armis
Et parmis qui sat nobilis esse potest?
Heic Helicona suum deberet habere Deorum
Concio, & Aonij Musica turba chori.
Libera si detur Phœbi optio, mentiar, aulam
Hanc si Parnassum non velit esse suum.
O quàm coniurat par istud nobile amicè:
Mars grauis! Ars celebris; cum Probitate decus.
Scilicet hæc vera est virtutis Gloria; sese
Non minùs ac bellis, nobilitare domi.
Quàm felix igitur cum Mecœnate sit istud
Hisce meo castrum, quisq; videre potest.
Si sese æternant Dominusq; domusq; Demetes,
Huic erit Hungaricis nulla secunda plagis.
Mercuri, Apollo, Venus, Pallas, Gradiúe, Lepores,
Este Darholciade numina fausta domo.

AD
EGREGIVM ET CORDA-
tißimum Iuuenem
D. IOANNEM THORACONYMVM,
Vicesecr. in Camerâ Scep. Stipend.
Cæsar.

SAlue, quo iuuenum vix est cordatior alter,
O Thoraconymi flos oriunde toro.
Sæpè tuas volui perstringere carmine laudeis,
Debita virtuti scribere pauca tuæ.
Vt sit amicitiæ quoq; publica tessera nostræ,
Alloquiis maneat porrò nouatus amor.
Sed requies quia nulla tibi datur Hunnidos oris,
Te gerat in variis tradita Sparta locis.
Nemo fuit, tutò cui possem, credere chartas,
Qui ferret digitis verba notata meis.
Nunc es magnanimus bello, nunc ducis equestreis,
Intrant Pannonicos quándo decenter agros.
Præuius ire soles, monstrare cohortibus oras,
In quibus accipiant pabula, quanta, doces.
Iam legatus abis, & Principis ante tribunal
Stare viri cogunt publica fando soli.
Pegasus aut volucer tecum prætervolat vrbem,
Quùm citò sunt Ducibus scripta ferenda viris.
Ergò quòd hesterno me vespere viseris ipse,
Gratulor, & reducem te benè propter ouo.
Nec tantùm lætor, quòd rursus amicus amicum
Accipiam; ast clarus quòd tibi crescat honos.

Deliti-

Delitium Martis, cor nobile Cæsaris, heros,
Te Teuffenbachius quomodo amârit herus.
Ad latus illius te quomodo gesseris armis,
Bellum ad Fillecum nobile quando foret.
Vel quando Hatuanñ dominus tuus acer ob arcem,
Trux esses Geticis tu simul ense Getis.
Non certè obscurum est; tua gloria claret alumnos
Cæsarios inter, lauſq; per arma volat.
Iam Domini post fata tui, sat equestribus armis
Es decus excellens prælia quando facis.
Quòdq; per ingenium varios sis aptus ad vsus,
Sæpè alia ex aliis munera clara geris.
Certant heroes tibi magni tradere fasceis,
Proq; Deo & patriâ quos bonus vsq; capis.
Te carum atq; suum scripto compellat amicum
Dux Niareus, atrox victor & ille Getis.
Vidi litterulas Maxæmilianus & ipse
Quas dedit Austriacus terûe quaterûe tibi.
Cum quo sermoneis habuisti nuper apertos,
Diceris & placidos inde tulisse sonos.
Cæsaris in Camerâ tibi iam contingat honestum
Munus, secretas regis habere vices.
Si laudare velim te, non hæc sufficit Eos,
Tantus es & tantam spem mihi, Iane, facis.
Ast si vera meum subeunt præsagia mentem,
Te virtus magnis inseret alta viris.
Viue valeq; diu nostræ noua purpura gentis,
Tu Thoraconymus, Ianus & alter eris.

In sa-

In ſacrum laborem
V. REVERENDI ET CL.
D. LEONHARTI MOKOSCHINI,
P. Eccl. Teutolypſchianæ.

O Sacer; ô diuine labor! per te itur ad aſtra:
Per te Auctor cœli nobile ſidus erit.
Quem ſi contigerit magni Arbiter orbis & Vrbis;
Siue Palatini purpura larga chori:
Fronte geres frondem Phœbeâ ex arbore ſertum:
Vt tuus ex merito teq; ſequatur honos.
Si tibi nec Cæſar Laurum nec Apollo dat; alto
Ipſe coronabit te ſuper Axe Deus.
Salue amor! ô cœleſte decus! mirabile Diuis,
Clara Mokoſchini Gloria vatis, opus.

IN
ARMA NOBILITARIA
à Cæſ. Rom. tradita
NOBILISS. DOCTISS. ET
Præſtantißimo omni genere virtutum
Viro, ac Domino
CASPARI FRANCO, &c.

MAſcula florigeri cur forma leonis in armis
Caſparis Franci conſpicienda datur?
Fortè quòd in caſtris inter Mauortis alumnos
Floruerit quondam, ceu leo, miles atrox.
Non cadit iſta viros in doctos cura; feroceis

Horri-

Horrida ſanguineo prælia Marte decent.
Cauſa eſt, quòd Francus leonino more decenter
Arduum in officio perferat omne ſuo.
Cætera magnanimum pallent armenta leonem,
Sceptra ſui quando regis honeſta vident.
Sic is Cæſarios Ratione gubernat alumnos,
Regia qui Cameræ ſcribere penſa ſolent.
Huius ab imperio dependet turba; libellos
Monſtrat & ad nutûs ipſius omne facit.
Hinc etiam, flores quoniam roſa textilis omneis
Vincit odore, roſas cernis adeſſe duas.
Ille ſuam ambroſiam flos latè ſpargit in hortis,
Orbe ſed Hungarico Francica Muſa ſuam.
Maxime Turcarum domitor, ter diue Rodolphe,
Iure potes tanto tradere plura viro.
Accedat Binis roſa Tertia, tertius aulâ
Pro te magnanimo Cæſare quantus erit?

IN
Eiuſdem Symbolum Cephalonomaticum:
Chriſto Fœnerantes Lucrantur Salutem.

MELOS.

VSuram habendi turpiter appetens
Augerier nunc omnibus in locis
Paßim videtur machinantum
Viſcera rodere plebis ardor.

Heu

Heu deuorantur publica commoda,
Priuæ hauriuntur non minus ac opes;
AEs impius dat fœnerator
Vt sua lucra receptet idem.
Regina mundi, ah, ipsa pecunia,
Quot parturit vulgò scelera obuia?
Damnat tamen fœnus magistros
Turpis auaritiæ Danistas.
Non infrequenter pondera quis dedit
Nummorum aceruos ex loculis suis,
Vt postularet rursùs æra
Fœnore cum grauiore quondam.
Sed spes hianti sæpiùs abstulit
Et mutuò nummos mìserè datos,
Quùm pestilens grassatur aura,
Cunctaq; Marte vel exsecrando
Vastantur aruis, oppida concidunt:
Vrbs diceret iam quod Varadinia;
Quà Tartarus, quà trux Magogus
Exitio omnia dant Tyranni.
Vt laminas quisquam elocet aureas
Non absq; fructu, argentea pectora
Reddant idem cum postulato
Fœnore, siue & imusitato.
Quæ gratiarum est actio sæculi;
Quod creditum fert non sine murmure;
Expostulat torum tuetur;
Denigrat vndiq; creditorem.

Infamis

Infamis ergò redditur. Euclio
Intra vrbis audit mœnia; singulis
Tonsoribus lippisq; constat,
Fertur in ora virûm vir ille.

O France flos! ô summa sagacium,
Prudentium dux & decus omnium;
Qui fœneraris cautiùs; qui
Certior æra capis vicißim.

Tu fœnerator diuitias Dei
Des optimo iam filiolo tuas,
Qui centuplum pòst creditori
Reddet in axe poli, quod isto
Huic fœnebrem vis orbe pecuniam
Sat paßim egeno credere, Christici
Sed nominis Codro miſello,
Cuius onus releuare gestis.

Eia æstimator fœnoris enthei
Sic perge; Christo mutua publicè
Da; gratiis cum maximis vir
Excipit ille viros merenteis.

Illi statutum est tempus, in æthere
Quo conuocabit censor & arbiter
Nos ante diuinum tribunal,
Præmia cuiq; sua vt det illic.

Iam cerno in summâ tendere gloriâ
Hunc cœlicò de culmine plurimas
Iuxta angelorum conciones;
Sella capit veneranda Regem.

Nunc

Nunc audio vocem tibi dicere:
Heus, France, ad hanc te sistito dexteram;
Huc te venire est fas, parentis
O benedicte mei! lucellum
Hoc possideto, ante omnia sæcula
Noster tibi quod composuit pater!
Namq; esuriui, sed dedisti
Tu mihi largior ipse paneis.
Nam quùm sitiui, tu mihi pocula
Plenè dedisti; tu mihi & exsuli
Tectum dedisti dulce; nudum
Vestibus optimus induisti.
Morbo iacentem me miserè diu
Non destitisti inuisere sedulus;
Quùm carceris me distinerent
Vincula, tunc mihi eras leuamen.
Hæc, France, Christus lucra tibi dabit;
O quanta te tunc gloria! quanta laus!
Inter beatos Christianos
Excipiet super axe cœli?
Rex omnium regum & dominantium,
Palmaris Antistes, tibi sertulum,
Immarcidam semper corollam,
Vsq; gerendam ibi, gloriosè
Imponet altæ laudis adoream.
Quæ dignitas! quæ gloria! quod decus!
Honos quis! æternùm inclitum te
Perpete luce beatum habebit?

Munus

Munus-Iudiciale
PRV. DOCT. ET OPT. V.
D. MICHAELI WIRT, NO=
tario Epper. traditum.

ATticus orator, populi quem robora clarant,
Quondam hæc: si biuium mihi fortè daretur e=
Altera me rectà titulos via ducat ad altos, (undum,
Altera supplicio quà damner, & occidam ad enseis:
Eligerem ire trucidandus, fastigia rerum
Quàm capere: æternant hæc, amputat illa dolores.
Wirti, noster honos: tu scilicet alter es ille
Atticus orator, cui magni nausea fasces.
Durus hic est sermo, Demosthenis ore profectus:
Te tamen illius sæpè æmula voce locutum
Ipsemet audiui: cùm quis te animaret ad vrnam
Iudicis, huic, memini, te dicere: obire ego mâlim,
Mâlim, hoc quàm miseris cruciari tempore sceptris.
Orchestram anticipet, qui vult, sellâq; curuli
Primitùs eximios inter se collocet Anteis:
Dum modò me teneat mea terra, hâc parte beatum.
Magnus honos—onus est magnum. felicior ille est,
Quem priuè Lare securo iuuat vsus & esus.
Sed tu iam Consul Wirti, contemptor honoris,
I, mortem extenua præ fascibus: I, latè & altè
Publicus esse caue: caue te ruditate tueri.
Nil facis, & nil te contra armas vocibus: heu me,
Heu miserum. menè hæc Sors?, ah sperauimus vnquam
Talia? cur plæbs præterit illos, longiùs vsu

Edocuit quos experientia? ſcilicet ipſe
Aptior eſt cytharis aſinus, quàm ſòrs ego ſceptris.
DI boni, & ô Ciues, Ciues, quod quæritis, à me
Exſulat. ah ſaltim hoc mihi parcite, cætera iuſſus
Promptiùs accipiam. nugæ: in ritum omnia priſcum
Ire intelligo, me quid fiat, inaudio; Clangunt
Aera, tholus reſonat concentibus. ô miſerum me,
O miſerum me: nî mecum communicet Athlas
Bracchia, & Alcides humeros ſupponat; an in me,
Ciuica turba, potes certam iacere antè ſalutem?
Hæc equidem, Prætor iuſtiſſime, in æde creatum
Concio te ſacrâ, noſtriq; corona ſenatûs
Multà quiritantem bibit aure. Heîc lerna malorũ eſt,
Non eſt ſeciùs: ipſe tuæ ſubſcribo querellæ,
Nunc vbi vicinus minitatur Turca ruinam,
Et poſtquàm Hungarici cor Agria nobile cœli
Inuitat reliquos animam exhalare receſſùs;
Non ſatis eſt Hoſtis, mouet & vicinia bellum.
Qui nos debebant defendere, cædimur illis.
Adſpicio ciueis: negat omnis ferre Iubenteis.
Eſſe ſuæ vult ſpontis homo vel podice natus
Theſtylis obſcuræ; reſponſat & oncat Aſellus
Quilibet, ad præcepta rudis. Crux Iudicis iſta eſt.
Quùm ſerpit tacitè, vel apertis feruere prælis
Incipit inſanus vulgò, intra mœnia motus,
Plumbea tela volant, enſeis euiſcerat omnis
Subditus, in ſolo figendos Iudice primùm:
Sis Cicero: Catilina tibi eſt. Sis Iulius: ecce
Brutus adeſt, cæcum molitur in ilia ferrum

Caſſius,

Caßius, in vix suspectum se Scipio Gracchum
Armat. tunè, Meli, noua vis? Seruilius vltor.
Pax est: heic, Iudex, Crœso vænalis es auro,
Et truncos manuum, & vælatos lumina, quondam
Pinximus antiquos fucato crime Regenteis.
Heîc nimiùm es mollis; mox heîc nimiùm aspera durus
Imperia exerces; pretio vexare columbas,
Et coruis veniam dare mos. de Iudice sermo est
Vsq; nouus. Modicè vix turpe residat in illo;
Omnibus est lippis notum ac tonsoribus; inter
Vina volant hodierna domi, cras fama volucris
Totâ diuulgat regione; nec ocyùs ora
Vênit in omnia, quàm peccant quæcunq; Potentes:
Prælucent Patres Conscripti talia nobis?
Sic in pisce caput priùs inficit aëra fætor,
Dum grauis in reliquas serpat putredine parteis.
Hem dubitamus adhuc, Iudex cur esse recuses?
Verùm, hoc cùm Dominus iubeat, parère necessum est:
Regibus ille Vrbeis, Regesq; dat Vrbibus Orbis.
Non est de nihilo semper quod dicere vulgus
Adsolet. ipsa etiam paßim quod disserit anceps
Vox populi, vox sæpè Dei est. tu Consul es antè
Iam semel atq; iterum, Wirti, clàm voce creatus.
Sed te fatalis lex isti distulit anno,
Vrbs quo compos ouat voti, te Consule, facta.
Respue: nil facies; conclamatum, atq; statutum est.
Nolis, siue velis, regimen tibi creditur vrbis
Totius, vt ter iam sublimis fornice látus
Bis denos inter proceres, cygnumq; Senatum.

Primulus in medium dicas, consultus ad vrnam,
Quod Themis, & ratio dictat, Respublica poscit.
Nil profecturos tibi cura intrinseca sensûs
Macerat. Hui te accinge operis, ac desine questûs,
Surge humili ex animâ. quid tum, si Consulem auerent
Gallinâ alba ortum, miseræ de furfure plæbis,
De grege cordato, Centum gens tota viratûs
Esse magistratum sua per suffragia te vult.
Omnibus ergò modis vis fasceis esse beatos?
Troia suos Parides, Catilinas Roma, minus non
Hectoras & Marcos, quàm semper habebat. Athenis
Pallas agit, sed agit quoq; turpis Erinnys Erisq;.
His tua magnanimè præcordia corrige Iudex,
Et, qui sis, te disce: potes, quod posse negabas.
Immò vel heîc callum obduxti, certè antè disertus
Quod geris, officium non est ignobile; non est
Cuiusuis Genij, nostri commercia vulgi
In chartas pennâ disponere sæpè trilingui.
Frangit & ille labor, vires animiq; serena
Inficit, vt stabulent mordaces pectore curæ,
Temporâ Cordolium faciat candore niuali.
Quisnam alius felix hâc dexteritate labores
Vnus Athlantæos subeat? quis sufferat alter.
Res, non infiteor, magna est, felixq; cerebrum
Postulat, hoc triplex, hoc tempore, flectere vulgus.
Heîc tibi non blandè laudem arrogem: es ipse quod (audis,
Ac velles citiùs. Tibi debent omnia ciues.
Nam tu, Sol stellis antestat vt omnibus, vrbis
Ciuibus istius decus es; te dicere Solem

Non

Non dubito, vt furat, & Rhamnusia liueat atrox.
Aemulus es veræ Pietatis; es optimus, audis
Assertor Fidei; Templiq; fidelis amicus.
Credet id Inuidiæ suboles acerrima, si me
Prouocet, &, Fidio vel coram iudice, sistat.
Tu Mose, & magno sancitas Cæsare leges
Romanasq; simul, sanctæ monumenta Themistos,
Quicquid & Hungarides iustè scripsêre Tyranni;
Scis penitus, de more, suos qui calleat vngueis.
Te ratio, seu priuus agis, seu publica tractas,
Ne quid præcipites, differt, cordisq; recocti
Vult hominem, ne quod pars vna susurret in aureis,
Altera verbosi nondum sit Rhetoris ore
Cæsa trahas pœnis, & flagitia antè magistras
Decidas voces, quùm fas ex codice Baldi
Præcipitare reos, vobis licet esse seueris.
Re sis Germanus licet, ore latinior ipsis
Es Latiis. nil Sarmaticè, nil voce Bohemâ,
Immò haud Hunniacæ fuerint quæ obnoxia linguæ,
Fari ausim, te non satis apta loquente vicißim.
Heîcce etenim sic Teuto-Sclau-Hungara miscuit ora.
Debet vbi grauibus de rebus epistola scribi,
Siue Vienna tuæ Cameræ, Dominæúe Casurgi,
Nil scribis, nisi quod decies castiget ad vngnem
Irrequies nocturna, aliquid ne forsitan vrbi
Officiat, ceu sunt nunc aulæ, & Numina mundi,
Queîs, benè nî tornes, vox vnica parturit iras.
Præterea Hungaridos proceres, & nobile stemma,
Ore styloq; potes sic demulcere, secunda

Vt responsa feras, faueat turba inclita nobis.
Si qua loqui doctis res exigit, omnia doctus
Scitè equitas, plæbem contra es sermone pedester.
Vt Polypus nequeat meliùs variare colores.
Non rarò noster tibi Teuffenbachius aureis
Præbuit oranti: non rarò sumere cœnas
Te secum voluit, rata & illa negotia iußit
Confieri, expedienda forent quæ Principe iussu.
Quùm etiã Hoffmannus, cor Cæsaris, istud inau-
Ille ad me heîc nuper: Sic estné Notarius vrbis (dIt.
Nunc Iudex? nam fama meæ hæc innotuit aulæ,
O factum benè! Sæpè virum nos nomine Ciuis,
Ore verecundum, mente acrem accepimus; annos
Ante venit quondam Prudentia. scilicet ætas
Serior haud semper trabeam meret; ingenij auctus
Dote meret, docto vix aptior alter habentis.
Hoc, Wirti, ellogio te dignum censuit ille
Calculus Hoffmanni, quo non prudentior heros
His alius Genio meliore gubernat in oris.
Non semel Austriacas orator missus es vrbeis,
Quà grauis eloquio, teres ore, in Principis aulâ
Publica promôsti sollerter commoda. Sæpè
Coram animoso ipso fecisti Principe verba.
Bisq; aduentitium es iussus Maxæmilianum
Excipere, audiuit tua cùm Dux æmula Tulli
Ora. Sigismundus, nostri sola anchora cœli,
Et propè quem supplex nõ Christigenûm orbis adorat,
Quæ tibi sit, didicit, facundia, quæ tibi virtus,
Discemus aßiduè, sed quò plus discimus, omneis

Tantò

Tantò discipulos nos, semper sole, relinquis.
Tu vegetos anteis longè, fractosq; senectâ,
Vespere seu sero, seu manè negotia in vsûs
Vulgò diuiduos intexas Ansere chartis,
Congregis admirante foro, triste omne triumphes,
Quùm longè speculas, venturaq; prospicis antè
Lynx, vt maturè procul exsulet omne nociuum.
Hæc, Wirti, potes ergò. Sed ô mihi tanta supersint
Otia, vt illustri poßim describere versu,
Quæ pietas tua flagitat, & prudentia sollers.
Et te supplantat decus id Geniale Pudoris,
Vix strictim vt poßis amplecti encomia vatum.
Zoilus inuideat, ventosa calumnia rumpat
Ilia tota licet, frontem corruget auarus,
Ploret & oret opem, quem gloria vexat inanis:
Tu salue, æternùmq; vale, Wirti, optime Iudex.
Tu fugitans sceptri, sceptro & diademate clares.
Tu Iudex, tu Consul eris, tu legibus æquis
Iniicies frænos sceleri; ne deuius error
Participet pœnis ciueis; ne putrida membra
Pars sincera simul trahat, ense recide popelli
Vlcera; debella morbos: sana assere fortis.
Vt tamen imperites, hominem porrò esse memento.
Cui necis, & vitæ ius Rex indulsit Olympi,
Regnum est sub regno. Sceptrum datur omnibus vsu,
Mancipio nulli. Stiuam depone, Fabriti, (briti.
(Sceptra decent humileis) bone vir, cape sceptra Fa-
Vidi ego, qui titulis hesternâ luce supremus
Iret, eundem hodie vidi sub lege iacentem.

Prætor es: esse velis. non laus in nomine solo est.
Quæ noceant caue: præcipe idonea: consule cautus:
Expende omne prius. Sed susnè docebo Mineruam?
Sit felix, faustumq; tibi hoc, Ioua auspice, regum
Rege, hoc perficias. tibi Filius illius ibit
Suppetias. tibi Perficæ & Adiuuæ is vnus, ad vrnam,
Fiet, falso olim damnatus iudice, sollers
Is dabit ingenium, & vires, is Pallas; Apollo;
Iuppiter. æternùm salue, Wirti, optime Iudex.

ZOILO,

Districha mea præbibitoria calumnianti.

QVid blateras? quid ouas? fur mendacissime homo?
Bestia scurrileis nata mouere iocos! (noreis!
Annè pio de more, bonis quòd præbibo vinum;
Ebibo, si fuerint pocula larga, minus,
Castra autor violo Virtuti scripta? tu nequam
Mentiris; longè pessime & ater homo.
Quòd toties (canis os & cor) præmitto salutem:
Id factum haud vno tempore scire potes.
Si fallax animum & tempus distinguere non vis;
Mentiris; longè pessime & ater homo.

In Insignia
GENEROSI ET EGR. V.
D. TOBIAE ILMANOVSKI,

nuper ipsi à Cæs. Rom.
data.

Non

NOn iacet obſcuris virtus generoſa latebris,
Luce ſed in mediâ tollit ad aſtra caput.
Sic & in hoc ceruum qui ſchemate cernis, in auras
Qui ſe ramoſo vertice tollit humô.
Marte tuo fòrs ſcire potes, cur talia Cæſar
Maximus huic dederit præmia ſigna viro.
Vrget iter pernice gradu; feſtinat anhelus,
Vt ſibi virtutis quærat in arce locum.
Hinc, licet Inuidiæ doleat, fert præpete curſu,
Quæ non eſt ſegneis par retuliſſe aſinos.
Dum properat, ceruina ſitis linguam exſerit: iſte
Se feruore animi gnauiter vſq; gerit.
Gratulor, hoc Inſigne tibi, Ilmanouski, ſuperſtes
Vt poßis iſto lætus honore frui.
Eſt ceruus viuax animal; laus æmula cerui
Pòſt tua ſic ſuperet, mi generoſe, precor.
Da Deus, vt curſu grauis Ilmanouskia virtus
Viuat, & huic tandem ſint ſupera aſtra quies.

Ornatiſs. Iuueni
SIGISMVNDO SCHVLCIO
Epperies.

FLos noue Calliopes, primusq; future per arteis
Muſæas patriæ quondam amor, altus honos.
Ergòné Stiriacas Genitor te rurſus Athenas
Miſit ad illuſtreis more & honore viros?
I: parére decet? felix i, Scholcia proles,
I: comes & conſors Chriſtus euntis erit.

I: duro Aonios vrge sudore laboreis,
Vt fias patriæ gloria prima tuæ.
Tempus erit, referes magno cum fœnore merceis,
Quas emptum Græcl rursus abire paras.
Ingenium haud simplex Latius tibi cessit Apollo,
Qualiter hesterno prodidit ipse die.
Illo florenteis nisi nunc vtare per annos,
Crede mihi, posthac Musa sequetur imers.
Ergò Palladias vel adhuc ne desere chartas,
Heîc te doctrinâ cùm solidare queas.
Ipse tui generis te gloria promouet Amman,
Teq; pòl egregij more parentis amat.
Cuius ab arbitrio si pendes, ritè per altos
Te sperem officij scandere posse gradûs.
Ardor eris caro, vir factus honore, parenti;
Grata geres homini munera grata Deo.
Qui viridis tolerare potest gesta ardua sæcli,
Mitia clarabunt hunc sua fata senem.

AD
VIRVM NOB. DOCTISS.
& Opt. Poëtam
D. CASPAREM FRANCVM, Cæs.
in C. Scep. R. L. Mag.

CAesarei pars flosq; chori, France, inclite vates,
Si vacat, his aureis facilis da, quæso, Camœnis.
Accipe, quæ iactant animum, non carmina: quantò
Doctior es, tantò cùm sis humanior; ausim

Te mo=

Te modicis cantare metris & simplice versu.
Arbore sub viridi nuper cùm fortè iacerem,
Quà mihi fronde graueis defenderet vmbra calores:
Monstra puellarum bis quattuor obuia gressüs
Ad me grata ferunt. Germanas veste, sed ore
Agnosco Latias; Musasq; vocare puellas
Gestio: sed numerus prohibet; namq; esse nouenas
Non octo Musas scibam; dumq; hæreo, primùm,
Heus, ait vna, virûm fors non postreme bonorum,
Vidistinè istâ nostram regione sororem,
Hunnos ad rigidos Germano Helicone profectam?
Quà Cassouiadæ (dicam explanatiùs) vndas
Ad Conradis agunt, heîc dicitur illa morari:
Huc celeramus iter: potes an nos reddere certas,
Vt viuat, valeat? quis ei hospita tecta ministret?
Contrà ego: sis quæcunq;, nihil celabo rogantem.
Est ita (testor enim) formosior vna sororum,
Vestrarum similis vocem moreisq; secundos:
Museâ virtute replet Cassouidos vrbem.
Hospitium illa sibi legit, quà Cæsaris aula
Purpurat; est Franco nomen, qui in tecta recepit:
Hôc ea præcipuè nunc hospite gaudet, & ipsum
Heîc putat esse suum Parnassum; Helicona; recessûs
Aonios; ea Phocidos vnda; is Phœbus Apollo.
Musa mihi grateis agit: ast, quæ ducat in vrbem,
Ipse viam monstro; sed me mea captat Epeîrus.
France, poëtarum Sol, Pannonis orbe coruscans,
Qui versu illustras proles Hyperionis, aureô
Nos splendore tuo, qui discimus esse tenebras

His,

His, quæ barbaricis nox Hunnidos occupat oris:
Ecquid acu tetigi rem, te quòd adire puellas
Iusserim eas? non me sententia fallit; es inquam,
Es domus Aoniæ, si quicquam iudico, Musæ.
Tu vates longè melior, quàm natio credat
Hungara, stramineis pro vatibus vsa poëtis.
Inter Sauromatas quondam optima carmina scripsit
Naso: ita tu tractu, quo nil nisi Martia, nostro,
Ornatißime vir, studium hoc humanius arma
Per dura exerces; populis vt mitia sperem
Corda fore, hospitium dederint qui versibus vltrò
Antè tuis: tellus det Musis barbara sedes:
Mars placidâ rigidus cum Pallade fœdera nectat.
Quâ te laude feram, Vates cultißime! quo te
Ellogio celebrem! tua gaza poëtica diues
Poscit vt ingenium: versu sic diuite vellem
Te cantare pius gratusq; sed acer Apollo
Non tantas indulsit opeis, mihi & esse beato
Heîc adeò haud licitum est; mea stridula Musa cygno=
Expers; aura mihi donec sit mitior olim. (rum
Salue, Heliconis amor, Musarum dena; poëtis
Gloria victuris, sua quos doctrina celebrat.
O solidâ virtute vir! ô heroas & inter
Luciferos doctûm numerande! ex plæbe laboreis
Miramur nos vsq; tuos, & carminis artem.
More vetusta nouo, priscè noua dicere, non est
Cuiusuis, quod, France, potes sollerter: ad vngueis,
Quæ sit maiestas versûs, quod dedecus, ipse
Calles & graphicè simul expedis; omnia posta

Censu=

Censuram atq; graueis habuêre vocabula limas.
Qui legit æquoreas propter sua littora conchas,
Vix ita, quæ præstant, prudens discernere possit.
Quod ruit in buccam, multis iam scribitur; ast te
Nil capit, ipsius sapiat nisi & antè palato
Pallados & iuxtà pariat sua gaudia Musis.
Si qua iacere volunt, grauitate resistis, & altè
Scandis, vt heroas decet altos carminis, autor.
Magna sat inuentis sit quamuis vbere rebus
Gratia prouentu; doctas tamen allicit aureis
Plus Musa egregiè verbis cordata sonoris.
Non aliter fuluâ stellatus Iaspide lucet
Annulus; & rutilum fit gemmâ illustrius aurum.
Multi equidem tornant de furfure carmina sicco,
Queis quando succus deest; nil exsangue cadauer
Sunt præter: sed tu Clario tua fonte ministras.
Hinc tot habes Genij, quot Musa Maronis, & inter
Hos dudum ferres numerum, quos Cæsar & ordo
Fronde Palatinus cinxit curuamine Lauri
(Quorum etiam haud paucos tua prægrauat arte Cæ-
Nî solitas fugeres laudeis ambire iuuentæ. (mœna,)
Tu sine fronde hederâq; places: tu nos tibi raptas,
Lectoreisq; tenes. qui iam deponere chartas
Vellet, is vsq; (velit nolit, dum littore sistas)
Nauigat ore; nec in portu puppim alligat, altum
Rursùm intrans semel atq; iterũ, vasta æquora versat.
Sic facis Euripos, qui non in fine diurnent;
Sed velut ad Loton ratis obuertantur Vlyssei.
Ducere scis, Orpheus rursùm alter, & arte magistrâ

Seruus

Seruus es auriculis oculisq; ; quod allicit aureis,
Et quod lumen habes ; calcographus ipse decenter
Quando typos sic autori quoq; ritè ministrat :
Carminis est pulcrè descripti gratia maior.
Sic es Suada merè ; linguâ calamoq; lepóreis
Sufficis æternos ; vt qui non symbola credat
Esse tua : ingeniũ excellens decora aurea mentis ;
Doctrinam egregiam, virtutem : haud arbiter æ-
Ille sit, hoc rectè si crescens iudico vates. (quus
Et quare omnis eò docti celebrisq; poëtæ
Nomen, France, tibi dare debeat, optime, præstò est.
Te, felix horno quæ gessit Marte Rodolphus,
Versibus egregiis & carmine bella sonoro
Excipere haud piguit, doctisq; includere chartis ;
Quas vbi contigerit Cæsar, donabere Lauro
Principe ; quid Lauro ? maiora mereris ob artem,
Te facient comitem, Romana palatia vatum ;
Splendida magnorum recites quòd gesta virorum.
Iaurini domitor, Schwartzenburgerus, & armis
Palffius acer, humô per te tolluntur Olympo.
Per te vota redux, meritæ & præconia laudis
Maxmilianus habet ; quem Mars felicitet, optas.
Vnter & holcerus, Lassotaq;, notior heros,
Par tibi dulce, magisterio par vtile bellis,
Non te transierint testes, quàm iugiter ornes
Felix noctis opus felicis ; & insuper ista
Iuxtà abacum & Latios numeros quâ laude gubernes,
Cæsariosq; fide reditûs quâ nocte ministres
Atq; die ; quæ sit sollertia, quanta gerendis

Sedu-

Sedulitas! testis Camera est, Hoffmannus & ipse
Non tacet, & collegarum manus æmula vestri
Suspicit ingenij feruorem, & promptiùs vlli
Esse datum negat, arbitrio componere paruo
Magna; quod est animæ diuimè, atq; indolis altæ.
Iure superbiret vel te quoq; patria propter,
Quòd tibi præbuerit, Genio vir nobilis, ortum.
Hinc, dubio procul, esse domi te Slesias optat.
Et faceres, magni nisi Cæsaris aula teneret.
Nostra peregrinis te tellus inuidet oris.
Ipse ego sæpè Deas supplex orabo nouenas,
Spes tibi suffocent omneis, si forsitan Axem
Ire velis quondam proprior; quin Gloria fasceis
Ad te deuoluat meritos, teq; inserat illis,
Plus qui præcipiunt, & queis commisit habenas
Belliger ipse suas terrâ Arbiter hâcce regendas.
Interea, quòd multa rogant docta ora, paratos
Iam pridem reliquos in lucem exponere fœtûs
Incipe, quos nimiùm tua Musica continet aluus.
Non adeò Osoreis palles, ne finge timorem.
Ceu seps ad sagæ voces: ita Liuor ad omneis
Ipse tuos versûs tacet, & malè vapulat ipse
Zoilus; inuideat licet & ringatur, in ora
Te quòd Musa virûm tua porrigat arte secundâ.
Clare Poëta, vale; victurum Slesidos oræ
Versibus esse decus tam doctis perge! parabis
Hisce tibi laudeis terrâ, & quùm sidera scandes
(Dij dent, id serò fiat) sis celsus Olympo.
Omnia (postgenitis tantùm olim si quà relinques)

Secla

Secla recentabunt omneis tua carmina in annos.
Nam prius heîc te posteritas quàm, oblita laborum,
Non laudet, legat, æstimet, admiretur, honestet:
Sal tineæ arrodant: stygiis Sol luceat vmbris:
Ignis aquas subeat: nascantur in aëre pisces:
Nidificent vndis volucres: dent æquora messeis.

V. Generosiss.
D. SIGISMVNDO MARIASSI, &c.

LAus Mariassiacæ palmaris & inclita gentis
Gloria, quà Martis, quà cluit artis honos.
Gratulor hesterno quòd sumere vespere cœnam
Contigerit vultûs mîq; videre tuos.
Leucoreis quondam fueris quòd alumnus Athenis,
Inq; Argentinâ vixeris antè schola:
Credere me cogis: tua verba diserta Mineruam,
Et spirant Musas, Iunia scripta, meras.
Te quoties posthac conuenero, dicere cogar:
Nunc Argentinæ Leucoridiq; fui.
Pannonici noua viue soli spes, macte vir, olim
In patriâ virtus fòrs tua grandis erit.

Ioanni Fabricio de D. FRANCISCO ET SIGISmundo Mariassi.

NOn ego magnorum numero vel mille virorum,
Qui virtute carent, aucupor esse cliens.

Quos Pietas probitasq; iuuant, his nostra patronis,
Fas vbi præcipuè Musa placere cupit.
Quale tuis, Iane, auspiciis par, optime, cœnam
Præbuit hesternam, Nobilium omne decus.
Qui de Christiparâ cognomina virgine gestant,
Quòd castæ moreis virginitatis alant.
His per te notum me fratribus esse duobus,
Gratulor & grateis post tibi semper agam.
Me quòd in illorum sinuaueris ipse fauorem,
Vt Mecœnatum nos simul instar ament.
Dignus vterq; suis est laudibus; dignus vterq;
Viuere Nestoreos sospes in orbe dies.
Ambo florentes virtutibus, arte sat ambo
Ingenuâ cultum, non rude pectus, habent.
Alterius Basilia pias solertia pubem
Fabricij docuit maxima litterulas.
Alterius tellure bonas Germanide Musas
Attulit in patrium docta iuuenta solum,
Leuchorides Diuas magniq; Melanchthonis arteis,
Wittembergiacâ suxit in vrbe scholam.
Est vtriusq; adeò virtus extensa per oras
Hungaridos, neutri maior vt esse queat.
Iste ætate minor parilem se præstat, vt heros
Alter & à pueris est Pietatis honos.
Ille gerit, simul iste animas in Martia gesta,
Se probat, in rasos quùm decet ire Getas.
Sophrosynes cultor, Fidei, Themidosq; patronus
Nutrit & extendit Relligionis agros.
Moribus est cultis rari studiosus Honesti;

Ore grauis; constans, rex quoq; cautus opum.
Ob luxum tetramq; gulam nil perdere suetus,
Quaq; est munificas turpe habuisse manus.
Quando sacerdotes Christi Phœbiúe laborant,
His certam largus fert reuerenter opem.
Immò meis etiam redeunt hinc lucra Camœnis,
Aere quòd in versûs nos animare solent.
Ipse recordaris, quàm nuper grande poëtam
Inde auri pondus fecerit esse reum.
In doctos friget iam munificentia vates;
Nunc mendicato viuit Apollo cibo.
Sed Mariassiadæ, quorum doctrina meretur,
His dare liberiùs præmia magna solent.
Nec modò muneribus decorant, verùm inter amicos
Certatim referunt pectora docta suos.
Talibus ergò viris quidnam laudatiùs, & quid
Terra optabiliùs Pannona ferre potest.
Hos mihi fautores, autor, mi care Fabrici,
Tentabo studiis pòst retinere meis.
Vt simul æternâ præstantes laude supersint,
Omnibus hoc neruis carmina nostra parant.
Iam superest, tantis, dilecte ô Iane, patronis,
Hoc pro communi fata rogare bono.
Arma viri capiant felices, maximus æui
Conditor vt faxit vera potensq; Trias.

AD
MAXIMILIAN. FABINI.

Mel mihi cur donas? mel amicos, fel decet hosteis:

Hinc

Hinc mellite mihi dulce, Fabine, mel est.
Mellea sit tua tota domus; sit mellea tota
Vinea, sors, coniux, gloria, vita, salus.

Ex Ioëlis 2. v. 22.

Lignum attulit fructum suum,

& vinea dedit virtutem suam:

Vindemiæ hypotiposis

ad

GEN. EGR. ET PRÆST. V. D. GEORGIVM HOFFMANNVM, Cæs. Cons.

MEnsis adest, Hoffmanne, suas quà vinea messeis
Poscit, & Octobri vitis amœna litat.
Stat matura nigris Vindemia tota racèmis,
Palmes & ipse suum ferre recusat onus.
Rima ferè tereiteis per vellera rumpitur orbes,
Iam penetrare cupit turgida grana latex:
Anxia non aliter Lucinæ fœmina partu
Horas ægra graueis anticipare flagrat.
Lamina, quæ virides foliorum nuper honoreis
Pertulit, illa croci rubra colore iacet.
Fracta pruinosas sua vestis deserit vuas,
Difflatur, Boreas trux vbi spirat agros.
Fructus cùm pendere senex vix arbore porrò
Sustinet, in cellas gaudet abire merum.
Quæ mora? si quis habes incidere falce racemos,

Hoc autumnali sidere vina pares.
Eia agè, turba ruas, altaria ponere Baccho,
Liber amat gratis fundere musta viris.
Quæ virtus horni sit nectaris, ore falernum
Discere nobiliùs musta trahendo iuuat.
Mira patris bonitas cœlestis, spreta quòd arbor
Intuitu aridulâ stirpe ministret opeis.
Et dubitare velim, parilis quòd gratia ligno,
Aut suus arboribus surgere poßit honos?
Arboribus quia surgat honos & gratia ligno,
Quid non virtuti, vir generose, tuæ?

Epigramma

De dicto Malach. 3.

Non erit sterilis vinea in agro,

dicit Dominus exercituum.

ad

V. REV. ET DOCTISS. D. THOMAM FABRITIVM, P. Patacinum.

Si benè florescat generosis vinea botris,
Diues eris, dicit vinitor omnis hero.
Palmes onus tolerare nequit præ pondere succi,
Diues eris Bacchi, diues & æris eris.
Quære cados, cellas distende, ac dolia laxa,
Promittit largum pampinus alma merum.
Sed tu, cui Patacina ferunt vineta, Fabrici,
Credere mox noli, quod Ligo forsan ait.

Sæpè

Sæpè ſuo dixi domino, ſed dixit, & vuas
Vinitor autumno non dedit ille ſuas.
Interdum Boreas, interdum plurimus vndis
Noxius oſtenſas perdidit imber opes.
Impius haud ratò Mars fructûs conterit omneis,
Teuto racemiferâ prælia vite gerit.
Nulla fides igitur dictis, promiſſor herilis
Quæ dat, ſi Dominus non quoq; dicat idem.
Dixit at hoc anno, cui clari exercitus aſtri
Militat, & ſterileis fructificauit agros.
Fertilis eſt vuæ, laticis quoq; fertilis annus
Hic erit; hoc Dominus dicit, & ipſe facit.
Is det, vt accepto quoq; munere quiſq; fruatur
Soſpes, & hoc etiam vir tibi clare precor.

Ad
VIRVM DOCTISSIMVM
D. IOANNEM SIDERIVM,
de
Dicto Eſaiæ 65. cap. ver. 8.
Si inueniatur granum in botro,
ne diſſipes illud, quoniam benedi-
ctio eſt.

Conquerar, an ſileam? reuerẽde vir, optime Myc-
Qui de ſideribus nobile nomen habes. (ſta,
Vt patriâ de gente pudor ſit turpe fateri,
Non tamen id pietas vera tacere ſinit.
Has (loquar expertus) miles Germanicus oras

Destruit, & vestros depopulatur agros.
Proh dolor! hoc passim patitur iam Pannonis hortus,
Quà sua Teuto piger turpia castra locat.
Diripiuntur opes miseris, ceu iure, colonis,
Omnia qui nisi dent, vulnera mille ferunt.
In grege Mars pugnat, cum solis bella gerenda
Ac si gallinis anseribusq; forent.
Vinea præcipuè generosis clara racemis
Sentit vicinas asperitate manûs.
Quas gula non potis est consumere latior vuas,
Has leuis inuidies luxuriesq; premit.
Palmes humi fractus moritur, calx omnia frangit
Impia, vineto gratia nulla manet.
Culta iacet multo sudore, labore per illos
Vinea strata, quibus debuit esse ferax.
O vos ingratos cuculos, quæ perditis, ipsa
Sufficit hæc Domini munera larga manus.
Cœlitùs an fas est benedictas lædere vites,
Ipsius & fabricam tundere calce Dei?
Impia turba suas debebas dicere grates,
Talia, qui nobis dona ministrat, Hero.
Hircus an hoc olidus faceret, an amica luto sus?
Scilicet & porci plus pietatis alunt.
Ominor, Improbitas dabis ô Germanica pœnas,
Cur tibi pòst botros Hungara gleba ferat?
Quæ bonitas immensa Dei, quæ gratia cœli
Sufficit, hæc grato sumere corde decet.

Vinde-

Vindemia Scholastica.

AD

NOB. GEN. ET INGENVos adulescenteis, Georgium & Stephanum HOFFMANNOS meos, c. discip. iam in Vindemia versanteis.

Nobile par fratrum, suboles heroa, parentis
Spes, amor, egregiæ flosq; future domûs.
Quando tempus adest, maturas vinitor vuas
Vt premat, & fructûs vinea reddat hero:
Vos pater, ingenio quo vix præstantior alter,
Pro prisco vester more vocare solet.
Non vt fortè domi sint otia turpia Musis,
Vos deses capiat torpor & ægra quies.
Quô malè consuleret vestræ sub flore iuuentæ,
Nulla cui frustrà debet abire dies.
Causa subest grauis, inter opus Bacchiq; labores
Vinea vos etiam multa docere potest.
Vt generosa bonâ propago vite secatur,
Quæ mera ferre olim rursus & ipsa queat.
Sic de stirpe satos clarâ virtutis amantes
Non decet à patriâ degenerare domo.
Vtq; peregrinas vitis transfertur in oras,
Insit quòd virtus huicce patrita simul.
Non aliter propter genitorem filius orbem
Per totum nomen sæpè celebre gerit.
Sed veluti rursus multo sudore paratur,

Fiat vt egregiè vinea culta ferax.
Haud secus & proles quamuis Natura sat apta
Fecerit, arte tamen debet honesta regi.
Fertilis ante suas quotiens vindemia messeis
Cæditur & suffert grande laboris onus?
Heu quotiens patitur perfossa bidentibus arua,
Heu quotiens durâ fracta ligone dolet?
Diceret hoc fossor, cui tergore nascitur imber,
Quando racemiferam ferreus vrget humum.
Iam scrobibus format: iam rursus adæquat arenas,
Densa ferit, noceat glarea ne qua mero.
Iam solis rapidos fert æstûs, dura pruinis
Frigora iam tolerat, iam sitit atq; famet.
Iam validos forteis reddit, iam vimine qualos
Liberat: vsq; nouum sic variatur onus.
Dum sole excoctas tandem præscindere guttas,
De tenero fructûs palmite ferre queat.
Tandem herus in lætas infert mera dulcia cellas,
Gutture quùm pleno vina Falerna trahit.
Aut, ita si placeat, merx venditur ære Lyæus,
Magnificas domino vinea portat opes.
Ecce, quod ingenium patris est, Hoffmannia proles,
Est propago meri clara propago viri.
Hæc vt in exemplo poßitis discere nati,
Vult spectatoreis heîc pater esse suos.
Vt patriæ fieri poßit virtutis alumnus,
Vite vel ex tenerâ discat vterq; cupit.
Scire decet, quà scire licet, quâ stirpe creati
Sitis, & Hoffmanni vos gemini vnde domo.

Quis

Quis nescit, Genitoris honos quàm celsus in oris
His sit, & externo quàm procul orbe cluat?
In cuius laudeis patet area tanta, Mineruâ
Vt nequeam curtâ sat memorare virûm.
Namq; pias annis didicit florentibus arteis,
Ritè dedit Musis tempora longa suis.
Nunc etiam, grauium quamuis commercia rerum
Sustineat, porrò curat amatq; Deas.
Quamq; habet à magno sibi munus Cæsare Spartam
Ornat, & in Camerâ regia sceptra gerit.
Dulcis amor patriæ quasi numen habetur, & instar
Est oculi nostris pace sagoûe viris.
Nec mirum, tantâ res dexteritate gubernat,
Personam vt meritò regis habere queat.
Is gerit officium Cæsar diadema Rodolphus,
Hocce per Hoffmannum qui regit omne solo.
Ex illo celebreis quoniam vos ducitis ortûs,
Non tantùm ore, etiam more referte patrem.
Vestra ille est vitis, vos ipsi palmes amœna,
Cuius & in ritum vos decet ire duos.
Insita sed virtus quia se non spontè videndam
Prodat, eam proprio Marte ciete palàm.
Nulla solet cultis nisi vinea ferre racemis,
Sic virtus duro parta labore venit.
Ergò domûs Hoffmanniacæ generosa propages,
Vos etiam caro grana referte patri.
Iamq; (nec hoc ætas prohibet) tolerate laboreis,
Vinea sint libri vestraq; penna ligo.
Tempus erit, si non pigeat pudeatq; laborum,

Quo tumeant vestris læta falerna cadis.
Gloria sudorem virtusq; decusq; sequuntur,
Nulla manent pigros præmia, nullus honor.

Viro
LITTERATISS. ET HVM.
D. GREGORIO VACIO,
S. Vyhelinæ R.

FOrsan poêtæ munere perperam
Me fòrs, Vaci, mendacia per duo,
Fungi autumas, quòd nuper oras
Non fuerim hinc Vyhelimianas
Ad te profectus, visere Musicos
Quos exhibet vobis Helicon viros,
Sed quùm satis non fecerim, iam
Verminat id mihi pectus ergò.
Bis te domi visurus eram, sed heus
Non noxiam nobis citus imputa,
Verus fuissem, sed febris me
Arida torruit & marasmus.
O plus ocellis care Vaci Vaci!
Non credis, vt me nunc Hygæia trux
Vexârit ab me plurimas per
Hebdomades miserè iacentem.
Testor salutem: testor eam diem,
Quâ nunc me amici carmine planxerant,
Cunischium, Fabrum, Balogum,
Atq; alios tibi sisto testeis.

Laurum

Laurum cupressus pallida vicerat:
Atrata taxus tempora vinxerat:
Postremà cordis vixerat vis,
Sed Dominus tibi reddidit me.
Præstabo posthac, quùm potero, fidem,
Si vescor aurâ sideris aurei,
Vis hostium cessauerit quùm
Horrida nunc iter impetrans.
Nam Tartaro cum Tartareo Getes,
Vicinus oris dicitur Hungaris,
Quà se Varadinum tuetur,
Barbara prælia cogitare.
Nos temporis voto interea Deo
Grandi, calentes sæpè litabimus,
Ne prorsus is perdat misellos,
Puniat at patris instar almi.
Desideratam forsitan afferet
Tandem diem Titan, vbi mitior
Affulserit nostris tenebris,
Coràm ego, tuq; Vaci, loquemur.

NOB. V. CL. ET DOCTISS. D. CASPARI FRANCO, Magist. Ration. L. Cæs. in C. Scep.

ACcepiq; tuos ego libellos
Doctos, aureolos venustulosq;.
Queis cùm vincula soluerem, corollam
Exemi benè plectilem; puellæ

Quam mi Franciadæ reciprocantis
Doni nomine fortè destimârant.
Sertum nobile cerno, cerno sertum
Paßim versicolore pictum honore:
Cœlum heîc; ignis ibi; Smaragdus illic.
Verso sæpè, reuerso; oberro ocellis;
Expleri tamen haud tuendo possum.
Mox & naribus addo flatuosis,
Vt se dulcis odor ferat cerebro.
Sed dum fixiùs applico; corollæ
Pungit spinula acuta dura nasum.
Huic, si pace tuâ fit; ipse sentem
Frangam, France poëseos Magister.
Iusto plùs colorarier inaudis?
Quòd præconia te celebriorem
Versûs per faciant licentioreis
Velles simplicior fuissem in illis,
Mercenaria laus abesset à me.
Nec ficum cuperem tuam, quod aiunt.
Vir doctißime, more & ore præstans:
Non certè tibi blandior; sed audis
Sic tu publicè, ines meis vt illis
Corde versiculis bono profectis.
A fuco quoniam remotus omni
Quod scribo, quoq; sentio; nec erro.
Noli, docte poëta, cogitare,
Tam bardumq; rude atq; iudicando,
Simplex sat licet, esse mi cerebrum
Nil possum, fateor, parumúe versu.

Sed

Sed fungor vice cotis; illa acutum
Ferrum reddit, hebes sit ipsa quamuis.
Aio, clamito pertinace linguâ:
Francus Francus amor decusq; Phœbi,
Versûs grandiloquos Marone dignos
Scit cantare, bonus Poêta, clarus,
Carus Principibus viris Monarchæ.
Etsi præco suæ haud sit ipse Musæ.
Nam quò quis generosior poëta est,
Hoc se scire minus fatetur ille:
Stultum est & sine laude nil potesse;
Se iactare tamen nimis superbè.
Qualeis inuenias in orbe multos,
Quos dum nulla scientia; nec vllus
Ornet vir benè litteratus; ipsi
Se cantare solent sui flagrantes.
Vera ast ellogiis tamen professos
Nolle audire, nec hoc meret decorum.
Et cùm tu quoq;, France, dignus omnî
Iam sis laude tuâ? quid æstimatrix
Te non Diua Themistos æqua honestet?
Inuitos quoq; sæpè prædicamus.
Scis, vates dedit vstulanda flammis,
Multis carmina tædiis arata.
Viuit Vergilius tamen, nec vnquam
Sunt illo peritura carmina æuo.
Noui, qui licet imperare nollet,
Huic dat poscere Gloriæ potestas.
Debes ergo pati Deas canoras,

Quando te meritis vehant quadrigis.
Si defendere ſuſtines? Phaleucos
Hos perdeiero; conuocabo Muſas,
Omneis, inquio, conuocabo Muſas,
Hinc Phœbi ante tibi dicam tribunal
Scribam; iſta querimoniâ paratus:
Præſes Laurigeri ſacer Laboris;
Rector Caſtalidum paterq; turbæ;
Docti carminis autor, & patronus:
De Franco tibi conquerar poëtâ;
Veſtro munere vt optimo poëtâ;
Confeſſore ita duriore verſûs.
Submiſſus nimis eſt, nimis modeſtus;
Plus iuſto, Euclio opeis ſuas vt olim,
Theſauros ſapientiæ recondit.
Accepiſſe nihil parumûe veſtro
Dicit munere; diſtributa quando
Sunt (inſert) aliis talenta multa,
Sed mî drachmula vix ibi data vna eſt.
Fers hoc, arbiter optimas? an iſtum
(Te teſtor quia) pluribus poëtam
Non ornaſti opibus? minus negarim:
Illius quia ſcrinia feneſtram
Inſpexi per apertam, & hactenus vir
Plus hoc ſcilicet erogauit anno.
Quod cautus tamen ille diffitetur;
Se Codro, Iro & egentiorem amicis
Dicit Fers, Pater, hoc, Palatij Rex
Cyrræi; Clariæ arbiter cateruæ.

Cernis pauperies sit heîcce quanta
Vatum, diuitior quibus vetustæ
Selectæq; decus sat est monetæ.
Si vis, nos violenter orbe vatum
Hôc latrunculi in Hungaro poêtæ
Tam Cræso eripiemus eruditus
Illi diuitias, vt, institorum
Instar, fœnora mercibus feramus.
Paupertate quòd ipse Martialis
Factus Iuppiter in graueis crumenas
Crassorum ire solet tenaciorum.
Sic nos tempore & hocce versifures,
Si permittis, ô Arbiter supreme,
Hunc vatem spoliabimus, negantem
Clausas diuitias auarâ in arcâ.
Heus heus, France, quid eligis? fateri,
Porrò an dissimulare vis repostum?
Accusatio nostra iam parata est,
Si tu deniq; pertinace sensu
Iam non discupis esse liberalis.
Sat dictum sapere, arbitror, volenti.

Ad
EGREGIVM VIRVM,
D. GEORGIVM SZABONEM,
Neg. & C. prim. Casso.

Moris es antiqui, Szabo mire, nouator, & vnus
Nescius es Spartæ forsitan ipse tuæ.

Iam

Iam ter votiuas iurasti sponsus ad aras,
Hoc tamen haud calles muneris esse tui:
Vt data ab hospitibus capias tibi munera, non des
Hospitibus: vir tu qualis es ergò mihi.
Prodam te: thalamis ego quùm munuscula ferrem
Pauca tuis, vates quæ dare fortè solent.
Per treis vsq; dies gratis potasse, vorasse,
Me cupis, argento tandem abiisse grauem.
Quattuor obtrudis calcaria, vinaq; donas
Hungara; dic vbinam mos fuit iste prius.
Sed scio, cur facias; qui largior æra poëtis
Dat sponsus, thalamo fœnerat ille suo.

In poëtam furem.

Carminis es plenus, quùm carmina nostra volutas.
Fur es, & hoc græcum n tibi propter erit.

In munus aureum à MAGNIFICO ET GENEroso Domino, D. LADISLAO PETŐ, mihi Cassouiæ oblatum.

MArs quòd Mercurium non oderit omnis, id inde
Mî, Ladislae, decus nobile, scire licet.
Tu quia me nuper vatem donaueris auro
Spontè tuâ, meritum tale sed antè nihil.
Res generosa, viris cùm sunt commercia pulcrè
Mutua, quos Martis clarat & artis honos.

Viue:

Viue: tuas iterum res augeat æris & æui
Conditor, vt porrò Musica castra flagres.
Quisquis amat doctis dare munera larga poëtis,
Nequaquam ille suas fortè profundit opes.

V. & Dom. Gen. Egregioq;, D. GEOR. CAPRONCIO,

Cæs. in Cam. Scep. Cons.

ERgòne quod felix faustumq; sit oro, Capronci,
Vir generose, simul tu quoq; sceptra geris?
Hoc ego prædixi, fore, nostri Cæsaris aula
Hoc tibi præ reliquis tradat in orbe decus.
Tertius vt fias Cameræ moderator, acumen
Ingenij propter consiliiq; tui.
Est quoniam Ausonij prudentia summa Monarchæ,
Iudicio claros eligit ipse viros.
Iam quorum perspecta fides, fandiq; potestas,
Tradita qui magnâ dexteritate gerant.
Illorum arbitriis vt constent omnia mundi
Totius, Imperio crescat & alma salus.
Qualis es ipse tuâ virtute ac mente politâ,
Doctrinâ, meritis stella corusca tuis.
Quàm laudabiliter te gesseris hactenus oris,
Hisce frequens regio Pannona testis erit.
Quàm variè experto tibi rerum plurimus vsus,
Quàmq; sit ingenio nobilis aura tuo:
Cum magno didicit iam pridem Cæsare Regnum,
Aulica præsertim turba scit antè satis.

Nescius es fuci: tua mens est candida: pectus
Fraude caret: Pietas te reuerenter amat.
Haud in te generat ventosa superbia cristas,
Responsum cunctis hinc dare come soles.
Quod virtus igitur tua puraq; vita merentur,
Accipe Pannonici credita sceptra soli.
Gratulor hos etiam tibi, fautor amabile, fasceis,
Omnipotensq;, precor, te regat ipsa Trias.
Tertius es Cameræ moderator, sedula binis
Addita collegis cura decusq; tuis.
Cæsariane Senator aue, salueq; valeq;,
O desiderio sis quoq; meta meo.

Peregrinatio.

NVlla manet patriis affixos gloria cunis,
Vsq; domi morus fert sine more moras.
Ad laudum summos & honorum prouolat Alpeis,
Euolat ex patriâ qui benè cautus humo.

Viatori,
PROPTER AQVAM IN
Scepusio lapidescentem.

SI spectare cupis grauium miracula rerum,
Hàc quicunq; facis, care Viator, iter:
Siste parum, soli mihi ne grauis ora colore
Priuet & exanimet cor nouitate stupor.
Quid Garamantas abis; quid & Indos curris ad ipsos
Horrida prodigiis cernere monstra suis?

Quæ mirere, ſatis quando exhibet Hungara tellus,
Arua Scepuſiàci quà peramœna ſoli.
Ecce, elementa duo mutantur, & induit iſtud
Naturam iſtius; dura fit vnda lapis.
Mollius ecquid aquâ? ſaxo ecquid durius? ecce
Attamen heîc molles durificantur aquæ.
Accipe, tange, tene, luſtra per ſingula, rupem;
Nonné ſilex facta eſt ſcrupeus vnda fluens?
Ah virtus immenſa Dei, quam pontus & æther
Hæc etiam Dominum mortua bruta tremunt.
Ne graue ſit, quicumq; ſtupes mirabile tantum,
Dicere: & his Opifex glorificetur aquis.

Iuditæ
CAPRONCIANÆ
nuper natæ.

NAſcere, Caſſouiæ flos, & generoſa propages,
O Capronciadæ Iudita, patris amor.
Matris honos, quondam iuuenum dolor, oſcula cuius
Sint benè purpureis anteferenda roſis.
Cuius inauratos cupiat ſibi Cynthia crineis,
Cuius & ex oculis emicet ipſa Venus.
Cuius honoratos ſibi quilibet optet amoreis,
Cuius & in tota ſplendeat vrbe pudor.
Viue, parens olim te tradat vterq; marito,
Te quoq; naſcatur ſæpè parente nepos.

PARAPHRASIS ELEGIACA EPISTOLAE Iusti Lipsi ad MAGNIF. ET GENEROsum, Doctißimumq; Dominum, D. MICHAELEM FORGACZ, L. Baronem de Gymes.

Nobilissime Baro:

VT pariter scribare meis & amere Camœnis,
Prouocat ingenij Musa diserta tui.
Tu quis es? Hungaricæ decus admirabile gentis:
Materies igitur fòrs mihi nota minùs.
Immò vel ex vnâ, quam misit epistola, chartâ
Te didici, post hac notus vt esse queas.
Cernitur heîc facies diæ pulcerrima mentis,
Quæ velut in speculo ritè videnda datur.
Ergoné Pieriis longè qui distat ab oris,
Castraq; nil præter Martia tractus habet,
Ergoné Palladias, pia ceu nutricula, proles
Educat ac taleis fert simul orbe viros?
Gratulor hunc Genium tibi, flos Baro cælice tellus
Indole sit, voueo, læta patrita tuâ.
Cui tu præsidium tutelaq; grandis in arctis
Rebus, in obscuris lumen alumnus eris.
O procereis inter magnorum & quisq; Baronum,
Maxima, vel certè pars quota, præstet idem.

Quà virtutis iter claras acquirere laudeis
Discat ab exemplo per sacra tesqua tuo.
Sic nostrâ Europâ quid, quæso, beatius esset?
Quæ iam ciuili Marte perempta iacet.
Cernis, vt ipsa suis miserè confixa sagittis,
Ciuica turbarum pondera tanta gerat.
Sed me spes animat, fore tempus vt illa resurgat,
Extollatq; suum lætior vsq; caput.
Vnde mihi, quæris, fiducia tanta? ruinas
In melius referent talia fulcra suas.
In regno Musæ sunt fundamenta salutis,
Tuq; eris Hungarici firma columna soli.
Perge modò, Sophiæ doctos spatiare per hortos,
Musica nec posthac desine castra sequi.
Sic tibi cùm fuerint magnarum tradita rerum
Sceptra, regent fasceis lumina clara tuos.
Tunc generosa suis quid distent æra lupinis,
Quid soleat verè nobilitare viros.
Quid puta nobilium sit puraq; lampas, & illa
Quid, quæ luce nothâ Cynthia iactat auos.
Debile lumen habet maiorum luce coruscans,
Ars sua quem clarat, puriùs ille nitet.
Tum, inquam, poteris, sat recta tuentibus hirquis,
Discrimen medio sole videre palàm.
Dein, quòd amicitiæ petis intra vincula nostræ
Iungier, & socium nomen habere cupis.
Desine sollicitâ prece rem contendere, posthac
Noster & in toto pectore noster eris.
Quem redames, non obscurè testabor amantem,

Vt quondam Chariteis experiare meas.
Vt ſcribis, monumenta placent tibi noſtra laborîs,
O vtinam felix hinc documenta feras.
Sed tua, quod ſpero, formabit pectora ſœtus,
Quem dandum luci iam meditamur opus.
Vnde petat regno præcepta ſalubria princeps
Et quicunq; gregi ſceptra verenda gerit.
Scripſimus id neruo maiore, quod ipſe fatebor,
Sed vobis vobis ſi proba Muſa, ſat eſt.
Non ea res vulgo capietur & irrita fiet,
Intellecta licet quùm ſit arata duci.
Quem regere imperio populos decet, ardua verſat,
Sat laudis vulgus, ſi modò paret, habet.
Magnos magna decent, ſunt parua aptißima paruis.
Flosq; decusq;, Baro, nobilitare, Vale.

IN TRES DENTEIS.

Inſignia
ILLVSTR. ET FORTISS.
Principis ac Domini,
D. SIGISMVNDI BATHOREI, &c.
Tranſyluaniæ Principis.

SYlua iacet vaſtis nimiùm procul horrida dumis,
Thracide quà terrâ monſtra profecta latent.
Terribileis ea tota feras alit ore minaci,
Quasq; nihil quàm trux ira furorq; decent.
Has inter frendet vaga beſtia, ſemper in armis
Suetaq; belligero dente ferire potens.

Qualis

Qualis ad elatum regem Oenea durus in agris
Dicitur Aetolis luxuriatus aper.
Talis & Hungaricas illinc immaniùs oras
Irruerat, miseros vt popularet agros.
Bellua per pecudeis armentaq; tota cucurrit;
Terruit in pagis, terruit vrbe viros.
Implorauit opem, Romani Cæsaris arma,
Regio, ne monstro præda misella foret.
Cæsar at ipse suis non fisus viribus, omneis
Adiunxit socios, quà sua regna, Duces.
Nobilis Austriacis est iuncta Silesia turmis,
Saxonas & Sueuos vidimus ire pares.
Ventum erat ad pugnam, quà Strigonis arce trium-
Heic cum Barbarie prælia fecit Hunus. (phat,
Nil tamen effecit, dubio sed Marte reuersa est,
Adueniente gelu, Teutona turba domum.
Latiùs interea rigidè grassata per Hunnos
Bellua atrox variis sæuiit vsq; locis.
Nemo ferox potuit monstrum frenare; nec hilum
Hungara Teutonicâ proficiebat ope.
Terra videbatur iam succubitura; Tyranno
Deuia iam voluit cedere, & ire procul.
Per syluas, per agros, vrbeis malè strata iacebant
Corpora; terribilis nex & vbiq; furens.
Infanteis teneros rapiebat ab vbere, matres
Atq; patres rostro dilaniabat Aper.
Processurus erat sacros mactare per hortos
Pascit vbi electas Rex homodiuus oues.
Non tulit hoc Princeps, cui Transyluania paret;

Tam

Tam rigidam contra proruit ipse feram.
Sustulit ingenteis animos, & Pannonis orbem
Asseruit forti pectore & auxilio.
Horridus in porcum clauâ se protinus infert,
Taleq; nil veritum fortè prehendit Aprum.
Ille obluctatur, denteisq; reciprocus Indos
Vapulat, extremas spumat & ore minas.
Arma, Sigismundus Princeps, cordatior heros,
Frangit Apro & denteis tres citò spargit humi.
Aufert portentum se ignobile, duriter aruis
Exceptum, septem quà modò castra iacent.
Proxima spectabat virtus, mirata quòd iste
Tam iuuenis posset dux superare feram.
Heus mea laus, inquit, Princeps fortißime, rursus
Præmia pro tantâ dexteritate feres.
Quos grauis Herculeo strauisti robore dentes,
Hos debes clypeo ferre deinde tuo.
Vtere Marte ferox; tantis sors annuet ausis;
Nostra redemptorem te gerat ora suum.
Cæsar & Imperium, proceres seriq; nepotes
Laudibus heroëm te super astra ferent.
Rex regum ipse suo te Numine firmet, vt istum
Hinc poßis victor sternere prorsus Aprum.

M. IOANNIS BOCATII,

Poëtæ Laureati Cæsarei

LIBER HVNGARIDOS TERTIVS,

NVPTIALIA

vocatus.

LECTOR BENEVOLE:

QVæ Nuptias præeunt, comitantur, sequuntur, vt vides, iam tibi propino. sume craterem; non Ganymede, sed illo ministro, qui limphã Nymphæ Cananitidos mero donauit Nihil heîc spumæ Aphrodisiæ: purus putus iste latex; quo, si cor prurit & vrit, corrige: si non amas; flammas concipe: melioreis tamen. nam has commendo. Canes impudicos, hircos lasciuos, passeres salaceis, ex honorabili hoc meo nexu proscribo, & Græculos τῆς μισογυνείας patronos, exesse iubeo. Mulier nobis καλὸν ἀγαθὸν, non κακὸν ἀναγκαῖον, ceu tibi, Philemon. Plato, Lycurge, ô animæ illustres! vos accerso. Tu cœlibem ad 35. annũ quouis honore viduas: tu lege cogis; à ludis arces, & nudo pede terram, Brumæ cánis hirsutam, ire per forum ignis melioris osoreis pustulas. Te quoque, Sparta, laudo, quæ nolentem,

vel ſerò, vel ex alia ſtirpe ducentem, caſtigas. Sed mihi meisqúe lex

Creſcite & multiplicamini. iuxtâ

Meliùs nubere, quàm vri face illâ ſceleſtiore.

Illos igitur, quibus

Vtile propoſitum, ſæuas extinguere flammas,

aquâ iſtâ luſtrali perluo. O beate vír probę mulieris! Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bonum Ieruſalem, & filiorum tuorum filios. Cæteros non animo. Baucis nupturit; ſed Pamphilo: damno. Chremes ducturit; ſed Antiphilam: damno. Mopſus ambiturit; ſed Niſam: damno. Hei! opes opes, non opus, amor. Ieſabel, Tanaquil, Xantippe, me corrugant: Sara, Rebecca, Suſanna, planant. Aſi quid mihi *Rubella*? quæris? quid Catullo Leſpia? Tibullo Sulpitia? Propertio Cynthia? Naſoni Corinna? quid noſtris, Barbarilla, Roſina, Sûſſemunda, Catharella, Amandula, Nigella? Cudimus & ludimus. Ego tamen quondam vix non ſeriò. tum, vbi fœmineum

Varium & mutabile ſemper.

Iam inuenta portus & *requies*, vagæ huic cymbæ *Eliſabe*; cuius, tu, vera Lucina, vera Iuno, Fili ſemper–virginis, poſt luſtrum hoc ſterile, primitias felicita; etiam tuæ comparis: ideò perge perge: non te pœnitebit,

LECTOR BENEVOLE.

Sed tu, Liuor edax, odio licet ilia rumpas;
Carpere vel noli noſtra: vel ede tua.

Epithalamion CLARISSIMO ATQVE DOCTISS. VIRO, D. M. NICOLAO GAEBELIO, Suidn. Elyſ. Cremnic. Ludirect. & ANNAE Leineriæ.

AVt Venus in caſtas Phœbi ius nacta ſorores;
Aut Helicone nouo regnat Apollo nouus.
Vera putem? innupte laqueis Cytherea Dianæ
Dicitur armatas implicuiſſe manûs.
Cede ſolo, generata ſalo, tibi præda negatur,
Quæ colit Aonij dulcia ſacra chori.
Illa vigil cuſtos, nemoroſa per arua, bicorne
Incultum Phœbi non ſinit eſſe iugum.
Delia victa iacet Veneri, lux Delia Phœbi;
Quis nolit viſis rebus habere fidem?
Nuper, vt in dulcem vertiſſem lumina ſomnum,
Somni amor, ac nullus tum mihi ſomnus erat.
Ecce! quid hîc video? puer alite vectus ab alto,
Arcum læua volans, dextera tela gerit.
Ponè ſequebatur pedes altera maior imago;
Syndon erat facies, corpora ſyndon erat.
Obſtupeo; tueorq; nouas, miro omine, formas:
Ridet, & implumis ſic dat ab ore ſonos:
Nate, meæ vires; mihi præda eſt Anna cathenis;
I iam Nicoleo retia tende tuo.
Iam fauet aura: humeris viden impoſuiſſe lacertos?
I, feriat, potis eſt, vna ſagitta duos.

Blandiciis istos molire iocisq; labores
Fallere; materies ingeniosa iocus.
Est, cuius tacito si cernas lumine vultũs,
Vel Veneris Natam, vel Venerem esse putes:
Illa vagam terris præbenti lampada Phœbo:
Illa mari clauso te gemit vna virum.
Te gemit vna virum: tibi seruans fœdera lecti,
Reppulit in sanos sæpè petita procos.
Vulnus alit, quod Pœoniâ non arte Machaon
Tollet; te medico præside sospes erit.
Sospes erit: tua erit requies, tuus ignis & aura:
Me duce nunc illam, si sapis, hospes adi.
At, te Pierias frondosa per arua Palæstras
Phœbi raptat amor, sedula castra, sequi.
Ille reluctantis, frondosa per arua vagatus,
Oppetiit Daphnes iura negata tori.
Io mosam Danaẽn delusit Iuppiter auro:
Ex auro Danaẽ vidit abire virum.
Ito, puer, si plura potes, refer æmule nostri,
Gradiuo fueram cùm laqueata parens.
Dixerat: hic paret volitans pernicibus alis:
Hæc manet in solido; me stupor intus habet.
Vix abit, aut abiisse mihi media hora videtur,
Cùm puer illius constat, vt antè, pedes.
Cinge triumphali, mea tempora, cinge Corymbo,
Mater Io, iussum mi benè cessit opus.
Maior es, Aoniis, cessit victoria paruo;
Sim puer, haud vinci gloria posse viris.
Sic puer: hæc puero quater aut plus oscula libat:

Nil nisi Nicoleos murmur & Anna sonat.
Heu bone, Goebeli! ne mi indignare; duobus
Nominibus nobis ecquid habenda fides?
Audieram, nec fama mihi sat credita: fallor?
Iam cultor Veneris diceris esse nouus.
Mollis & humanus cùm sis; dea mollis; oportet
Militiam Veneris Pallade natus ames.
Ingeniosus es; hyberno quis sydere nolit
Si calido sociam possit habere toro?
Non celare vales; amor est ardentior Aetnâ:
Ille vel ex oculis noscitur: illa rogo.
Sit ver, sit nix tristis, euntibus ordine fatis,
Aegroto medicam quærere præstat opem.
Teq; nec inuideo, vir clare, refellere corde,
Quæ parvus fixit tela Cupido, iuuat.
Vtile propositum, Dominus cui fautor & autor:
Si nescis castè viuere: iunge parem.
Iunge parem, seu te rebus sors improba vexat,
Seu dolor exurit pectora, iunge parem.
Mille modis felix, superò cui ducitur vxor:
Ad nutum domini, quod facit, illa facit.
Illa futura tui requies & cordis honestus
Ardor, habet cunctas, quas habet orbis opes.
Vnde putem fidei castas in corde figuras?
Ni mirum hanc Pietas nutriit ipsa Parens.
Vnde putem castos, castâ sub imagine, vultus?
Ni mirum ex ipsa Marte pudore venit.
Vnde putem solidam faciem niueosq; lacertos?
Ni mirum ex ipso est æquore nata Venus.

En, mi Sponse, frui posses meliore maritâ:
Nulla sub amplexûs dignior ire tuos.
Quot cœlum stellas; quot apes Ver; quot mare ares
Tot quoq; lætitias hora iugalis habet. (nas;
Ille ter Omnipotens, quæ festos Musa per ignes
Subticet, aut votis his potiora dabit.
Turturis & quæ cornicum concordia vitæ est,
Illa tibi ardorem præbeat, illa fidem.
Plurima ferali soboles comitetur honore,
Cùm petet Elysiam serus vterq; domum.

ALIVD
CASPARI LEPORINO,
Cantori Crem. & EVAE Heerlin, Sponsis.

CVi pietas cordi est, Iessæo carmine Daui D
Ardet, ait, superos licito quo pignora nex V
Salua sibi proles videat, cum coniuge feli X
Plaude modò, es bonus haud malus, exurrexeris ign I
Aura fauet, neu Sol, neu tristia sidera lugen T
Recta cole: haud alio coniux pendebit ab or E
Vestro prospera sint non tristia fœdera iunct V
Sospes viuito, nec paruo duc tempore vit AM

AD RVBELLAM
abs se redamatam.

AH formosa Rubella! tulit formosius orbis
Te nihil, & posthac secula nulla ferent.

Sola

Sola creas æterna mihi suspiria: sola
Somnia das; mea te nulla medulla caret.
Quicquid ago tu sola videris, & vnica curas
Nocte dieq; paris, nocte dieq; paris.
Sola places; meliusq; nihil, nil mollius orbis
Mî totus faceret, si mea sola fores.
Incessu Venus es; Helenâ formosior ipsâ:
Moribus & vitâ nil nisi Penelope.
Nil equidem trunco, aut lapidi, rationis; amarem
Sed quoq; si truncus vel lapis ipse forem.
Langueo amore, Rubella, tuo, Venus vltima! sola
Me crucias, quæ me sola leuare potes.
Tu nisi sola leuare voles; florentibus annis
Eripies ánimam tu quoq; sola meam.
Aspice pallidulum, me lenibus aspice ocellis;
Per te abiit, per te vita redire potest.
Ah centum me tela petunt! ah mille sagittæ;
Extrahe. nil miser, ah nil, nisi vulnera, alo.
Ah miserere mei, magni flos vnice mundi;
Sola mihi Pæon; sola leuamen eris.

Eteostichon
NVPTIIS DOMINI
MARTINI BRECHTELII,
& Elisabethæ ipsius.

ELsbetha BreChteLIo pòst MVsta reCentIa nVpsIt:
ILLe, rogo, feLIX VIVat, & ILLa suo.

De sese

De sese.

ME quisquis pulcras miratur amare puellas;
Is magnum quondam nescit amasse Iouem.

Concionator

in adulterum infeliciter inuectus.

DOctus adulterij magnâ cum voce colonum
Arguit & populo talia pastor ait:
Est quidam inter vos qui rusticus ardet amore
Alterius: sociam debet amare suam.
Rusticus extemplò respondet: mi bone Pastor,
Hoc facit exemplo Rusca Capusca tuo.

EPITHALAMIA

V. Nobili & Egregio DO. IOANNI CRAVSIO,

Arcis Lûblo & 13. in Scep. Oppid. Prouisori.

ET

Nob. & Lectiss. Virgini, EVPHEMIAE FABINIANAE.

Sponso.

ACcipe, quicquid adest, vir nobilis, accipe voti,
Qui modò Carpatias rex moderaris opes.
Da veniam pedibus: nimium properauit vterq;
Tu quia Sponsus; ego quæ cano, lenta cano.
Plus animus quàm carmen habet cùm fautor amori
Sæpè pio votis det potiora Deus.

EPITHALAMION.

IVppiter æthereos non ſemper ſuſcitat imbreis,
Non ſemper gelidas fundit ab Axe niues.
Ille poteſt atro nebulas inducere cœlo:
Mox reparare diem, cùm volet, ille poteſt.
Non rarò tumidos videas inſurgere campos,
Neptuni, ſæuo quando tridente furit.
Cùm pia Cymothoë ridet, cœlumq; reducit,
Turgida veſani plana fit vnda maris.
Nubè ſolere diem pulſâ quoq; ſurgere claram,
Edocet exemplo Crauſius ipſe ſuo.
Cui ferus Aeolius Aquilo dimiſſus ab agris,
Quamuis immeritò, noxia damna tulit.
Coniugioq; nigras Lacheſis trux attulit horas,
Lumina cùm digitis clauderet, Anna, tibi.
Nunc iterum ceſſant Boreæq; Notiq; furentes,
Altera ei fato dum Nepheleis obit.
Hem tibi, Crauſi, iterum Sol aureus Axe reſurgit,
Illuſtratq; tuam Luna Venusq; domum.
Non tu fulgentis modò ſolus lucis es autor,
Ipſe tibi Chriſtus fautor vt autor erat.
Iuſtitiæ Chriſtus Sol vnicus ille, monenti
Cui parêre homines fas pietasq; monet.
Ille tuus caræ quondam Nepheleidos ardor,
Succeſſore ſuo nunc habet inde modum.
Da Veneris flores; Cupreſſi exaruit herba:
Pallia fuſca procul pone, doloris onus.
Ecquid adhuc nigro potes indulgere dolori,

Amplius ereptæ nubis & esse memor?
Durum hoc est, fateor, saxo vel durius ipso:
Nube tamen pulsâ clara fit ista dies.
Ecce tibi meritò surrexit mitior Eos,
Et iuuat iratum nunc habuisse Deum.
Solus eras, essent cùm tempora nubila: gaude
Nunc it in amplexûs bella puella tuos.
Vt fuget à thalamo geminatum frigore frigus,
His vt hyems flammis illa, vel illa cadat.
Hoc sapientis opus, res prospexisse futuras:
Quamuis grex etiam doctus id antè facit.
Cernis vbi (veluti iam cernis adesse quod addo)
Brumales equitant ad sua iura dies:
Alter emit frondes: hypocausta redintegrat alter:
Vestibus hic vulpem subiicit ille lupum.
Tu meliùs: ducis formosam nempè puellam,
Quæ tuus in tædis ardor & ignis erit.
Ardor & ignis erit, tua vita, tuum cor, honestè
Quam tibi fragorum iungit in vrbe Deus.
Hanc non inuideo sortem, magis opto benignam,
Ac diuturna tuo gaudia posco toro.
Hæc velut à famâ gerit omine nomen honestâ,
Sic veniat famæ lausq; decusq; tuæ.
Sponsa tibi Lucâ datur hæc oriunda Fabino,
Qui quondam toto clarus in orbe fuit.
Cui si non adeò nimiùm properata fuissent,
Fata viro, gelidæ qui requiescit humi:
Ex viridi doctæ ferrent Helicone sorores
Huc sua dona tibi; carmina, serta, preces.

Ipse Pater docto percurreret ordine chordas,
Huc celerem propiùs ferret Apollo gradum.
Huc ipsi Vates, huc Musica turba tulisset,
Quidquid amat Latium, Græcia quidquid amat.
Hæc tamen interea tenui manantia venâ,
Autor cum sponso quæ properauit, habes.
Laudis egena sit hîc, alibi non laudis egena
Quam cano: sed breuibus dicere multa queam:
Ore Venus, pietate Rebecca, pudore Susanna,
Diuitiis Iuno, Penelopeq; fide.
Hæc tibi non aliter ceu vitis adhæreat vlmo,
Mille tibi botros, granaq; mille ferat.
Parentem, Domino videas, & vtriq; Parentem:
Parturiatq; solo, parturiatq; Polo.

SPONSÆ EVPHEMIÆ.

VNa fuit quondam formosa puella duobus
In thalami sociam sæpè petita procis.
Non ergò dubitat rem significare parenti:
Incipit & coràm talibus vsa loqui:
Care pater, duo me toties abducere sponsam
In diuersa tori vincula ritè petunt.
Alter opes multas, doctrinam possidet alter:
Dic, vtri tu me nubere iure velis?
Cui Genitor: breuiter quod aues mea filia, nosces,
Nunc alio quædam sunt peragenda lare.
Non mora; emit binos formâ præstante libellos,
Hic vacuus scriptis ille politus erat.
Hinc redit, & natæ libros dat vbiq; videndos:

Filia, dic, vtro plus capiaris, ait.
Accipit hæc, & vtrumq; libens per singula lustrat,
Virgineoq; nitens pollice soluit opus.
Alter habet chartas tantùm, & sine nomine corpus:
Alter Apellæis fulget vbiq; notis.
Hunc amat, atq; sibi donari postulat: illum
Reddit, & ornati culpat habere nihil.
Mox Pater ad Natam: parili discrimine distat
Doctus ab indocto vir, mihi crede, viro.
O vtinam similes ferrent hæc secula Patres;
Non sic doctorum iusta querela foret.
Iam docti sine honore iacent: quis putrida putris
Non hodie doctis prætulit æra viris?
Propter opes, vel Mercurio patiente repulsam,
Sæpè rudi Mopso bellula Nisa datur.
Non quàm sit pius, at quàm diues quæstio prima est:
Si nihil æris habes, ibis Apollo foras.
Euclio cum natâ Phœbum fastidit amantem,
Et, modò sint dites, plus Corydonas amat.
O miseros! quibus æra placent pro coniuge: nunquam
Hæc habet euentum pars malè iuncta bonum.
Vincula namq; solent fieri bubone sinistro,
Et Furiâ nigras anteferente faces:
Cùm dos, aut loculi non commoda ducitur vxor:
Sat dotatus ego, si modò doctus ego.
Diuitiis Erato tamen hîc mea parcit honestis:
Felix cui diues cum pietate venit.
Sicut in exemplo est præstantis nata Fabini,
Cuius in æternum non morietur honos.

Nubere

Nubere vult ſcriptæ, non nudæ virgo Papyro,
Intrat & in viui vincula docta viri.
Amplas cuius opes non doctæ prætulit arti,
Quippe est ingenuâ Crauſius arte potens.
Omnibus vt ſponſâ, ſic Muſis dignus amari,
Inſcribi Cedro dignus & axe poli.
Mortua turba vale: ſapit hæc Euphemia, ſponſo
Nubere vult viuo: mortua turba vale.
Inclyte flos vrbis, doctis flos nate Camœnis!
Hoc exempla iubent quod generoſa facis.
Ipſa inter Clarias es nata puella puellas,
Adſtitit & cunis Muſicus ordo tuis.
Viuus erat, ſoror Anna modò quem luget ademptum:
Nomine defunctum tu ſine corpus ames?
Altera, Dorotheæ quoq; viuo nupta marito eſt;
Nomine defunctum tu ſine corpus ames?
En tuus eſt, ex mille cui feliciter vni
Contigit ingenium, contigit amplus honos.
Viuit, & Hungariæ proceres non vltimus inter,
Oppida conſilio trima decemq; regit.
Eius ego cultæ quæ ſit facundia linguæ
Hâc infante queam ſat decorare Chely?
Et rectè: quis enim ſatis illum carmine tollat,
Qui Phœbi meritis implet vtramq; domum?
Qui ſit Amaltheæ quamuis prædiuite cornu
Clarus, at hoc miſeras reſpicit orbe Deas.
Qui ſibi commiſſas peragit res, more Parentis,
Iudicioq; graui quod gerit, omne gerit.
Ecquid adhuc dubitas virgo te ſidere natam

Felici, nec lô terq; quaterq; canis?
Ecquid & hæc dubitas fieri connubia fato?
A Domino coniux, à patre dantur opes.
Suspice sponsa tuâ nexum ceruice iugalem,
Ito lubens, magni iussa capesse Dei.
Viue, corona tui generosi viue mariti,
Coniugij innumerâ prole per astra mices.
Neutra, precare Deum, vestros sors verset amores,
Et duce Christo omnis sarcina dulcis erit.
Christe vocatus ades tædis, ades, optime Christe:
Te sine nil felix, te sine dulce nihil.
Eia agè dexter ades: ter & amplius ambo beatus
Viuat Nestoreos, & sine lite, dies.

CLARISSIMO ET DOctissimo Viro,
D. IOANNI SCHIRMERO,
Med. D. & practico in inclitâ
Cass Rep. viduo.

TV quoq; des Musis aureis, celeberrime passim
Arte vir Aoniâ Paeoniâq;, meis.
Miror ego, quur non iteres Hymenæia rursum,
Sed miser ac toto corpore pullus eas.
Nuper, vbi mihi Cassouiæ sors obuius ires,
Vix potui faciem nosse tuendo tuam.
Sum ratus esse virum, Getico de carcere missum,
Indicio nobis barba habitusq; fuit.
Veste niger longa! passim silua horridus ora,
Circum humeros errans tristè capillus erat.

Tunc-

Tunè ille es Medicus, quem, me præsente, Saboa
Ante annum exhibuit, iam quoq; mœsta, domus?
Quando Darholciadum flos Martis & artis ibidem
Aeger se manibus crederet ille tuis.
Cur adeò iam Schirmero mutatus ab illo
Cæsariem & lanæ pallia nigra geris?
Me iubet hoc, inquis, reuerentia debita morti
Coniugis, & caræ comparis vrget amor.
Est aliquid sanè: rationis egentia plorant
Bruta suos; hoc vel turturis vrna docet.
Funera nostrorum pietas nos plangere iußit;
Sed planctus finem debet habere suum.
Flere decet, sed flere nocet; si fletibus instes;
Sæpè dat immodicus fata suprema dolor.
Nil prodest, vel si lacrumas tot flendo profundas,
Conradis vestræ quot vehit vrbis aquas.
Illius in busto quoniam tranquilla quiescunt
Ossa; quid hoc planctu busta iuuare potes?
Scilicet hoc maneis credis curare sepultos;
Scilicet hoc sociæ iam quoq; dulce putas?
In cinereis versa est, tecum quæ blanda iacebat,
Cui trux letatum terra cubile dedit.
Funeris extremum satis huic largitus honorem,
Nunc alij dicas: tu meus ardor, eris.
Vir cordatus eras quondam; non ergò querellis
Tam crassè fractum te decet esse virum.
Fata potes paullùm forsan protollere; mortem
Arte Machaoniâ tollere fata nequis.
Et nos illa manent: falcem Atropos omnibus vna

Iniiciet nobis non minus illa suam.
Sat sociæ lacrumisq; datum est; lux annua mœstum
Corrigat, ac censor temporis esse velis.
Excitus ex squalore tuo surge, aspice cœlum,
Aspice ridentis cuncta nouata soli.
Cessit hiems: rediit sol mitior: aura Fauoni
Allicit in risus quæq; creata suos.
Ecce pecus facit hoc; sua bos præsepia linquit,
Et sua gramineæ pabula carpit humi.
Turture cum turtur sociat; cum passere passer,
Silua maritat aueis; læta dat vnda toros.
Esto memor, tempus nunc illud amabile Veris
Esse, suas vibret quo Venus alma faces.
Tu quoq; post vidui tristissima frigora lecti,
Vre tuum licito lætior igne torum.
Te Deus & ratio; tepidi te Veris amores
Exstimulent; rursum te noua Phyllis amet.
Desine iam pulli velaminis; exsue tandem
Pallia, quæ mœstus nil nisi nigros habet.
Et cur non? perages mandata parentis Olympi,
Is viduos viduum ponere iussit onus.
Des operam licito, natura quod vrget Amori,
Schirmerosq; pater gigne subinde nouos.
Dum vires anniq; sinunt, nec inutilis ætas,
Exigit à castris neu Cytharea suis.
Iam nunc, dum fas est, melioribus vtere lectis;
Vtere, subrepat ne tibi candor imers.
Scis, quòd canities res sit contempta; puellas
Et capit informeis flos quoq; noster anus.

Labitur hæc ætas. pernicibus ocyùs annis
Nil fuit. incipimus viuere. finis adest.
Sed formosa, decens fuit, atq; piißima coniux,
Quis scit an huic similem pronuba Iuno daret.
Consule te, Schirmere, prius; pius esnè? quod es; qd
Ergò times; dignam te pia fata dabunt.
Fallor? an exspectas dum tempora Martia cessent,
Hostis atrox nobis desinet esse Getes?
Nil hoc te seruet; quorum consederis aruis
Aspice; quà semper bella fuêre prius.
Quare tu luctûs satur, elige Sponsus amorem
Comparis in thalamo mox renouare tuo.

Torus
ANDREÆ MEDNENSKI
& CATHARINAE Caroliæ.

Coniugium emplastri simile est. nisi vulnera sa-
Militiæ forsan seu tibi facta domi: (nes.
Et loca consolides cataplasmate hiantia certo,
Occidis ante diem, morte sequace, tuum.
Sic, quos armigeri tetigêre Cupidinis arcûs,
Si non vulneribus dent cataplasma, iacent.
Sed tu, Mednenski, catus es reuerende: salutis
Saucius emplastri te bonitate iuuas.
Qui pluteis vincit, nec aperto Marte triumphat,
Ille tuo cordi vulnera fecit Amor.
Ne moriare; malagma tibi est, quod mollius omne
Purificet morbi pus Catharina tui.

Hæc rosea exsangueis faciet rursum Idalis artus
Certare, aut minio, pulcer Ibere, tuo.
Viuite par sponsum cum fœnore, & omine: præstat
Tu Catharin, verùm tu sed amore virum.

Nob. & Amplifs V. D. IOANNI CRAVSIO, &c.

IAne, celebrares quùm magno Hymenæia plausu,
Lætitiæ vrbs aderat tota quid ista tuæ?
Nemo tunc villam, vel habebat iugera: nemo
Est thalamis dixit, nupera sponsa meis.
Causam ego non dico, quam vulgus dixit: amicus,
Pocula si dones, quisq; vacare potest.

AD RVBELLAM SVAM.

QVando erit illa dies, quâ nos iũgemur amantes,
Dulce, Rubella, meum, quando erit illa dies?
Omnia spero, feroq; nihil; mea vita, meum cor:
Des, capias, venias, quod peto, do, video.
Perdere tu mihi sola potes; tu reddere vitam:
Enecet (ah) vultus viuificetúe tuus.
Flos, cibus, aura, decus, requies, mel, gaudia, cœlum,
Cedite; Bocatio sola Rubella placet.

IN VXOREM CASCI.

Non

NOn tua debebat Blandina, ſed Vrſula dici;
Torua oculos, moreis horrida, ſparſa comas.
Aut niſi blandiri poßit, ceu parcere Parca;
Ceu lucere nigris lucus & in tenebris.
Coniuge ſed tali talis, me iudice dignus
Tu vir es; aut Caſcam non ſua Caſca decet.

Polygamia Turcica.

NOn mirum eſt toties cæſos recreſcere Turcas;
Vnus Turca alios mox reparare poteſt.
Nam quot gallus habet gallinas; Turca maritus
Vnus tot ſocius ducere lege poteſt.
Hoc ſi Teutonicis quoq; lex concederet oris,
Turca ſuper nullus forſan in orbe foret.

Gratias refert RVBELLÆ, PRO pomo ſibi miſſo,

DVlce, Rubella, meum; málum mihi dulce, ruber
Aemula das málæ ſigna colore tuæ. (bellum,
Accipe, vt ingrato nil des; hoc ſcilicet ergò
Corculum ego contrà mitto tibi aureolum.
Hortulus Alcinoi mihi málum erit vſq; ad ocellos
Adq; labella meum nobile delitium.
Tu tibi cor bellum munuſculum & alliga ad ipſum;
Corculum ego tibi, tu ſis mihi dulce labrum.

Vnica nox amantibus Mille diebus gratior.

Vnica,

VNica, cur quæris, nox præstet mille diebus?
Nox dat, quod nequeunt fòrs dare mille dies.
Mille dies lusûs tantùm, nox vna dat vsûs:
Vnica nox mea sit; mille valete dies.

VIRGO TRIBVS PROCIS
Coniugij spem faciens.

FOrmosi iuuenum tres ambiuêre puellam,
Quæ Veneri similis, vel Venus ipsa fuit.
Instabant omnes valdè: virgo omnibus vna
Annuit in medio stans benè vafra tribus.
Huic dedit amplexûs; huic nutûs; huic pede tactûs:
Sclauus is, Hungarus hic, ille Polonus erat.
Vidit & indoluit Germanus, & hisce parentem
Germanum supplex virginis ante stetit:
Care parens, ergònè tuam haud tua natio prolem
Ducet? an hæc natâ natio digna tuâ est?
Quin mihi connubio iungas; sunt æra domusq;
Quæ te, quæ natâ sunt quoq; digna tuâ.
Audiit ista senex: Iuuenum carissime, parce;
Si fecit, me clàm filia fecit; ait.
Compos eris voti; volo: tu gener vnus habeto,
Quod sine re fallax annuit ista tribus.
Noster es: amplexûs, nutûs, simul accipe tactûs,
His tibi vel si quid dulcius esse potest.
Hungare, Sclaue, Polone miser, vale & excute cor-
Quas tu sperabas, possidet alter opes. (bem;

Hy-

Hymenæus
CLARISS. ET EXCEL. V.
D. EZECHIELI PIPERELLO,
Medicinæ Doctori felicißimo, &
HELENAE *Zarræ.*

CErtè ego fœminei si pars essem æmula sexûs,
Siq; alicui vellem nubere sponsa viro:
Nemo meus fieret vir, quàm qui pharmaca doctus
Ipse Machaoniâ nobilis arte foret.
Inuentum Medicina Dei est: qui pharmaca miscet,
Dignus amore vir est, dignus honore vir est.
Ille potest sanas retinere in corpore vires,
Amissas iterum reddere & ille potest.
Ille potest, si membra trahas ægrota, laboresq;
Emendare suis noxia quæq; cibis.
Ille potest tacitas naturæ ostendere partes;
Ille facit steriles fœtificare sinûs.
Ille facit, parias Iunone secundà, & in auras
Illius arbitrio fœmina masûe venit.
Prorogat ætatem, & seros protollit in annos,
Ex stygiis animas ille reducit aquis.
Felix quæ docto potuit nupsisse Galeno,
Cui dat pæonias Phœbus Apollo manûs.
Non illam exsanguem videas: non ilia planam
Semper, & ex sterili semper abire toro.
Vitis, myrti, oleæ, rosa, lentisci atq; labrusca,
Quòd sint ad partûs officiosa, videt.
Nè tu præ reliquis, Helene, prudentior vna es;

Herclè

Herclè ſapis tali iam ſocianda viro.
Quem, velut Hippocraten, hæc ſuſpicit Hũgara tellus,
Quem proceres & quem ſubdita turba colunt.
Et cur non? medicus felix curando per artes
Cùm ſibi propitium cernat adeſſe Deum.
Quod reor, exemplis clarat, duce Chriſto, & in omnes
Se famâ ſpargit nobiliore viros.
Sed res mira! aliis medicus, medicabilis ipſe eſt,
Ac vt ſit ſanus corpore, mente dolet.
Ah genus hoc morbi eſt, quod nec Podalirius ipſe,
Nec potuit ſoboles ægra domare Iouis.
Sola tamen Daphne potuiſſet ſola mederi,
Virgo medela viro, virgo medela viro.
Fert tales natura vices, vt virgoq; virq;
Optima, ſed iunctim, ſint medicina ſibi.
Vos quoq; mixturâ hâc, medicũm par nobile, ſponſi,
Simplicibus facitis tàm benè compoſita.
Alter vt alterius ſe munere ſeruet in æuum;
Tu medicina tuæ, tu medicina tuo.
Tu verbis; herbis tu ſana, & amore ſecundo
Certamen vobis acre ſit vſq;, precor.
Plantæ Helenes, noſti, radix licet humida primi,
Sicca tamen tertii eſt hæc quoq; fine gradũs.
Ergò piper, Piperelle, lini dulcedine, miſce
Ambroſiam, & nectar funde ſũaue toro.
Prolifico imbre (nimis face Apollineâ vritur) illam
Irrora plantam, Doctor Apollo, tuam.
Vir iuuenisq; moras caſtiga, & fortiũs armis
Vtere, ſera etiam pluſq; trophæa iuuant.

AD RVBELLAM.

TE nuper cecini, fateor: sed carmina posthac
Bella minus de te, falsa Rubella, canam.
Arsi te, fateor: sed posthac sæpè vocabo
Serpentem atq; canem, carmina quando canam.
Sic merita es; tibi terra dehiscat: fulmine ad ima
Teq; adigat læsi mox grauis ira Dei.
Experiare, fidem vati dare, frangere rursus,
Quid sit, supplicium triste, Rubella, dabis.

Cuidam NISAM HABENTI.

NIsa tua est, fateor; sed habet nisi publicum &
Si nisi non esset, quæ tua Nisa foret? (illud

Ad Venerem DE COLVMBA RVBELLÆ mihi missâ.

MIsit heri niueam mihi falsa Rubella columbam;
Hâc me placari, Cypria, posse rear!
Non certè! posthac durus; centena licet mi
Multa columbarum millia mittat, ero.
Hâc aliis aue simplicior; prudentior illi
Sed serpente, Venus, cor catum ego vsq; geram.

IN PAMPHILAM.

NIl moror, ast miror, placeas quòd Pamphila, so-
Tot porcis (volui dicere parce) procis. (la

RVBELLÆ.

Mi quoties is obuia, cur auertere vultus,
Ora nec ad solem ferre, Rubella soles?
Crede mihi; per transennam te cernere nollem,
Si fieres oculis copia nuda meis.
Non pudor ingenuus facit hoc; mentita colorem
Formidas lucem, bestia picta, tuam.
Forma tibi est minium atq; cerussa. ô lumine non tam
Simplice sum; talpas fallere quære alios.

AD

V. Nobilis. & Doctis.
D. IOANNEM BELSIVM.

QVàm fòrs desipiunt, Belsi, qui spernere flaua
Poma, sed ardenter rubra perire solent.
Tam stultè feci; quòd amarim fortè Rubellam;
Non est, mentitur se quòd amica mihi.
Mála colore rubro sunt pessima; mala Rubellæ
Et mihi amatori pessima semper erit.

VENERABILI ET DO-
ctissimo Viro,
D. SAMVELI SAVTERO, WIR-
tembergico, P. Epper.

ELisabe promissa mea est; nam plectilis ergò
Est hodie votis missa corolla meis.
Ocor Iô, Sautere mihi plus parte sinistrâ
Exsilit; hoc si non credis, amare nequis.

Mag.

Mag. Gen. & Doctſs.
D. GREGORIO HORVATH,
aliter Stanſith, in Neerer, &c.

Nobilium flos, & decus ô illuſtre Baronum,
Gloria magnifici maxima, prima, chori.
Filius Herois, Clariâ palmaris & inter
Arte viros tellus Hungara quotquot alit.
Fortè parum noſtræ potes indulgere Camœnæ;
Temporis exiguam da mihi, quæſo, moram.
Quùm deſponſa mihi ſit nuper Belſia proles,
Quæ vix trina modò luſtra puella gerit.
Sit pater ante ſuæ defunctus gaudia natæ;
Nomine te ſoceri poſtulo iure mei.
Cum reliquis venias ad noſtras, Inclite, tædas,
Hoſpitibus caſtum concelebrare torum.
Non meritis, Vir magne, meis, ſed amore parentis,
Qui tibi deuinctus mente fideq; fuit.
Sæpè mihi generoſa tui monumenta laboris
Exhibuit genero dulcia ſcripta ſuo.
Hinc ſe quo fueris complexus amore patronus
Sæpè memor laudeis rettulit ore tuas.
Vt docta æquipares magnos virtute magiſtros,
Ipſe geras Ludi ſedula ſceptra tui.
Subdita non etiam minùs agmina ritè gubernes,
Sis inter procereis gloria prima tuos.
Ipſe graui ſumptu tot alumnos, vaſa futuros
Grata Eccleſiolæ, more parentis, alas.
Communem vocitent te Muſæ & Apollo patronum,

Quòd foueas opibus templa scholasq; tuis.
Spemq; mihi fecit, generum quòd vellet honestè
Me tibi per chartas insinuare suas.
Sed miser antè iacet fato sublatus, & expers
Nostri, cum Christo viuit in axe poli.
Illius ob causam Baro te doctissime sponsus
Oro, velis tædas coràm animare meas.
Iunius in denos bis vbi sole iuerit ortûs,
Intrabit thalamos Belsia Elisa meos.
Quam pius ante graueis Mystes mihi porriget aras,
Iungat vt æterno corpora bina iugo.
Voce Seuerinus nos forsitan ipsus amanteis
Nectet, & eximios cernet adesse viros.
Tu quoq; propterea dignare, vir inclite, præsens
Hæc cum Sculteto sacra iuuare tuo.
Gratus ero, si fata volent me viuere; plura
Scribere me prohibet, qui cor adurit, Amor.

RVBELLÆ.

QVæ sis, Lynx video. qui vult, cæcutiat alter
Talpa; tuæ málæ sunt mihi dulce vale.

Elsulæ
DESPONAE MELLITISsimæ meæ.

CAste puellarum flos, dulcis Elisa! Bocatl
Salue mansuri semper amoris amor.
Tu rosea es nostræ seruata, ô gemmula, Lauro,
Tuq; meis hederis, bella puella, places.

Scitula

Scitula es; ac lepida es; nõ falsa es; corculum es vsq;
Candidulum. salue læta puella viro.
De Libano descende tuâ mea bella columba;
In quâ non macula est pluma sed alba; veni.
Oscula molliculæ tibi dulcia nostra labella
Figere lætantur; sanctula, mellitula.
Sola venustula: sola libris vxorcula sola
Digna, benigna, meis; Gratia, Lusus, Amor.
Puppula; copula solemnis: blanda aurula: mollis
Ventulus: ingenio sola sat apta meo.
Viue valeq; Smarágdina tota, Hyacinthina tota:
Elsula, tota mihi pulcra columba vale.

Thalassio.

ORNATISSIMO VIRO, D. MICHAELI TREVTLERO, & ANNAE Cebnerianæ, Sponsis.

Nî benè, qui coniux fieri vult, prorsus Amoris
Sensûs & censûs calleat antè, dolet.
Fingit opeis, fingit moreis; mentitur vterq;
Perq; vices fabricat fœmina virq; doctos.
Mox, vbi merx empta est, & copula iunxit amanteis,
Heu nihil heîc dotis nilq; pudoris adest.
Neuter habet, quòd finxerat, & nunc exit in iras,
Moribus Angelicis qui modò diues erat.
Iamq; foràs edunt animi secreta; nec vnquam
Coniugium felix dicier hocce meret.

Ergò, Anna & Michaël, vobis prudentia sponsis
Maior; queis longùm contigit esse simul.
Esse simul, moreis & res benè nosse tot annis,
Iam res & moreis composuisse toro.
Par igitur felix animis, par nobile, vitam
Transige: tu pare, tu, precor, Anna, pari.

V. Reu. & Doctiss.
M. SAMVELI SAVTERO,
P. Epperiess.

RVmpitur & plorat quondam, Sautere, Rubella
Nostra, quòd inuentus sit mihi certus amor.
Se rumpat, ploretq; ; nihil curo: Elsula nostra est
Belsia. te plorans rumpe, Rubella, precor.

NVPTIIS
MAXIMILIANI FABINI,
& FIDEI Ferberianæ
viduæ.

SI qua viro nupsit citra spem fœmina; certè,
Quam ducis, nupsit, care Fabine, tibi.
Non etenim tibi mens adeò fuit vlla manendi
Heic, vbi me in ludo macte labore iuuas.
O quoties repetam, dicebas docta Lycæa
Siue Argentinæ, aut vrbs galeata, tua.
Tunc ego: Fata pedeis retrahent, mihi crede, trahentq;
Vt, quod monstrârint ipsa, sequaris iter.
Proponunt homines; disponunt fata. fatére;

Nonnè

Nonnè tibi vates heîc & Apollo fui?
Euenisse putas isthæc sine numine Diuûm?
More Deus figuli nos rude tornat opus.
Quod visum est Fatis, nobis hoc ferre necessum est.
I, sponsum fatò teq; Fabíne, nega.
I nunc, & doctas redeas ad Teutonis oras:
Ingenij plureis; I, pete cultor opes.
Ah valeant figmenta Deûm, figmenta Dearum,
Iuppiter, Ardor, Hymen, Iuno, Diana, Venus.
Omnipotens Deus est, fatò qui iungit amanteis;
Ille Deus, costam qui fabrefecit Adæ.
Ille tuam citiùs viduasset compare sponsam
Frustrà? crede; fuit non ita; causa fuit.
Sæpè Deus quosdam maturiùs euocat orbe;
Vt ferat alterius fortior alter onus.
Heu miseros, thalamo qui non fataliter ardent
Gaudia, quæ rata sunt, hæc pia fata probant.
Viuite iam Fatis, fatales viuite sponsi:
Prosperet vna Fides teq; Fidemq; tuam.

IN
LAMPACIVM.

NVper Lampacius, cùm quæreret vrbe puellam,
Magnus & in toto corpore diues erat.
Nunc vbi deceptam sibi duxit in vrbe puellam,
Parvus & in toto corpore pauper agit.
Hoc est centones farcire. ô nulla professo
Posthac diuitias credat amica proco.

TAVRO.

HErculis in ritum tua te domat Anna maritum:
Phy pudeat; Taurum vincere vacca potest.

V. Nob. & Opt.
LVCAE SPROTANO.

IS, qui Turcigenas ritu domat Herculis hosteis,
Castra senex hodie Cypria rursus init.
Quid, Sprotane, rear? nisi quòd Tyrinthius heros
Nostrum etiam possit sic animare senem.
Dextra colum ducit, quam triuit claua maritum
Herculis in ritum sponsa domare potest.

Nota.

Nam Hercules, in gratiam Omphales, arrepto colo, fila duxit.

V. Nob. & Strenuo
MELCHIORI GVNTERO PRAG.
Vet. Amico.

QVæris vt viuam valeamq; nuptus;
Piscis vt nassæ miser arce captus,
Vinculis hei distineor; prioreis
Lugeo gressus.
Sed tamen prodest. vir enim furoreis
Cœlibis vitæ socerô triumpho.
Nuptiæ finem faciunt puellis
Pluribus vti.

Anteà

Anteà me luxuriosa pubes
Pauperem iuuit facere ad Falernum
Inter & chartis positis coëgit
Esse puellas.
Si quid est laudis, fateor, profundas
Sæpiùs nocteis Ioue sub rigenti
Pertuli frigus, quod atrox Rubellæ
Posceret ardor.
Iam domi parcus sedeo laborans,
Comparem vt possim simul enutrire,
Claudus vt sutor, mihi copulatæ
Seruio libris.
Sic viros virgo domat imbecilla,
Sic Venus fregit sua sola Martem.
Sed iuuat victoria quòd virorum est,
Subiacet illa.
Gaudium verò socios doloris
Cùm sit; &, Guntere, videre plureis
Nauis in nostræ positos carinâ,
Duc quoq; remos

Ad Rubellam.

PRædixi. Mopso iam nupta, Rubella, quadrato
Ter pulsare die, vix semel esse potes.
Quà tua nunc abiit formosa superbia? Bryllis
Tam citò iam facta es, quæ modò Phyllis eras?

IN SPONSOS DISPARES.

SIc fore prædixit suboles diuina: ministris
Cùm coram bis sex solueret ora suis.
Ducturiunt hodie pueri implumesq; puellæ:
Immodicè cunctis sunt Hymenea locis.
Heu pudor, heu secli nimiùm Venus improba nostri,
Soluuntur zonæ quinq; decemq; semel.
Baucis anus calido se læta supinat Amori,
Triste senis plorat nympha decennis opus.
Sic vos sponsorum Domini, qui commoda fertis,
Laxastis vestro sordida frena gregi.
Sic vos, præsidium populi quos ditat & vrna,
Laxastis vestro sordida frena gregi.
Sic vos Pastores, quibus est Ecclesia curæ,
Laxastis vestro sordida frena gregi.

Reu. Doct. & Opt.
D. IOANNI FABRITIO.

NVper eram nuptos inter pars vna sodaleis,
Quà celebrabantur festa marita tori.
Heîc mensâ ablatâ (Deus ô bone!) turba per ædeis
Ob stygios facta est ceu furiosa choros.
Ducebant aciem duo mystæ, & primus vterq;
Par saltatorum nobile, semper erant.
Alter iô ter iô quoq; voce sonabat Asellus,
Ebria pulsabat limina calce domûs.
Phy pudeat pudeat, tam tristi hoc tempore & ipsos
Ire sacerdoteis per leue carnis opus.
Iuppiter hos quare Satyros non fulmine tangis,
Num tua tot capras AEgis habere potest?

Offa-

Offerenti Pasicompsam.

MEns mihi dum sana est, agitare recuso choreas,
Sed saltare velim cùm furiosus ero.

Nuptiis nouis
GENEROSI ET EGREGII
D. CHRISTOPHORI HERANTH,
&
SVSANNAE
Thomæ Litterati de Iasou F.

CVr ita maturè gens elocet Hungara natas,
Si mihi fas causam pandere, causa patet.
Bella mouent rigidis quia Pannones aspera Turcis,
Quòdq; cadunt vno millia multa die:
Hoc ideò multos quoq; nascier orbe necessum est,
Facta resarciri quò citò damna queant. (igneis?
Hinc, generose, tuos quis, Christophore, improbet
Tu quòd idem ob patriæ commoda sponsus agis.
Sæpè quis obdurat viduo vel cœlibe lecto,
Quòd metuat socio Martia fata toro.
Tu meliùs: celebras Hymencia tempore belli;
Cordatè patriam quâ ratione iuuas.
Tu meliùs: cœli quòd iussa sequenda Monarchæ
Tempore sint omni; tollis amore moras.
Immò huius aureolos ferat vt Respublica floreis,
Te ille puellarum flos generosus habet.
Immò vt & ipsa suas ferat hinc Ecclesia plantas,
Vis licitæ egregiè spargere semen humi.

Crescere qui voluit mortales, crescere bello
Non minus, ac pacis conditione iubet.
Vnice gnate Dei, tu, quaeso, hoc, Christe, sacerdos
Par sponsüm dextrâ nobile iunge tuâ,
Viuere feliceis facias; exerceat ardor
Mutuus, vna fides, flamma agat vna duos.
Illorum, vt quondam Galilaeis hospes in oris
Verte vndam in vinum, deficiente mero.
Et castos defende toros, Christe optime, donec
Vergat in amplexûs & tua sponsa tuos.

Piæ tædæ
EGREGII DOMINI
GEORGII SZABO, ET IVdithæ Verebeliæ.

TAm citò quòd repetas Hymenæia sacra vicißim,
An placeas cunctis, vir generose, latet.
Forsan erunt Critici, tua qui connubia damnent,
Atq; pij atq; viri fortis id esse negent.
Tempus vt ante suum sit flamma extincta prioris,
Succedente nouâ, coniugis: absit honos.
Nulla sit antiquis reuerentia funere tædis:
Te Veneris deceat nonnè pudere nouæ?
Praua sit hæc viduæ cita permutatio vitæ;
Nec metamorphosin hanc probet ipse Deus.
Hæc (qui iam vulgi mos est) clàm spicula Sponsum
In te quis censor garrulitate iacit.
Sed tu vince tuos solitâ virtute latranteis,

Hæc

Hæc etiam in præceps tempore fama ruet.
Rumor & ipse suâ tandem raucedine mussat,
Compescitq; suos garrula turba sonos.
Tu licet vlterius Papiæ post busta dolores;
Pignora coniugij, fata domusq; vetant.
Improbat hoc mundus, quid tum? Deus approbat, vt se
Maceret inuidiâ Zoilus vsq; suâ:
Securus vulgi quid iudicet ille vel ille,
Vtere, quam tibi dant Numina, sorte tuâ,
Ecce, tuis elementa fauent nunc omnia sacris,
Grataturq; tuo terra poluq; toro.
Ecce, solum atq; salum coëunt: sol calfacit, acris
Quod tenuit longùm frigore Bruma suo.
Quod fera læsit hyems, rursum ista resarciet æstas:
Hinc etiam surgis, Szabo, calore nouus.
Te quoq; torret Amor: tibi mollis flamma medullas
Vrit & ignipotens te fouet ille puer.
Nec tua cygnæis sic algent tempora plumis,
Vt fax heîc poßit iuris habere nihil.
Vt sponsis facies parileis non computet annos,
Si modò honore pares sint & amore, sat est.
Censorum arbitrio quis viuere posset? ô ille
Quàm miser est hodie, cui fauet omnis, homo.

Iisdem.

SZabo, vir, Inuidiâ vel teste, sat aptus es annis,
Cypridos vt porrò militiæ arma feras.
Heroina tua est; Heros tu: viuite fortes:
Sæpè etiam sponsis nominis omen inest.

Assyrio Iuditha duci ceu mascula quondam
Cassa viro castris abstulit ense caput:
Sic tibi certabit Meraris tua, vincere & ante
Ipsa volet; thalami ferre trophæa prius.
Sed tu victor eris primus; spem concipe certam;
Si cor habes, si non exanimatus homo es.
Dura Holoferni olim vidua; hæc tua castra, Georgi,
Non vidua, ast succi plena puella subit.
Esto vir & miles: sic namq; Georgius heros
Virgine pro castâ belliger ipse fuit.
Hoc tibi sit felix, faustum, sit & vtile bellum,
Vestraq; Telemachum prælia, quæso, ferant.
Quàm benè se Marti robustus destinat armis:
Tam malè decrepitus prælia miles init.

Aliud.

VT tua, Sabo, iuuet connubia Iuno secunda
Sponsum, hoc Iunonis ducere mense placet.
O felix! quisquis Iunone sit auspice sponsus,
Momus vt inuideat, sospes is vsq; manet.

Venerab. & Docto V.
D. ADAMO SCHOLCIO,
Conc. Germa. Cassou.

OS Christi, reuerende, docte Mysta,
Scholci; accepi equidem tuas politas
Ad me litterulas, quibus precaris,
Non à me tamen impetras, iugaleis
Vt tædas tibi ritè amore rursum

Incen=

Incendas quia, præstò sum maritis.
Coràm vota preceisq; dem Tonanti,
Et Nato ipsius, innubo; fauenti
Sed nuptis: Deus optimus secundet
Casti hanc coniugij facem, vt superstes
Longo tempore floreas; puellam
Quùm sic floridulam boniq; plenam
Succi ducere iusserit Supremus.
Non me sisto, licet velim lubenter:
Quòd trux inuideat grauisq; morbus.
Ergò, quòd lacrumas mihi profundis
Te sponsum nequeo videre, nec tot
Vrbis lumina Calsiæ tueri.
Ast quò pes nequit ire calceatus,
Pes iam debet abire laureatus.
Pro te proq; tuæ salute sponsæ,
Conscendam aurea sidera Poëta,
Et carmine supplicem libellum
Tradam; vt qui paranymphus olim Adamo
Sponsam duxit, Adame docte, & idem
Te prole hinc faciat nouâ beatum;
Orbe indulgeat hôc toro secunda
Vestro cuncta: vale saueq; nobis.

M. IOANNIS BOCATII, Poëtæ L. Cæsarei.

LIBER HVNGARIDOS QVARTVS,

MISCELLANEA *complectens.*

LECTOR BENEVOLE.

PIderur, si credis Horatio, chordâ qui semper oberrat eâdem. non enim, puto, sine cachinno cytharedi pauperis & angusti sustineas auscultare corcysmos, & qui solùm αὐτὰ πρὸς αὐτῶν mintriat & tantum possit

Agresti stipula miserum disperdere carmen.

Hinc, licet *mihi curta supellex*; nec, vt Marsyas Apollinem, lusciniam quandam Museam in arenam prouocem; & Claudiani calleam verbum: *diuersos diuersa iuuant*: Poëtam audio:

——non omnes eadem mirantur, amantq;
Carmine tu gaudes; hic delectatur Iambis:
Ille Bionæis sermonibus & sale nigro.

Quot capita, tot sensus. Quot homines, tot sententiæ:

tentiæ: ſuus cuique mos eſt, Comicus ait Afer. nec malè Naſo:

Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figuræ:
Qui ſapit innumeris moribus, aptus erit.

Rebus etiam ſua varietas. Cape veri iudicij lancem; trutina quęlibet omniũ hominum; quidnam erit ſub ſole ſolum, ſolidum, purum, putum? Elementa? ſanè, de ſcito Phyſico, per ſe mera, non variegata: ſed aliter in nobis calor, ſpiritus, humor, humus, & vbi ea ſparſim, partim. Irus, quâ non Irus Priapus; aſpice, quàm variis Ver pingat floribus hortum! Floram, ipſam & Pomonam teſtor. Denique mundus hic immundus mixtura chaosque perpetuum eſt.

Sunt bona mixta malis, ſunt mala mixta bonis.

Quicquid, humidus ille pater, Oceanus cum aqueâ ſua prole lambit & ambit, & quod ipſe fouet & fauet, vt magna illa regina, (Pſalm. 44.) *varietate circumdata ſunt.* vix vrbs, vix oppidum eſt populo, linguâ non variegatis. Tugurium & magar omne quàm ſupellectile varium, dubium! Hoc iuuat, delectat, oportet. Ergò, quoniam & ipſæ

amant alterna Camœnæ,

Dicimus alternis. vt ſe dant cuiuslibet ſtudia, mores, actûs; ruminor, itero. Miles adeſt? enumero vulnera. Paſtor? oueis. Omnia ſum omnibus. non tamen, vt Curio, vel Gnatho, quicquid dicunt, laudo; id rurſus ſi negant, laudo id

quo-

quoque. Nil mihi cum isthoc aucupio. cupio capere, quod fas. Eorundem vsus & esus nauseam parit: simile in versu. Quod igitur pictor in tabulâ, coquus in escâ, Phrygio in tunicâ & aulæo; id ego in hoc libro. Eia, bone, veni; mercatum sisto: fòrs erit, quod emptum velis, de quo nec antè cogitâras; vt sæpè, quùm nundinas ingressus. Perge perge; non te pœnitebit.

LECTOR BENEVOLE.

Sed tu, Liuor edax, odio licet ilia rumpas;
Carpere vel noli nostra: vel ede tua.

SPB.

SPECTABILI AC MAGNIFICO DOMINO, D. STEPHANO HVMANAIO, Lib. Bar. de Drugeth, &c.

SOl abitûs finem facit, anni rector & astri:
Splendida magnifici stella decusq; chori.
Admonet ergò suos vateis, rectoribus orbis
Feliceis voueant hoc super orbe moras.
Proq; magistratu nos iussit Apostolus, aras
Ante prece & voto supplice stare pias.
Ergò, Vir Illustris, latè qui sceptriger oras
Hunnidos eximiâ dexteritate regis:
Hunc etiam transi, quaeso, feliciter annum,
Viue, vale sospes tu, populusq; tuus.
Terminet hic annus bella aspera, vapulet hostis,
Alma salus nostro sit peramica solo.
Sic aueo natûm praeceptor in vrbe tuorum
Hâc olim, hoc seruus laudis adopto tuae.

Nob. & Docto V. D. ADAMO ANTIQVO.

ANnus adest nouus: antiquum nisi ponis Adamũ,
Nulla volet rugis nubere virgo tuis.
Esto recens; vinum & nummos antiquitùs ardet
Quilibet, ast vetulo gratia nulla viro est.
Et cur desponsum cor amem, quod sordeat annis,
Marcida vel Baucis si quoq; fortè forem?

Pruden. & Opt. Viro.
D. IOANNI NVSTIO S. C.

ANnus, Ianus, anus, tria vt hæc sint nomen & omẽ
Anna facit, nouus hinc quam tulit annus anum.
O quàm feliceis tibi strennas attulit annus,
Abstulit exsanguem qui tibi nuper anum.
Iane, Annam renoua, pòst annum ritè bifrontis.
Te Iani ex Annâ poscat habere puer.
Sic mihi nomen & omen erunt hæc quattuor: Anna,
Annus, Ianus, anus; sic mihi Numen erunt.
Sic tibi νῦς dicam est δίος; eloquar, optime Nusti,
Respondent rebus nomina cuncta tuis.

AD
SEVERINVM SCVLTETI,
De Turcicâ puellâ Epperiesßini solemniter baptizatâ, & antea Immi, Iam Elisabetha vocata.

HAc paterâ voueo venerande affinis, vt ista
Turcica sit veri filia vera Dei.
Immò omnes fiant Mahumeti nomen honorant
Quicunq; : ex animo hoc, vir verande, precor.

Ornatiss. Viro
Dn. MARTINO BRECHTELIO, C. Cassou.

ANnus habet finem vetus, & nouus intrat in orbẽ,
Quæ tibi Brechtelio carmine fata precer:

Vin

Vis morbi esse expers? esto. vis viuere. viuat.
Natum optas? opto. cætera posce Deos:
Posce Deos pacem; tibi opum satis antè dederunt,
Posce, quod amplificet teq; tuamq; Domum.

EIDEM

De mihi donatâ bombardâ.

CVi mens candidior cygno, niueoq; rosarum
Flore; dedit munus hoc mihi Brechtelius.
Martia, donasti quâ me, Martine, poëtam,
Hos bombarda feret semper honesta pedeis:
A quo fastus abest, à quô crudelior ira
Exsulat, & Martis nomen inane gerit:
Hoc me Martinus donauit munere: viuat
Brechtelius posthac Brechtelijque domus.

AD

MARCVM NOCTVAM,

Cataphractum strenuum Sil.

QVidnam, Marce, tibi iam quidnam, quæso, negotI est,
Tam dudum à te quòd littera nulla venit.
Esnè domi? Vtopiamnè profectus es? ede videndum
Te paullùm; aut certè noctua vera mihi es.

Viro Doctiss.

NICOLAO GÆBELIO.

M. S. Cremnicensis R.

GÆbeli, decus inclitum Dearum,
Formatorq; meæ potens iuuentæ.

Miror, miror; vt vsq; pertinaci
Neruo, ac vnde queas, docere Ludis?
Quid contemptiùs est docere Ludis?
Quid molestiùs est docere Ludis?
Quid pauperiùs est docere Ludis?
Hoc olim haud benè credidi magistris,
Quod sat experior modò magister;
Eloquar, taceamue? sustinemus
Nos nos cœlum humeris Atlantis ingens.
Et fòrs conditio rudis bubulci
Est nostrâ potior: laboriosi
Quòd nocteisq; diesq; tædiosum
Exantlamus onus, nec vlla nostris
Sors arridet, & vlla Gratiarum
Se non præbuit optimis benignam
Præceptoribus arte liberali.
O mellite magister, ô iuuentæ
Quondam Musa meæ beatioris.
Ipse nunc didici docere Ludis
Crucem maximam & esse id eruditis
Tædiosiùs omnibus molestiis.

BVBALO.

BVbale, tu Tauro, Taurus tibi pascua campis
Inuidet; haud mirum; bos es vterq; vorax.

NOBILI ET PRÆSTANTI doctissimoq; Viro, D. IOANNI BELSIO, &c.

Incipit

INcipit ex Myſtis quidam contendere mecum,
Ethnica quòd verſu verba Deosq; canam.
Muſarum, Phœbi, Charitum ne nomina ſcripto
Chriſticolæ vatis vult ſupereſſe magis.
Quæ cenſura tua eſt, mi Belſi? ego cenſeo vocem
Helleboro dignam, ſi aut tripode orta foret.

Belſiana reſponſio.

ILle vltra crepidam ſutor ſapit: inſtar Apellis
Tu vates artem pinge colore tuam.
Cuiq; ſuus crepitus benè olet: Plato dixerat olim;
Propria cenſori dulcia quæq; ſuo.

Facetia,

Cur auari Sacerdotes?

QVòd ſemper capiant, ſed reddant munera nun-
Cura ſacerdoteis vexat auaritiæ. (quam,

Iocus phyſicus
REGIS HVNGARIÆ
laudatiſsimi MATTHIAE.

INclitus Hungariæ quondam Rex ille propagis,
Cui gens de Coruo nomen habere dedit.
Vſq; fuit Clariæ patronus maximus artis,
Dignatus menſâ pectora docta ſuâ.
Heîc inter Cererem Latiâ cum Pallade voceis
Miſcuit, Aonios ſuetus amare viros.
Tempus erat, variè conſortia fercula doctis
Præbuit vt ſocias fregit & ipſe dapeis.

Semper aromaticas Rex ergò disertus ad escas
Egregio cultos protulit ore sonos.
Tunc datur ac aliis, de more, licentia fandi,
Siue sales castos, siue seuera velint.
Mentio cuiusdam fit Principis, illius vxor
Quòd soleat casti fallere iura tori.
Multa illegitimi tulerit quæ pignora lecti
Turpis adulterio fœmina mœcha suo.
Excipit hæc aliquis, non vltimus arte; Ducissam
Liberet vt tanto crimine, rursus ait:
Si genus incertum faceret; pia fœmina natos
Non ferret simileis corpore & ore Duci.
In subolem transit genitoris imago; nec vllum
A specie semen degenerare potest.
Audit, & in risum Rex soluitur; ocyùs infert:
Nullum te Physicum scilicet hisce probas.
Ergòné si mulier dat adultera, furta patranti
Formant conceptum semina sparsa parem?
Falleris: est ratio, cur vero obscœna marito
Vxor adulteriis æmula membra ferat.
Dum iacet in furtis sociumq; amplectitur vlnis,
Cypridos vt mœchis dulce patretur opus.
Fortiter absentis dum semper oberrat imago,
In matrice parem concipit ergò viro.
Qui sectantur iter Medicinæ scitaq; Phœbi,
Hæc dare plus vero consona dicta solent.
Dixerat: extemplò rubor illius ora colorat,
Defensor mœchæ qui modò tantus erat.
Cætera subscribit Regi quoq; turba; cachinnos
Cum grege Rex igitur suauiter ipse mouet.

Mat-

Matthiæ LAVDATISS. HVNGARIÆ Regis Prouerbium.

SVnt tria, quæ nobis minus oblectabile gignunt,
Quæ mens & stomachus respuit vsq; meus.
Iura recocta: reconciliatus amicus: & ore
Fœmina barbato; singula trina nocent.
Ecquid enim hesterno me pascam iure, veterni
Cui virosus inest fortè liquoris odor?
Placati coëant vt vulnera rursus amici,
Signa cicatricis porrò manere solent.
Cum barba mulier, monstrosa virago, timorem
Iniicit, audaceis sueta referre viros.
Iura hodierna probo; caros retinebo sodaleis;
Imberbis mento glabraq; virgo placet.

AD TAVRVM.

MObile, Taure, caput, varium & mutabile semper
Nulla fides, certè, credo, nec ara tibi est.
In nostrâ Cnips es regione; & fœmina nulla
Ingenium melius te variare potest.

Quid Hungariæ desit.

REs deest Hungariæ solum vnica, at optima rerũ:
Aurea pax, reliquis terra beata sat est.

ALIVD.

HVngara, sancta foret, tellus si Marte careret.
Magne Deus, Mars his exsulet, oro, plagis.

IN

DOCTISS. ET PRVD. V. SEBALDI ARTNERI,

Cass. Not. Natalem.

HEus Musæ, omnibus ocyùs repostis,
Vos accingite mox profectioni,
Hâc luce vrbis imire Cassianæ,
Est, cur mœnia vos velim. salutem
Ingressæ ore modestiùs Sebaldo
Artnero vice plurimam poëtæ
Primùm dicite; dein ligate vinclo
Isthoc, restio quod Poëta fecit.
Si caussam volet, expedite: natum
Hâc olim quia luce pusionem
Excepit Genius, suas & intra
Aedeis intulit, hospitem benignus
Fouit, iuuit, amauit. Annuatim
Naturæ litet ergò, quùm Calendæ
Adsint ritè suæ; merum & Falernum
Gratus sacrificet, diemq; totum
Det lætus Genio & bonis amicis.
Si dicet: dabo, quod Deæ rogatis,
Non quæ vinea Cassiana; sed quæ
Szánto, Tálya, Tarczalis, ministrant:
Si det, reddite missum & expeditum.

AD

INGRATVM HOSPITEM.

Prorsus

PRorsus & ignotum ac ægrotum, peßime latro,
Excepi hoßpitio te comitemq; tuum.
Omnibus horrendum, quasi triste catharma, misertus
Te paui medicis coctilibusq; cibis.
Quid reddis? vestem mihi clam furatus; ô Harpax
Digne cruce. I coruos corpore pasce nigros.
Trux manet ingratum Rhamnusia; te quoq; scurram
Immemorem officij puniet ipse Deus.

Viro Amplifs. & Doctifs.
D. MICHAELI WIRT, NOT.
& Sen. Epper. Reipub.

QVantum læticiæ parens crearet
Suis filiolis, remotus hoßpes
Si procul nece diceretur auras
Amisisse; sed interim reuersus
Ori os iungeret & domum rediret.
Ah tantum mihi feceras misello
Ah imis vel in oßibus leuamen!
Quùm te dulcis heri, Patrone Wirthi,
Gradûs scandere videram, tibi quos
Conabatur iners vetare morbus.
Nam sat vox inamœna vênit aureis
In nostras Domino die dicatâ;
Cùm præco venerandus æde sacrâ
Cessaret populos docere Iouam,
Sic est ore locutus ad frequenteis
Nos: Morbo laceratur Optimatum
Huius flos quoq; ciuitatis vnus.

Nos plorare decet, decet precari,
Faxit Christus, vt optimus Redemptor,
Huic ne claudat auara Mors ocellos.
Namq; vdi lacrumis Tonantis iram
Si placabimus, audiet roganteis.
Hunc seruare potest diu, vt redemtus
Nostræ flos quoq; ciuitatis vnus
Viuat, templa iuuet scholamq; nostram.
Plebs est in lacrumam soluta multam!
Largos vox ea suscitauit imbreis.
Et mî cor pupugit, iecur, medullas.
Quapropter pueros adhortor omneis,
Ludi pulpita qui mei frequentant,
Vt mecum citiùs ter ore dicant:
Noster ô Pater arce qui polorum es;
Has audi preculas! inesse votis
His certum sine cœli in axe pondus.
Nostræ præcipuus scholæ patronus
Membris æger habet graueis dolores.
Vitaleis moriens relinquat auras.
Qui fuluo timet Euclio metallo.
Vel qui Musicolas nouemq; Diuas
Odit, temnit, acerbat, exsecratur.
Fautor Wirthius optimus Camœnis
Vitâ dignior est beatiore.
Ciueis consilio grauis gubernat
Prius publica tum magis laborat.
Cùm ius dicit, vt alter Vlpianus,
Non heic contrahit, arcta nec relaxat.

Legum

Legum vincula; sed Themis quod ipsa
Fas rectumq; putat sedens ad vrnam.
Nocteis atq; dies Deum rogemus;
Nostræ præcipuus scholæ patronus,
Viuat Nestoris vt beatus æuum.
Salue, spes mea, mi patrone, salue.
Suscepit preculas Deus iuuentæ.
Iam tecum saliunt, cor, os, medullæ.
Nos, qui Pierias docemus arteis,
Iam sumus rediuiua turba rursus.
Tu morbo nisi nunc leuatus esses:
Tecum templa scholæq; concidissent.
Heic vulgus rude temnit, exsecratur
Nos, qui Pierias docemus arteis.
Quid cesso benè gaudiis vacare?
Sumas, I puer, ocyùs repostos
Nummos octodecim, ferasq; vinum
Infundas cyathos capacioreis.
Cur non Hungarici liquore Bacchi
Tester lætitiam meis Camœnis?
Argumenta noui parabo gaudi.
Mecœnas, meus & patronus vnus
Valet, viuit, obambulat, mouetur.
Præter hunc redamare neminem post
Gratus debeo. Suauiter vocato
Cibum sæpè mihi dedit benignus.
Me fouitq; fauetq; more patris.
Ergò hunc non minus, ac meum parentem,
Flagrabo, venerabor, & precabor

Iouam, Nestoris vt superstes æuum
Posthac transigat, anchoramq; naui
Fautor iniiciat meæ soloq;,
Linguâ quo meliùs potest disertâ
Nullus flectere & alligare proram.
Sic Lucas patrias eat per arteis.
Sic cum filiolâ parens minore,
Sic maiore diu, Annulâ, pudicam
Præstent Penelopen, piam & Rebeccam.

AD BVBALVM.

QVando tui spirant calidi mendacia folles,
Tam vultu austero, ac seriùs ore vir es:
Ipse vel vt Thomas tibi, Bubale, credere possit;
Bocatium hâc nunquam tetricitate capis.

OPES.

DIuitias nolo Cræsi; locupletior Iro
Sim tamen; est vitæ quod satis, illud amo.

Nihil est peius Caseo.

A

MATTHIA REGE HVNG.

Quondam iocosè disputatum.

REx Coruiniades, quô non præstantior alter,
Ille tremor mundi, Pannoniæq; salus:
Sicut erat doctus, doctos flagrabat, & inter
Ardebat Clarios perpetuò esse viros.

De va-

De variis sermo fieret quùm doctior escis;
His laus, his essent noxia multa cibis:
Matthias Eridos quasi pomum proiicit: Hunnis
Est valdè suetum dicere tale meis:
Nil peius certè est, quàm Caseus. vnus & alter
Mox negat, ex Medicis & ratione probat.
Exemplisq; gerit rem; profert grandia cete,
Duricie pisceis plusq; nocere canit.
Pugnant, Hippocrates Auicenna, Galenus, & omnis
Prouocat autores ordine sæpè suos.
Rex instat, fieriq; refert prouerbia vera;
Plus doctis populum dicere sæpè rudem.
Hoc tamen esse nihil, cum bile Machaones aiunt,
Caseolis quoniam noxia plura sciant.
Optimus in risum Rex soluitur: ecce, probabo,
Dicit, & enucleans planior ore docet.
Credite, nil peius quod sit, quâm Caseus, ecquid
Cùm nihil est, aliquid frangere dente potes.
Cùm nihil est, editur nil; caseus ilia replet;
Caseum ego comedam: vos decet esse nihil.

Ad Mecœnatem
D. CHRISTOPH. DARHOLTZ
De Fynthâ, &c.

QVem Generose mihi nuper Patrone dedisti,
Ille tuus Lælaps noluit esse meus.
Esse quid hoc dicam? nisi fallor, fortè culinam
Præsensit leporeis non tot habere meam.
Si donare voles mihi deinde quid; ipse videto
Vt careat pedibus, permaneatq; datum.

Curie-

Curioni-mopso.

CArmine moroso, vis, trux debaccher in illos.
Queis tua Relligio non ita fortè placet.
Ne faciam, facit officium. sum Heliconis alumnus;
Hoc non est Spartæ, Curio-mopse, meæ.
Te mordax vrtica canem! sed palma bidentem
Me decet imbellem laurea; mordet ouis?
Læsa repugnat. ego si quis me læserit autor.
Arma repugnando miles ouilla geram.

Seruitus interdum bona.

VTile sæpè fuit seruire! potentia multos
Perdidit, & miseros fecit in vrbe viros.

AD

D. GEORG. BVNTZLER.

Subnotarium Cassouianum.

PErdidit hesternam Buntzlerus gutture lucem,
Buntzlerum perdet fors hodierna dies.
Prandia Buntzlero sine sumpsi; cœno sine illo;
Buntzlerum certè perdidit ista dies.
I puer accensum candelam; sole corusco
Et face Buntzlerum quærere tempus adest.

SVPERBO.

CEu Fortuna tuos mutauit splendida moreis;
Sic mutat sortem vita superba tuam.

SVB

Effigie mea 1591. An.

Cremnicij depictâ.

Corporis effigiem sollers depinxit Apelles,
Cùm traherem vitæ bis duo lustra meæ.

Ex aqua calida Trenschiniensis diœceseos ad GEN. ET EGR. DOMINVM NICOLAVM OSTROSITIVM, Dominum in Illauâ ad Vagum fl.

AVdieram, Hungaricis (mirabile prorsus) in oris
Sponte suâ calidas esse potenter aquas.
A pueris taleis arsi descendere in vndas,
Vt fieret dictis deniq; certa fides.
Gratia prima Deo sit & altera iure referri
Auspiciis debet, care patrone, tuis.
Nunc ego Marte suo fumanteis cerno liquoreis,
Cùm sint articulis balnea grata meis.
Anseris his de more fruor: me mergo biboq;
Proq; meâ toties proq; salute tuâ.
Qui volet, ex herbis succos affinibus æger
Potet, ego Domini Trenschiniensis aquas.
Salue here; ter cyathum tibi præbibo; redde vicissim
Tu mihi, quùm cœnæ sumere vina voles.

RV-

RVSCO

Litterato, nescio quomodo.

Cvm Plauto quoties loquor aut Cicerone Latinus,
Grammaticus toties sum tibi, Rusce, malus.
Ergò bonam opto diem vobis dominatio vestra;
Sic me Grammaticum dicite, Rusce, bonum.

Vita humana exsilium.

Tota nihil, quàm dura peregrinatio, vita est;
Dum sumus heîc, tristi viuitur exsilio.
Sed cùm vera olim fuerit data patria cœlo,
Nemo peregrinus, nullus & exul erit.

Doctiss. Viro GASPARI VERNERO,

Phil. Mag. LL. Iuris.

Martio Vates quid agam recessu,
Quà nihil, præter lituos, strepenteis
Audiam, ac hastas, miseris crepaceis
Frangier armis,
Quæris? ô linguæ triplicis Magister;
O nouenarum ingenio sororum
Corculum, & ô mel Charitum trium! ô &
Gloria Phœbi.
Hæc meis cœlo patrio Camœnis
Terra plus ridet; fidibusq; nostris
Sæpè, Mecœnas velut alter, vltrò
Porrigit aureis.

Miti-

Mitibus nil militiæ Deabus
Sit licet cum atroce sorore Martis:
Me tamen non vnus amat Gradiui
Fortis alumnus.

Ex satu me nobiliore multi:
Ex choro me magnifico Barones,
Et graues me Cæsarei ministri
Promptiùs ornant.

Scilicet sunt versiculis patroni,
Quos cano interdum, otia quando suadent,
Et sinunt vasti à pueris labores;
Vrget Apollo.

Heic, nisi fallor, melior poëtis
Forsan est sedes: Helicon falernis
Gaudet, & Baccho nisi cantet vdus,
Conticet autor.

Italæ telluris in arua tu quòd
Cogitas; Romana videre claustra:
Gratulor; felice volucre abito,
Moxq; redito.

Ast ego votiuus agam per aras,
Supplici pro te prece verberabo
Ianuam cœli; reducem vt mihi te
Numina sistant.

Nobilis denupta mihi puella est,
Quam pudor, quam flos pietatis ornat,
Publicè tradet Domiduca Iuno,
Hæc breue carmen.

MAGNATES.

NOn ſua Magnateis facit alta pecunia! magni
Magna gerant: paruis quis, rogo, magnus erit?

Aliud.

VT virtute ſuâ trahit æs & ferrea magnes;
Ardua Magnateis ſic ſuperare decet.

In HOSPITIO PAGI RVTENICI, in fin. Hung. & Polon.

IAnus ab Hungaricis veniens Bocatius oris,
Hàc gelido Bruma tempore fecit iter.

Prouerbium.

FOEmina, rana loquax, Anſer, Sueuusq; frequen-
Mercatum faciunt quattuor iſta ſono. (tem

IOCVS

Cur Hungari ſoleant occiput radere.

TAm variis quoniam communia buſta det oris
Hungara terra, Italis Teutonibusq; viris.
Raſa caput gens eſt, ſuperis quò ſcilicet ipſis
Poßit in extremo notior eſſe die.

V. Doctiſs. DAVIDI HENNISCHIO, COLL. Caſſ. Scholæ Primario.

Quat-

QVattuor, Hennischi, consortia vina bibones
Contulerant vestrâ nuper in vrbe pares.
Nobilis hos inter, vult me partem esse: salutat,
Mox fratrem, ex animo quod faciatq; probat.
Mandibulam cultro sibi perforat; instat acerbè
Hoc sequar exemplum, perforem & ipse meam.
Nolo: recuso; hominem valdè his offendo; quid ad me?
O tanti ad cyathos sit mihi nullus amor.

GEORGIO MANNO AVGVSTANO, CONCIONATORI Cassouiensi.

MAnne, tuo manno fœnum cùm propter emendũ
Nuper eras quondam cum Corydone loquax:
Clàm risi; velles quòd scire, an plena fuisset
Cynthia, quùm prato gramina secta forent.
Annè putas miseros Physicen lustrare colonos,
Detondere suos quando iubentur agros?

IN CERVVM.

CErui nomen habes, tua quòd constantia ceruũ
AEmula sit. bello ceruus es: immò domi.

SIMPLEX HOMO. DVPLEX NEBVLO.

ES caput obstipus! vestem lacer! ora modestus;
Qui te non didicit, deierat esse pium.
Non mentis tua conditio, quæ corporis; vt sis (es.
More homo sat simplex, corde duplex nebulo

AD BVBALVM.

NOn ita fers ægrè, quòd, Bubale, poto: ſed inter
Quòd poto procereis, hoc tibi corde dolet.
Nobilibus quòd ſæpè vocor, te macerat. ah quid.
Quando olim fuero nobilis ipſe, doles?

Viaticum Poëticum

MAGNIFICIS ET GENEroſis Aduleſcentibus RVDOLPHO, SIGISMVNDO, & FRIDERICO, Lib. Bar. à Teuffenbach.

MOnſtra mari eſſe, ferunt, quorum pars altera Nymphas,
Altera ſquamigeros imitatur corpore piſces.
Pube tenus natitant ſunt cætera deinde puellæ.
Suaue canunt: & ſi nunquam tibi Thracius Orpheus
Auditus: blandis præbe Sirenibus aures:
Orphea; iurabis, te nunc didiciſſe. Sed heus heus,
Grande dabis pretium fruſtrà namq; auribus illas
Nemo vſurpauit, modò ſolertem excipe Vlyſſem,
Qui cerâ auriculas ſociis obſtruxit & intra
Se craſſo impediit vinclo: ne fortè carinâ
Exſiliens, fieret præda expectata canoris.
Sed iam tutus eat qui nauigat æquore: terram
Qui vel calcat equo, vel quattuor axe rotarum
Voluit iter, non, Sirenum ſecurus is, vrbes
Nunc ineat peregrinus: humi monſtra illa timentur:
Quàuè viam carpis, te cominus vſq; ſequuntur
Nî fugias, cantus nî fiat & æmula turdi

Auris

Auris, in exitium te detinet ore canentûm.
Heus generosa Trias, quam Teuffenbacchius he-
Heros, militiæ quo non cordatior alter, (ros,
Cis paucas luces Boiemis sistet in aruis,
Noster vbi solio subnixus Iuppiter alto
Iura viris, legesq; dat, & res totius orbis
Integrat: ô tantum sorte auspice pace sequestrâ.
Heîc quoq; Sirenas nisi quis tibi monstrat Vlysses,
Imò salutares monitûs per opercula in aureîs
Fòrs instilat, erit, quod nequiter audeat in te
Monstrum dulce suum ius vsurpare canendo.
Tantum summa volunt Acheloides arte canorâ,
Vt, quicunq; petant Helicona, & dulcia diuûm,
Præcipitent læuâ vertigine vocis ab alto.
Discite vos animæ illustres, queî Monstra fugentur.
Ast quia non facilè est (fraudem sic fœmina cælat)
Nosse, & posse illos ratione auertere cantûs:
Accipite hæc animis quæ expertus ego occino contrâ,
Cantio fallaces quæ prodat & ipsa volucres.
Surge decus puerûm: ecce venit iam primula Siren,
Quæ, licet ignoret, quid distent æra lupinis,
Gannit in auriculas rudis Ignorantia: nolim,
Nolim ego, tam lauti patrimonia perdere censûs,
Aera Magistellos & dulce didactron inungat,
Quid doceant celeres frænis cohibere caballos.
Ista sibi hoc poscit tempus spectacula. Xerxen
Bella nouum contra gerimus: cum Cæsare Cæsar
Dimicat, Hungarico pugnabitur orbe vicissim.
Non ita Turca manus per Martia negligit arma.

Ille Simon nebulo, inquam, nobilis ille Sinantis,
Iaurini domitor, cuiq; (heu) nostra Agria paret,
Thrax canis id nuper satis hâc clarauit in arâ.
Excute triste iugum, tua iam fumantior ara est,
Vilia qui quondam mereat stipendia ludo,
Arcadij pecoris de more laboret, odores
Hauriat ingratos, quales latrina ministrat:
Vt–Re–Mi–Fa tremulus circum horrida pulpita di=
Res contempta, nateis generosis porrgere n atis scat,
Thestilis ex humili matrice, & paupere villâ.
Aude aliquid dignum genere & maioribus adde,
Disce, quod vtaris per secula lætiùs omnia:
Vt queî ruricolæ & pingueis plectantur Achiui.
Queî quærantur opeis, & honoreis, altaq; passim
Nomina amicitiæ: leporeis cane; retibus arctis
Bestia quæ liquidæ sibi fontem exoptat aquai,
Queîq; alia ex aliis neruo maiore petantur.
Pocula siccentur: qui maxima pocula siccat,
Nobilis Heroum meret Helluo ponier albo.
Qui cyathos rudis est vacuando, haud miles is audit.
Non cursu, vt radix: requie sapientia crescit.
Parrbisij quoq; habent asinos, & sæpè quis intra
Plus natale solum didicit: quàm mille Lycæa,
Mille Academias qui perreptauit, & ipsum
Vidit Aristotelem, vel brachia lata Platonis.
Scilicet haud omni de ligno Mercurius fit.
Praxtiles marmor, Genium schola consulit aptum.
Hæc ita magnificè Peitho illa susurrat in aures.
Quis neget? esse aliquid saga sumere & ire cruentum

In Ma=

In Mauortis opus: Ioue ſub recubare: lacernâ
Excipere immodicos imbres, & frigore Coros.
Ferre ſitim atq; famem, poſt vulnera mille, fuiſſe,
Pro aris atq; focis, pro libertate tuendâ!
Plus virtus geminata tamen facit, inſita quando
Naturæ accedunt: monita ingenuiq; Magiſtri:
Omne tulit punctum, cum Muſis iungere Martem
Qui potuit. Cedro eſt dignus, qui ſacra prophanis
Sic miſcet, ſit vt ingenio teres atq; rotundus;
Quod Marte haud potuit, correxit id arte diſertâ.
Scriptis & ſceptris, belliq; domiq; gubernet,
Imperitet prius ipſe ſibi, quàm cætera ſtringat
Imperiis hominum conſortia, & omnia faſceis
Dirigat ad pictos chartis, legesq; recoctas.
Hoc eſt virtutem factis extendere, & hoc eſt
Clara per ora virûm volitare: hoc viuida ſtirpis
Nobilitas: hoc eſt clypeis noua cera vetuſtis.
Exemplumne cupis? veteres qui heroidas æquat,
Vnus pro multis mihi Teuffenbachius eſto
Mente Solon, pietate Metellus, pectore Achilles,
Integritate Cato, ſtudio æqui Brutus ad vrnam.
Attilius, Fabiusq; fide, virtute Camillus,
Atq; alij multi coierunt, rurſus in vnum
Sicut in Oceanum fluuius ſe plurimus infert.
Qui niſi res ac ſpes noſtris rurſum integret Hunnis,
Acceptum ſanet (tu ſcis hoc Agria) vulnus:
Nonne vel hinc mures iam nunc migraſſe videntur?
Omniaq; in peius ruere, ac non poſſe referri
In melius, quondam ſolidâ ſtatione locari?

Huic (quod auent omnes mecum) pia fata Parenti
Dent in luce moras: vt enim plus Hercule fecit,
Satq; datum patriæ dicas: viuacior vt sit
Ceruis & Coruis tamen, optat viuida virtus.
O Teuffenbacchi! nusquam tua pallida letho
Fama erit & morietur honos tuus, omnia quando
Fatali igne ruent: morietur si modò quodam
Dignus honos luce æternâ, æternâq; salute.
Ex hoc virtutem, pueri, verumq; laborem
Fortunam ex aliis verno hoc si discitis æuo:
Quis vobis digito aut sannâ merito occinat vnquam:
Heroum Fili noxæ. Sed patria vt ora
Hi referunt: ita virtutem cum semine gestant.
Formæ materies sitis, charitesq; notandi.
Qui genere & proauis se dignum fecit apertè,
Non genus, aut proauos, sed iam sua iactet apertè,
Turpè, benè est natis, malè viuere; origine solâ
Nulla est nobilitas; fias, non nascere, clarus.
O miseros! ô vix homines, sine pondere nomen
Quos capit, & veri queis nullus lucet honoris
Splendor, apex, clypeo tantum; nullâ arte coruscat.
Sic anteit cœli longè pulcerrimus ignes
Hesperus & socius magno cum lumine fulget:
Vt vacuos albis præcedit Musa veredis.
Corpora nam quantum discordant mortua viuis:
Doctus ab indocto tantum quoq; distat: vt ille
Disserit: illicet hoc vix credat, siue cachinno
Excipiat Bapta, & monstrum execrabile vulgus.
Tantum huic: en oculis peramica, at falsa Voluptas

Se blandè

Se blandè insinuat, vibrans dulce ore venenum.
Intra naturæ fines: studia anxia vita:
Nec, velut ipse Chremes, sutóris & instar in ædes,
Te claudi claude. hui, Francísce cuculliger exi,
Exi, inquam, exi hominem indue, & exsue corde Cato
Quin viuis? nonne æra sinunt, & fata quid acri (nem.
Curâ pectus edis? iuuenilia perdis, & annos:
Flos breuis est ætas: volat æuum, & transit, vt vnda.
Ocyùs ac velles, tibi præstò erit Atropes, omneis
Tunc oppone arteis; tunc pallidus obiice chartas.
Iam nunc, si me audis, meliore te insere pubi.
Sat benè, vbi mutat vestes peregrina iuuentus,
Vt digito possit monstrari, & dicier: estnè hic
Hansellus teneris qui quondam extrusus ab annis
A patre in extremas, panno vix obsitus, oras?
Ecce autem iam qualis adest? qui corpori amictus.
Esse neges illum, sic est mutatus ab illo.
Nequitiæ stabulum, teterrima pestis honesti,
Sic iterum Siren alia ad Pietatis alumnos.
Præcipuè splendore suo ferit intima cordis. (phe,
Creditis hæc, Nymphe quæ ebuccinat, improba Nym
Teuffenbacchiades, Iouio de germine creti?
Vix risum teneo spectatum admissus. an autem
Non pulcrum est varias sibi veste inducere plumas?
Pallia clara decent præclaros, vilia viles.
Plus Genio capiunt vestes. ô tempora nostra,
O mores, hodie concessum & dicere fas est.
O hominum fæx! quin rogitas, qualisnè sit intus,
Qui de more vpupæ pennis, cristisq; superbit

Versicolor? studiis num sit iuratus honestis?
Num prodesse queat patriæ? dulceisq; parenteis
Prolongare sibi pietate, atq; adiicere æuo?
Scire aliquid reduces, didicisseq;, maxima laus est.
Tu vox elleborum bibe stultior, i vel ad ipsas
Anticyras porcum immola, & ad rem quod facit aude,
Rusticus aut holitor magis oportuna loquendo
Disserat: hæc ratio plebeis eximat vmbris.
Ille viæ pretium sumptûsq; haud fecit, ad Indos
Qui sese extremos tulit, aut Garamantas adiuit,
Diuersos hominum mores, & millia vidit
Mœnia, bis denis nulli conspectus ab annis,
Quà dulceis cunas & patria rura reliquit;
Censûs & sensûs nisi sic correxerit, vt se
Nunc alium atq; nouum mortalem & frugis auitæ
Esse probet, qualem virtus hauet, aurea virtus:
Fecerit exsequias feritati, & pectus honestum
Artibus aureolis disciplinâq; decenti,
Barbarie excussa, cumulârit, & optima secum
Attulerit, mare trans & montes peßima cunctos
Liquerit, & celso sese insertârit olympo.
O pueri, nil vos captant ea tela nec Hostis:
Non, nisi sudando, quæ pulcra & honesta, parantur.
Semper agit virtus, insueta soporis & otI.
Eripit, haud confert, quod spondet blanda Voluptas;
Cui comes Ebrietas, luxus, gula, dedecus omne.
Musæ dapeis mensæ breuis exigit: ilia plena
Impediunt agileis indoctam Pallada chartas.
Vos nunquam obliti, dic cur hîc illius, vltrò

Imber-

Imberbes ſtudiis annos date: meßis in herba eſt
Veſtra; ſed & flauas pòſt decutietis ariſtas
Et ſpatioſa hornâ complebitis horrea fruge,
Fruge auro potiore, & ſi quid dignius auro.
Vos modò iam conchas legite & veſtræ addite Spartæ
Ornamenta, mero dum ſe pars cætera ſpurcat,
Feſtos vſq; dies agitat, nec ſabbata ponit,
Antiquumq; ſuum porrò obtinet; ætheris orba eſt.
Non, illuſtre, prius remea has, tu ſanguen, ad oras,
Quàm clypeos poßis propriâ virtute paratos
Afferre, ingenij diues, cor Pallade rectum.
Vos anima & requies, vos ſola & ſera voluptas
Spesq; decusq; Patris manſurum & gloria ſecli.
Senſerit hoc æuum: quantis vos plauſibus olim
Accipiet reduces? quantâ vos laude celebres
Ipſa vehent Muſea virûm, quos clarat Apollo?
Deſidia hæc habeat, Sirenula blanda, Voluptas.
Reſtat adhuc proles Acheloia cautior illis:
Iam te, nî fallor, ſanctè ſaluere iubebit
Relligio, non Relligio: quæ ſimplice veſtem
Ex oue perſonata lupum celare rapacem,
Atq; nouæ nouit paßim pietatis alumnos
Scribere: promittit cœlum, quia myſtica cœli
Pharmaca promittit, ſed cor animamq; venenat.
Tu Satanas mendax, fuge & hinc tete ocyùs aufer:
Eſt mihi dogma, ſinu patrico quod Chriſtus in orbem
Attulit: id lolium & ſteriles diſcernit auenas,
Et ſpem triticeæ meßis facit: accipe, Verbum eſt
Ipſius, erroris verbum expers, ſeminis expers.

Quale

Quale ſeris, mea mens diſcriminat illud ad arat.
Tantũ etiam huic, veſter præſtabit cætera Vlyſſes,
Si ſeipſum vincet, ſocias cerâ obſerat aures.
Ergò Carolides, vt magnum inſtruxit Achillem
Phyllirides: ita tu, Chiron velut alter, & iſtos
Inſtrue Achilleides, tria lumina, treſq; pyropos.
Magna tibi nunc eſt adaperta feneſtra docendi,
Diſcendiq; alios nam qui docet, ille docet ſe,
Cœnare hos doceas, exemplaq; ſuffice ſancta.
Difficile eſt, fateor pueriles corrigere annos.
Sic aries ſtabulum laſciuit cornibus extra,
Seq; putat Martis pullum, nec fortior alter
Creditur, in mediam qui prodire auſit arenam
Cuncta ferit, quàcunq; poteſt, deſæuit in hædos,
Nî vires adimat, nî frangat robora paſtor.
Chriſte decus cœli, qui ob nos noſtramq; ſalutem
Ipſe olim magnum feciſti iter axe profectus
Elyſio, ac humileis voluiſti viſere terras
Tot pede dimenſus regiones, oppida & vrbes,
Absq; lare, & certâ ſede, annos quattuor atq;
Triginta: hos pueros tibi tres commendo, per oras
Vt quaſcunq; ierint, celeres imitando quadrigas,
Incolumes veniant ad fortes vſq; Bohemos;
Anſeris ad toſti monumenta amplamq; Caſurgin.
Et quia Pallas es, & ſummi ſapientia Patris,
Qui quondam Solymæ Phariſaica pulpita, bis ſex
Vix annos natus, dignatus es exornare;
Et puer inter tot barbatos dicere docta,
Atq; rudi paßim fallentes littore piſces

Mox ſacrâ cidari donaſti, vt valle beata
Paſcere oues ſcirent, fauces arcere rapaces:
Ipſe, inquam, Logos æterni & ſapientia patris,
Da faciles pueris aditûs iuga ad ardua Pindi,
Vt ſuperent niſu, & caput inter nubila condant.
Te ſine quis fruſtrà ſudat, te, Chriſte, labores
Siſyphus vt ſaxum miſer vrget, perdimus omnes.

VIR. DOCTISS. ET OPT.
IOANNI DVCIO, BORVSSO.

QVo doctore ſciam verſus componere, Ducí,
Quæris? in auriculam ſolùm ego reddo tuam.
Eſt mihi Vergilius præceptor, ob arma virosq;
Cùm boo grande. elogos dum cano, Naſo docet.
His ego do pœnas: his vapulo: quærere noli!
Amplius, & Genio cætera trade meo.

Labor Scholaſticus.

DEde ſcholæ, quem piſtrino vis dedere; res eſt
Vna eademq; molis: vna eademq; ſcholis.

Fortuna cuinam grauis.

DVra premunt omneis, ſed nulli aſperrima ſors
Qui benè fortunam ſcit tollerare ſuam. (eſt
Confer cum reliquis tua tædia; peiero, rurſus
Protinus accipies triſtia ferre prius.
Sorte tua præſtare velis. duriſſima frangit

Tempus

Tempus, & Herculeæ dant bona ſumma moræ.
Non fruſtrà anxietas exſpectat auara colonum;
Agricolas tandem fruge coronat humus.
Vidi ego funeſtum triſtari nubila cœlum;
Et vidi rurſum clariùs ire diem.

V. Reu. & Eruditiſs. IOANNI FABRICIO Epper. F.

FOrs mihi ſtomacharis, annuatim
Quòd bimas recitem tuas calendas.
Noli, vel recitabo Ianuatim,
Et priſco auſpice computo & recenti.
Quaternas recitabo ſic calendas.

Ad eundem.

MYſtagoge diſerte, Ian-Fabrici,
Chriſti delitium, Logi æuiterni:
Scisne hunc Mercurio diem eſſe ſacrum,
Facundiſſime, ſcisne, Ian-Fabrici?
Illi hunc Mercurio diem eſſe ſacrum;
Qui vocatus adeſt, ſuumq; Numen,
Flumen, lumen eis miniſtrat, ore
Aemulo Ciceronis expedire
Qui quid primitùs adſolent negotI.
Diſertiſſime ciuitatis huius;
Diſertiſſime Regionis huius
Orator, mihi promptior. Sed ædeis
Proximas tibi poſtules, peroro.

Tu vicarius oris expediti;
Tu promptè mediator expeditum,
Curatumq; velis dare ac relatum;
Vt Lar propitius, boni & Penates
Sint hâc luce mihi: tibi supremam
Fabri filius impetret struatq;
Domum, ille optimus omnium fabrorum.

Ornatiss. V.
ADAMO KVNISCHIO,
Coll. S. Cass.

MVlta puer (dixi tibi forsan Adame) celebri
De patriæ audiui monte stupenda tuæ.
Vt, mediâ Phœbo ipsâ æstate tenente Leonem,
Is pariat vestro frigora dura solo.
Vt, velut alter Atlas, se vertice tollat ad astra:
Vt ferat æternas sole calente niueis.
Desuper vt voluens per saxa immania celso
Vertice labenteis eiaculetur aquas.
Contineat multas benè diues piscibus vndas,
Præbeat & variis claustra domosq; viris.
Totq; salutareis gignat mortalibus herbas,
India quot Campis vix genuisse potest.
Hæc ego mirandi celebranda creata Parentis
His oculis volui sæpè videre meis.
Sed bona vbi quærenda occasio fertur ituris,
Hactenus & fuerit commoda nulla mihi:
Nec sinat hoc pubem mea sedula cura docendi,
Non potui patriæ mira videre tuæ.

Iam,

Iam quia valdè æstu canis Erigoneius vrit,
Ne noceat cerebro feruida flamma meo:
Me tandem iuuenum multa comitante caterua,
Suscipiam hoc (vertat quod benè Christus) iter
Ergò vdet cursum ipse suum cùm flectere Titan,
Cumq; erit augusti reddita quinta dies:
Iussa Scepusiacas rota me portabit ad oras,
Vespere Leutschouios fortè subibo lareis.
Si vacat officiumq; sinit, mellite Kunischi,
Tu precor esto meus patria ad arua comes.

V. HVMANISS. ET DOctiss. D. M. MICHAELI NANTICOuio, Iglauiæ Marcom: pietatem docenti.

VIr clare, & meritò inter eruditos
Non vulgò, at benè nobilis! Ioanni s
Cuiusdam memor esnè adhuc Bocatl
Quondam discipuli? ille iam feroceis
Hunnorum colit, at coactus, oras.
Nam satam heic sibi coniugem puellam
Duxit Egregij viri vnicam, quâ
Cum degit, teneram scholæ iuuentam
Docens litterulas pias & arteis.
Quid priuè studeat rogas? Poësin,
Sacra & Biblia, cæteris omissis.
Annos ante duos, citò æmulatus
Te quondam ac alios suos Magistros,
Magistri titulum elegantiorem

Est in

Est in Leucoreâ vrbe consecutus.
Nec non Laurigeri tulit Poëtæ
Nomen, quod meliore bella versu
Mota Lunigero canat Tyranno.
Et quem sors iterum breui secunda,
Ast vltrò, altiùs euehet; Phaleucis
His dicit tibi plurimam salutem,
Ac te suspicit, ardet & precatur
Vt probè valeas, beatiora
Fortunamq; vouet tibi tuisq;.

Reu. & Doct. Viris FRIDERICO VSRAL & Martino Belsio.

FVlmen erat mensis hodierni concio mystæ,
Et contra oppiparas tela fuêre dapeis.
Attica si caperent bellaria quemlibet, vt me
Huic simulis posthac concio nulla foret.
Vt tamen hoc verus fuco sine dicere credar;
Neu me aliquis Curios fingere posse putet:
Ad cœnam te posco meam, Friderice; venito
In nidum, quintam cùm dabit hora, meum.
Et quia fassuro testis non sufficit vnus,
Heîc etiam cœnet Belsius ille meus.
Quæ numerant plureis, quàm tres, conuiuia damno;
Treis amo conuiuas, treis vt amo Charitas.

In Taurum.

ESt serpens aliis ipsi sibi vipera Taurus;
Plectitur Oeteo bestia trux Genio.

ACADEMICO.

NOn opus est, prodas verbis; Academice, mores
Membrum Academiæ teq; fuisse docent.
Quæ perreptasti, fecêre Lycæa superbum
Te satis; an fastûs hos docuêre Sophi?

SVB DESCENSVM IN PROfundißimas salinares fodinas ad DEVM.

CElse, quòd in stygium, Deus, intro fune baræ-
Quò tamen officium non iubet ire meum. (thrũ.
Scis, ausi quæ sit ratio: cœlumq; solumq;
Comples, teq; suo ventre prehendit humus.
Quicquid alit tellus intra sua viscera, & extra
Quod parit, omne manûs fabrica mira tuæ est.
Me rapiunt hæc alme pater: descendere felix
Vt poßim, comites mî bonus adde tuos.
Ne fòrs allidam caput, Angelus ille gubernet
Tortile, quod sollers Restio fecit, opus.
Sospes in infernum si venero, sospes in altum
Me rota funigero traxerit orbe suo:
Nitar in æternum versu tibi soluere grateis;
Præco tuæ laudis carmine semper ero.

MAXIMILIANO FABINI Collegæ meo.

TV quoq; turgenteis, Maxæmiliane, corymbos
Matu-

Maturâ tandem falce secare paras?
I, duce sed Bromio, tua quà se vinea guttis
Rumpit, & vberibus stat grauis vua suis.
Vite coronatos aperi mox vinitor vlmos;
Dent Baccho largos ebria prela lacûs.
Musta fluant, & labra rigent spumantia, doneo
Fas implere mero millia vasa sinat.

IN IANVA MEI MVSÆI.

IAnua synceris ego nunquam claudor amicis;
Bocatium quisquis non amat, esto foris.

Ornatiss. & Doct. V. D. MAXÆMIL. FABINI.

HAEc lux sacra tibi, Fabine, fastis
Si non decipior; sed imbre fusca est.
Quid tum? Iuppiter hostibus serenus
Non est; nec rogo sit Getis superbis.
Tu clara faciem tuis calendis.
Tu, Maxæmiliane, da calendis,
His natalitiis tuis calendis,
Bacchi munera, amiculosq; tracta,
Sæpè vt post remeent tuæ calendæ.

BVBALO.

QVùm deceant mannos, quid epiphia, Bubale, pos
Bubalus es; porrò Bubalus esse velis. (scis?

Vestis.

EX pennis noscuntur aues, ex pelle leones,
Ex habitu certus discitur ordo viri.

ORNATISS. PIETATE & doctrinâ Iuueni Dom. ANTONIO THAN, Caßiano Connotario.

CVm secreta suæ sciat vrbis curia; si fas
Scisciror, Antoni, tu mihi certa refer.
A milio vestræ facit vrbi nomina vulgus,
Quòd milium steterit, quà locus vrbis agro.
Bonfinius struxit quòd mœnia Cassius infert:
Maior vtri, quæro, dic, sit habenda fides.

Tauro.

TAure, aurum digito geris, ac si Nobilis esses;
Vngula personæ conuenit atra tuæ.

DE CARNIFICE, PRÆceptorem suum Epperießini cædente ferulis. ad amicum.

SI quoq; te capiunt noua (vt helluo quisq; nouorum
Audi; dulce tibi commemorabo recens. (est)
Nuper in vrbe isthac quænam spectacula vidi?
Deiero, res oculis est ea visa meis.
Ecce domum ludô solito mihi nuper eunti
Carnifices veniunt obuiam in vrbe duo.
Ad portam propero pede transiliebat vterq;

Omni=

Omnibus innumerò plebe ſequente locis
Alter pube tenus nullo velamine cinctus,
Deinde manũs ambas terga reuinctus erat.
Alter ei ſcuticâ tergus pulſabat & armos,
Sanguineo humectans triſtè liquore cutem.
Ponè ſequebatur catulus, latratibus atq;
Ludebat ſaltu gratulabundus hero.
Reſpicit ille frequens: quid furcifer, inquit, an hæc
Præmia doctrinæ, peßime latro, meæ? (ſunt
Scis captare caneis: ſcis guttura cannabe furum
Frangere: ſcis humeris diuidere enſe caput.
Me doctore ſcias, quòd talia, peßime, neſcis:
Cæde, vt carnifici mox cruciere manu.
Ille refert: immò dic, quænam gratia maior
Pro meritis reddi poßit abundè tuis?
Hem tibi concilio populos tot, vt æra capeſſas,
Præceptor gratis: gratia magna mea eſt.
Curre citò, has & primitias iam conſule recti
Atq; boni, grati præmia diſcipuli.

VENERABILI ET DOctißimo Optimoq; Viro D. IOANNI FABRICIO, Epper.

AVdiſtinè vlulare canes hac nocte frequenteis
Horrida latratu bella mouere ſuo?
Ter malè ſurrexi plateas ingreſſus, apertâ
Cernere num portâ Turcus in vrbe foret.
Hora ſed exhibuit malè trux Cacodæmone ſpectrum,

Visa est in medio fœmina stare foro.
O Fabrici, Fabrici! *dirum hoc interpretor omen;*
Personam Martis Mortis & ora pauent.

DE ECCLIPSI SOLARI *ad* MAG. ET GENEROSISSIMUM DOMINUM D. MICHAELEM KATAI, &c.

CVr rursum adspicio pullis Phaëtonta quadrigis?
Cur Sol exstinctâ lampade fuscat humum.
Fallor? an extremos sic circum operosa laboreis
Fracta iacent, nequeant vt superare magis.
Omnia languescunt: sunt omnia segnia; tandem
Exoptant requiem cuncta creata suam.
Nonné hæc illius sunt nuntia signa diei,
Quâ cœli atq; soli machina tota ruet.
Totius hoc poscit casuri ætatula mundi;
His desideriis nocte dieq; gemunt:
Christe veni, censoria lux te sistat ad vrnam.
Iudice te, capiat præmia quisq; sua.
Interea luces & mundi lumina serues,
Hungaricas *stellas* Kataidumq; *domum.*

De Tauro.

TAurus, vbiq; boat, me non satis esse peritum
Carminis; hoc sed ego vel cane curo minus.

Tam

Tam brutum pecus est, bos septimus ille, poëtam
Vt credat nullum, tristè nisi ipse boet.

Prud. & Integer. V.
D. IOANNI HVTTERO,
C. Epper.

A pueris cecini versûs feciq; ; momordit
Sed nemo nostras hactenus ore pedeis.
Gratulor Inuidiæ quòd nunc obnoxia scribam
Carmina : Liuori nolo placere meo.
Care Huttere, mihi cur istud verminet aureis ?
Parua capit Momus carpere magna solet.

Viro & Pictori opt.
LVDOVICO AMORO.

CVr ego Germanus, patrio procul orbe relicto,
Hac tellure traham, quæris, Amore, moram ?
Plus patriâ doctis fauet extera terra poëtis,
Hinc peregrina etiam me capit ora magis.

DE TAVRO.

EXanimatus homo est Taurus. nam tergore vix
A paruo nuper pulice morsus obit. (non
Bruchus ei glans est, quam trux bombarda gubernat :
Fortem & Philosophum se tamen esse boat.

AD

D. MICHAELEM WIRT,

Coſſ. & Not. Epperies.

V. prudentiß. & conſultiß.

SCisnè eſt? Benniadeis, Wirthi, properabis ad (oras,
Quà tua lætatur muſtea tota domus.
I: grauis Orion non ſit, nec nupta procellis
Suſcitet irriguos Pleias axe dies.
Neu procul amoto Phœbo glomerabile frigus
Per cœli tenueis fingat inane niues.
Carpe viam lætus, Bromio duce, prela racemis
Ebria calcatis muſta diurna fluant.
Vaſa refer millena domum, quæ plena falernis
Te iubeant cellas quærere in vrbe nouas.

Liberalitas erga litteratos

diſperiit.

ARs fuit in pretio claris & vatibus olim
A magnis magnæ ſæpè dabantur opes.
Aſt hodie in doctos virtus exaruit illa,
Præmia quæ meritis reddere larga ſolet.
Nil mirum, toto Mars impius orbe gubernat,
In Cygnos Aquilæ præmia dura gerunt.

AD TAVRVM.

ET caligas nouus es; veſtitus & omnia pulcrè
Membra; deeſt criſtis res tamen vna tuis.
Cœrula pileolo duo cornua protinus adde;
Sic aſinus fies, qui mihi Taurus eras.

Tauro.

TAure, quid obſcurè blateras mihi carmina ſcribi,
Immò meos verſûs lucis habere nihil.
Nempe tibi quòd opuſcula ſint obſcura Bocatl,
Ipſe videt Phœbi ridet & ipſe rogus.

Ad Famulum.

I puer; inflamma ſexcentas igne lucernas;
Bocatij Taurus ſcripta videre cupit.

Verſus quales accepti.

SCribe iocos, riſûs! nebuloneis aſſere metris;
Laurigeri Vatis nomine dignus eris.
Carmina, lectori quæ non ſunt grata; Mineruam
Vt ſapiant, vulgo nil niſi crimen habent.

PHILIPPO DE LACVRT.

Vbi cum eo inſcius de Ciconiâ comediſſem.

EStnè ita, truncato mihi frixa Ciconia riſtro,
Sicut ais, tecum cœna, Philippe, fuit?
Seria ſi vox eſt, non nauſeo: ſuauiùs eſtur
Quod gratum: hæc olim grata volucris erat.
Sed quia: tam gratam quid poßim reddere ob eſcam,
Tu me iure rogas, accipe: gratus ero.

TAVRO.

QVòd mea maturè nimis edam carmina vates,
Arguis, & velles lentiùs ire pedeis.

Te tardum fas ire bouem; generosa volantis
Ocyùs egregij crura mouentur equi.

DICTVM D. AVGVSTINI:

Melius est toto die fodere, quàm saltare die Sabbathi.

SAbbatha dum Salij malè puluerulenta choreis
Et faciunt stygio dulcia sacra Deo:
Nonnè ligone solum si scindas, Numina gaudent
Plus? lassa totos ergò labore dies.

Cur Ebrij saltare soleant.

FOrtè rogas, ducat cur ebria turba choreas,
Atq; rotet pedibus, ceu furibunda, solum?
Dux caput est hominis: caput omnia membra sequun-
Vortice quùm gyrus nascitur antè suo. (tur,
Contortos stomachi facit exhalatio ventos,
Scilicet hoc Boreas asper ab axe venit.

Ex Cicerone.

NEmo virûm saltare solet, cui sobria mens est;
Ducit at insanos ebria turba choros.
Cur mihi vir sapiens, caprarum more, vocetur,
Exsiliens, quando sicca vel ora gerit?
Immò haud in tenebris fas est agitare choreas,
Aut tibi conuiuam vir benè salsus agit.

Odium

Odium & amor vini.

ODi, & amo vinum: faciam cur ista, requiris?
Pestis & haud fallax est medicina merum.
Vt medicina merum, non pestis noxia fiat,
Naturæ quantum sufficit ergò bibe.

De pluuia Medardi die decidente.

LVce, Medarde, tibi sacrâ si decidat vnda,
Vulgus ait lacrumas continuare Iouem.
Neu quater inde decem siccam esse solere diebus
Tellurem, & pluuias semper habere suas.
Ecce ferè totidem nunc decidit vnda diebus:
Non semper nugas vanaq; vulgus ait.
Causa patet, madidis si passim vina tabernis
Non pluerent, lux heic multa serena foret.

Ad conuiuas suos.

SI quando positis celebro conuiuia mensis,
Me coqua ridiculum vespere, manè facit.
Nil holeri incoctam dat de boue simplice massam
Præter, & in stomacho quæ diuturna iacent.
Lar nec odoriferos famat fragantior Indos:
Pro crebrâ patinâ pagina crebra datur.
Ergò manu plenâ quòd non dat, vapulat hospes,
Euclio vel dici sordibus ipse meret.
Quæso, parum vos heic dulceis teneatis amici:
Socraticos æqui consulitote cibos.

Sum quia mortalis, non me capit esca Deorum:
Cum Cerere & Baccho lis inimica mihi est.

Plenus venter Non orat libenter.

QVis locus est precibus, verbisq; decēter in aures
Vt penetrent, superâ qui sedet arce, Dei?
Cùm sumpta immodicè sepelit grauis esca cerebrum,
Esca hebetat sensûs cordaq; pigra facit.
Poscit enim benè ieiunas oratio mentes:
Est miser inuito qui rogat ore Deum.

Tollite fragmenta.

SI quantum ventri satis est potùsq; cibiq;
Sumsisti, cophinis cætera conde tuis.
Sæpè etenim nos turba sumus magis indiga rerum:
Vt sol idem, eadem sic redit vsq; fames.
Relliquias alios debent superantia frusta
Pascere: sic nostram scis quoq; velle fidem.
Partem Ecclesiolæ sibi vendicat Irus & artes
Ingenuas, vitam qui benè pascit, habet.
Vidi ego, manè auidâ qui perderet omnia fauce,
Vespere ieiuno ventre rogaret opem.

Opt. & Integ. V. D. IOANNI VIGANDO, Pharm. Cassouieñ.

CVm semel occineret de more Ecclesia prisco,
Vocibus in sanctâ talibus vsa domo:

Da pa-

Da pacem Domine, in nostris, Deus alme, diebus:
Quidam fortè sacrâ miles in æde stetit.
Quid facitis? clamat: bella horrida bella rogate,
Non de lucrando hæc cantio pane mihi est.
Sic ego dum reuoco madido à certamine natos
Portare arma vdæ strenua militiæ:
Vnde ferunt Medici spolia, & marsupia complent,
Iratus quoq; fòrs quis mihi Phœbus erit.
Nil metuo mihi, credè Vigande: en proficit illa
Quantum, versiculis tantum ego nempè meis.
Quò magis optatur prece pax, hoc plus tamen vsq;
Impius in toto Mars furit ipse solo.
Vtraq; cessabunt ad Græcas bella calendas,
Aut annus magni quando Platonis erit.
Ast ego mâlo tamen campo, quàm occumbere cellâ,
Illa necat corpus militia, hæc animam.

Egr. & cordato V.
D. CASPARI DŬR,
Fileciensi Prouisori.

ARidi habes nomen, non quòd tam pocula sicca,
Sed quia coniugio siccus es vsq; tuo.
Pocula siccando modicè plue Iuppiter imbrem
In Danaës tandem largiter arua tuæ.
At ne me similis quoq; culpa redarguat, agrum
Noueris vtiliter meq; rigasse meum.

VIeiunia Monachorum.

VOs pecus ignauum, nati sine pectore ventres,

Quos

Quos pro legitima veste cucullus habet.
Quùm trahitis deuota Deo ieiunia: cur tum
Quæ pascuntur aquis non nocet esse cibos?
Ostrea cum conchis, cum Rhombis carpio, trutæ,
Anguillæ, mullus, gobio, perca, lupus.
Hæc deuota Deo facerent ieiunia? pauper
Quæ vir pro luxu carperet vsq; suo?
O Asini in paleis, queis Bacchanalia semper,
Tam vulgò Curios vt simulare queant.

PODAGRA.

MAgnates thalamis vexat leuiore calentes
Plumâ & nobilibus nata Podagra cibis.
Quem iuuat ergò Ceres, Venus, Anser plurimus ille
Nodosus fieri nobiliorq; cupit.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

SI rutam, buxum & comedas cum vitice bulbum,
Te Veneri corpus posse negare, ferunt.
Cypridos vt reprimas furias, magè fercula vitæ
Lauta, nec immodicè sumere disce merum.
Plus aptum est rutâ, buxo, & cum vitice bulbo,
Et Cereri & Baccho ventre litasse parum.

Sitio.

TVnè sitis mi Christe, cruci iam fixe perennis
Qui fons es vitæ, viuidus humor aquæ?
Cuius ope è saxo produxit flumina Moses:

Cuius

Cuius ope ex ſicco Samſon & oſſe bibit.
Cuius ope vnda fuit ſimplex in nobile vmum
Verſa: & cuius ope hæc imbre madeſcit humus.
Cuius ope hoc triplex terrarum opus æſtuat aſper
Pontus, & immenſo pocla dat vſq; ſolo.
Ah mi Chriſte ſitis: ne nos ſitiamus, vt alter
Tantalus: ô vitæ te ſitiamus aquas.

Agnus Dei.

TOtius, Agne Dei, mundi qui crimina portas
Tergore: qui næuos ſupprimis, Agne, meos.
Agne, ſalutiferas qui nobis corporis eſcas
Sufficis, ô animæ nobilis eſca meæ!
Agne, decus ſuperûm! ſpes terræ: & ſumma voluptas
Cœlicolûm! heu grates quis tibi dignus aget?
Agne ô Agne! capras tot habent hæc ſecula ſœdas,
Rara ſit vt campo plantula nata tuo.
Agne ô Agne! olidos tellus iam parturit hircos;
Nil eſt, quàm toto fœtor in orbe grauis.
Agne ô Agne! olim viciſti nonnê Draconem?
Vince olidos hircos, ô bone, vince capras.

Cœna Domini.

QVid prodeſt, dubias ob amicos ducere cœnas,
Nox donec piceis cæca vehatur equis?
Ambroſiâ miſcere epulas, & nectare vina
Tingere, & his longas conciliare moras?
Mox egeſta vices per certas ilia poſcunt
Ollas: ex cœnâ cœnula nulla manet.

Heic

Heîc opus est reparare dapeis, ventremq; latrantem
Induciis iterum pacificare nouis.
Quin potiùs Domini sacrosanctâ vescere Cœnâ:
Durat in æternos illa comesta cibos.

Cauete ne corda vestra grauentur cibo & potu.

QVùm fugias, nocitura tuo quæ corpore censes?
Cur oneras animam duplice peste tuam?
Dia cibos sedes modicè, cor nobile poscit:
Tu, de more lupi bestia auara voras.
Flamma sitis si vite foret, vel fonte leuanda,
Tu superas vaccam sorbitione tuam.
Heu fuge pestiferas animæ fuge pectore noxas,
Vt prece ieiuna poscere fata queas.

Esuriui & non dedistis mihi cibum.

HEu quoties stomacho petij latrante pusillum
De Cerere inducias, quales sicca ilia poscant.
Ostia pulsaui, surda ostia nempè, domatim
Ante fores (ah) sæpè tulit constantia fustes.
Sæpè etiam me præcipitem deiecit ab ostio
Impius: ô semper bruto Euclio corde! tenaceis
Vt poteras cohibere manus? & linquere inaneis
Iri sarcinulas? sanè iam vescere solus.
Infameis carpe ore cibos: Examen ad horum
Te seruat fatale poli mensura, vt alumnus
Ad satanæ mensas vescaris pice atrâ: & vt olim

Cras

Cras dabo, dicebas: Et cras nunquam fuit illud;
Si cras æternum tibi cœli cella susurret,
Vel si sanguineas plorent Ieiunia guttas.
Tu quoq; sed frustrà, tam poma fugacia captes,
Vt Pelopis pater esuriens præsentia quærit.

Sitiui & non dedistis mihi potum.

QVando etiam sicca ora sitis vexabat amara,
Intus erat rogus ascendens & guttura adußit.
Faux præclusa viam vix ac vix edere vocem
Indulsit, fluidoq; austranda liquore fuissent.
Vsq; stetit flexo vacua amphora poplite, & vndas
Nunquam interdicti sic hausit flumine Nili.
Iam volo, nec tranquillet aquis cœlestis anhelum
Guttura fons: neu gutta tuos descendat in ignes.
Metior heîc aquâ sic lance, pariq; referri
Par Astræa iubet: sed aquas, aut Tantalus alter
Postus aquis, sitias stygiis & sulphuris vndas.

Ieiunium Christi.

CHriste, quid est, bis viginti noctesq; diesq;
Quòd placuit rigidam sustinuisse famem?
Nonne, Deus cùm sis, poterant Cererem ossa parentis
Hæc dare communis ventre latrante cibos?
Ah amor, ah bonitas! tantos gula nostra labores
Tanta tibi fecit tædia nostra gula.
Mi Deus, ô mi Christe! meo si gutture læsi
Te quondam, veniam da bone Christe, rogo.

Pomum ab Eua decerptum.

HEu dubitamus adhuc discernere iussa Tonantis:
Hem gula causa necis perniciosa fuit.
Vnius ob Pomi gustamen ab arbore fracti
Prima reos fecit seq; suosq; parens.
Nos quòd eremus habet fera monstris: fecit id Eua:
Quod genus abiectum, fecit id Eua, sumus.
Quòd tribulos lappasq; solum fert, fecit id Eua:
Quòd mala tot miseros, fecit id Eua premunt.
Quòd satan imperio nos torquet: fecit id Eua:
Nostra quòd est sterilis, fecit id Eua, fides.
Quòd mens & corpus trepidant sacra: fecit id Eua:
Quòd nil quàm sordes, fecit id Eua, sumus.
Quòd vitium, quòd tetra placent magè, fecit id Eua:
Quòd cor habemus imers, fecit id Eua, sumus
Quòd sitis, aura fames nos perdunt, fecit id Eua;
Quòd faciunt hæc nos, fecit id Eua, reos.
Quòd non cerninus ora Dei, proh, fecit id Eua;
Quòd stygios bibimus, fecit id Eua, lacus.
Heu dubitamus adhuc discernere iura Tonantis,
Hem gula (proh) tantùm perniciosa malum.

Mecœnati.

ISte tuus, saluum qui me portauit in vrbem,
Opto, diu saluum te quoq; portet herum.
Officium agnosco, Mecœnas. sæcla supersis,
Tempus erit, grateis experiare meas.
Ast si sessor ero donati, laude perennem
Te meus alta super Pegasus astra feret.

Gen. & Egr. V.
D. STEPHA. ORMANDI,
Compatri suo.

RIsi, cùm nuper coniux tua diceret, esse
Ascanium vestrum, vir generose, malum.
Nil nocet. improbitas infans melioris alumna
Est Genij, & bonitas inde futura patet.
In pullis simile est id equorum: quippe caballus
Optimus ille vir est, qui puer antè malus.
Nos natura malos omneis produxit; at arte
Reddimur ingenuâ, si qua magistra, boni.

PROVINCIA SCHOLASTICA.
AD
Ornatiss. piet. virt. & erud.
DAVIDEM GVTTGESEL F.

PRisca viros quondam, pistrino & carcere dignos
Sueuerat ad Gyaras mittere Roma breueis.
Iam miseræ Aonides, innoxia, criminis expers
Plebs breuibus Gyaris cogitur esse nocens.
Quæris vbi Gyari? quà puluerulenta scholarum
Agmina Rectori sunt onerosa suo.
Ah! loquar expertus: pistrino & carcere longè
Duriùs est, miseris sceptra tenere scholis.
Tam peruersa hodie, tam natio praua Magistris
Creditur, artifici more regenda bonis.
Hei! quoties, præstat, lacrumis queror, esse subulcum,
Quàm pueros adeò iam docuisse malos.

Nec tamen hoc primum est; quùm feceris omnia seruî
More, datur libris gratia nulla tuis.
Nil capit ingenium? tua culpa est. verbere poscis?
Carnificeis, pudor est, doctum habuisse manûs.
Asperitas odium parit, indulgentia crimen:
Hoc pretium nostri cura laboris habet.
Cur igitur bone cur socie, ô Guttgesellia proles,
Hoc in pistrinum promptior ire velis?
Si quicquam experto, ceu par est, credis amico:
Res tibi cum Gyaris carcer & acer erit.
Prædico. sed non remoror. quà postulat alti
Rector, eò cunctos promptiùs ire decet.
Antè regebat oueis dux legifer. Ito: proberis
Principio in paruis; maior vt esse queas.
Illa tuas quondam sese vox sparget in aureis:
Euge serue bone, & serue fidelis ades.
Parua tibi vtiliter sunt credita; magna capesse:
Traditur imperio maxima Sparta tuo.

Mores NOSTRI SECVLI.

ELEGIA ad REVERENDVM ET DOctissimum Virum, Dom. FRANCISCVM VEDANIVM, Hung. Eccl. Cassouiæ Episcopum digniß. & vigilantiß.

Vedani,

VEdani, præstans os Christi, clare Sacerdos,
De mundo immundo pauca, sed apta, querar.
Ah! quid iam terra est? stabulum & sentina malorum.
Hei! quâ nunc Pietas, quâ regione Fides?
Quænam vrbs, arx, pagus; quænam Respublica, qui=
Angulus in mundo curat amatq; Deum? (nam
Mentior. immò Deum quis non benè curat amatq;?
Si modò sic arcæ consulat antè suæ.
Commoda sunt: quæuis gens relligiosa: facessunt:
Rursùm ea sacra placent, quæ magis æra ferunt.
Dat Calumus opes: turba est Calvina. Lutherus:
Esse Lutheranum se citò quisq; probat.
Dat reditûs: iam Pontificis vel stercora linget:
Pronus adorabit, quas dat Auernus, opes:
Hinc Monachus, miles, mercator, stellio, nequam:
Hinc est sedulitas, hinc ruit omnis amor.
Interea fas omne tacet; qua maxima vis est,
Maximus heîc iuris, maximus artis honos.
Desita vbiq; iacet virtus; pro crimine quiuis
Certat, & in toto quæritur orbe scelus.
Curat nemo probos; amplißima munera prauis
Dantur: honestatem præmia nulla manent.
Suspiciuntur opes tantùm, & miracula nummi
Sunt, & in argento gloria cuiq; suo est.
Diues es, & nebulo quamuis; vir optimus audis:
Pauper, at ipse Cato: peßimus orbe latro.
Candor vbi? periit. mos, os mentitur amorem;
Cor odium celat: pectora fraude scatent.
Quis nunc Eurialus? quis Achates? Thesea præstat

Omnis, vbi dulce est, mox, vbi triste, fugit.
Sed quid inexpleto cano talia carmina, quùm nil
Proficiam? querulos do sine fruge sonos.
Cur scelus ad sceleris simul haud nigro ipse caterua?
Cumq; meis nolo cur vlulare lupis?
Morem imitari hominum fas est, dum viuitur inter
Vita homineis; Troiæ Tros ero: Troês ibi.
Vult ita commoditas mea; vult ita dulce lucellum:
Scilicet hâc vnâ quod sumus arte sumus.
Paupertas odium sequitur; quod amabile, ditat:
Arruit hic multis absq; labore fauor.
Ara vale modicè: iuueni licet esse scelesto:
Decrepitos phanis condecet esse seneis.
Impius haud moriar tamen; index funeris ætas.
Quando onerant morbi, grandior esse solet.
Tunc ego plorabo commissa piacula: Christus
Molliter ad sese crimina cuncta vocat.
Maior peccatis est cœlica gratia nostris:
Indulget veniam, si resipisco, Deus.
Docte, per humanos satis explorate laboreis,
Quid me, Vedani, tu tamen antè doces?
An tecum facere? an me in mores vertere sæcli
Huius aues? rebus consule, quæso, meis.

V. Nobil. & Doctiss.
D. IOANNI ZALWEIN,
Sacr. Cæs. in Camerâ Nouosol. &c.

QVi secreta tenes, Zalweini, Cæsaris intra
Me secreta tuæ mittis amicitiæ.

Ianua mi Francus, clauisq; Peregius; ipsa
In Cameram hanc virtus me tua nota rapit.
Optime vir! nostras ne fòrs prodamus Amyclas,
Pastomis est ori dura parata meo.

REVER. ET DOCTISS. V.

Theologo disertißimo

D. M. PAVLO HALVEPAPPIO,

Episcopo Nouosol.

O Haluepappi, *splendor Apostolûm!*
Argenteos quæ Cæsar & aureos
Haurit Rudolphus porrò riuos
Oppida monte vbi plurima Hunnus
Subterfodit; vir mystice! scitior
Quòd sis futuri, Numinis entheâ
Vi percitus; sensu trienni
Voluo reuoluo. meres vocarè
Et tu propheta, interpretum adorea.
Ah verius vero heîc quoniam accidit
Scripto explicatum sidus illud
Insoltâ quod ab axis æthrâ
Tot praua deuoluit penetißimè.
Vt vix boni sperare quid audeam,
Quà Pannonis terras oberrat
Has malè Tartarus (heu) Tyranno
Cum Thrace. regno huic abstulit Agriam,
Ah! vnicam arcem; ah! vnicum asylulon.
Iam, ceu lupus transcensi ouilis
Compos, vbiq; vorat bidentes.

His lucibus trux contigit alitæ
Oras equo Cassouia pauculum
Quà militem seruat, nec ausa est
Eripere illius ore captos.
O fallar! actum scilicet omnibus
Iam Marte de nobis minus anxio.
O Haluepappi, quin precamur
Nos Domini manus ipsa tollat.

IOAN-

M. IOANNIS BOCATII, Poëtæ L. Cæsarei.

LIBER HVNGARIDOS QVINTVS,

SEPVLCRALIA *complexus.*

LECTOR BENEVOLE,

EN habes, quæ de maxima parte rogatus feci. Sed & iuxta sint hæc monumenta nostra

Tendimus huc omnes.

Et tu mecum. Conuoca Cræsos, Iros: illi in purpura; hi repant in cannabe; heîc desinent. Veni curuus; veni rectus; *hæc est domus vltima*, in quã tu seriùs, tu citiùs traheris. *Hodie mihi, cras tibi.* quare

MEMENTO MORI.

Certiùs est quàm mors, quàm mors incertiùs est nil. Nec metue. rectè quispiam: *Vt viuamus viuere desinimus.* Idné times, quod à timore liberat? Sapiens es: quid falcem illam horres? Cupressus insigne Leti; quid tum? Laurus erit, marcida nunquam. Age matura. Vides qui, quanti, iaceant! Maneis & virtutem illorum cum accentu

funesto vespillones hi mei sepulcris excipiunt; ego nænias addo. Solor solis alumnos, denatos vt homines fuisse sciant: magnus hoc æui faciat Imperator, quo iubente viuimus, morimur: Aggemant, suadeo; nec tamen luctûs perpetuent. Solum hoc ἀφυκτὸν κακὸν, si κακὸν, & non potius κακῶν terminus.

Senex iacet: meritò. Iuuenis:

Dilectus Diis in iuuentute moritur,

vt Menandro videtur. Porrò quia statim à morte plurimorum euanescit memoria, &

θανόντος ἀνδρὸς, πᾶς ὄλυτ' ἀνθρώπων χάρις.

(Defuncto quopiam omnis hominũ gratia perit) vitâ functos beneficiis prosequor, memor Chiloniani verbi:

Defunctum non maledictis afficias, sed beatũ prædices.

Addo simul, quæ circa Valetudinem; quam tibi tuisqué, mihi meisqué voueo lætam, latam. Ergò perge perge; non te pœnitebit

LECTOR BENEVOLE.

Sed tu, Liuor edax, odio licet ilia rumpas;
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

In

IN OBITVM

NOBILIS ET EGREGII VIRI, DOMINI IOANNIS SELDNERI, CIVIS primarij Epperiani. M. D. XCIII.

MOrs aucepsq; feri communia iura tuentur,
Et subit alternas ille, vel illa vices.
Rete stat innocuis; at ineuitabile serò
Sontibus, & canos iam benè condit humus.
Sæpè tulit positâ viscatas arbore virgas
Daulias Ismarium dum gemit ales Ityn.
Præmia cùm dulcis cantat modulamunis escas
Implicitos volucris fert galeata pedes.
Rètia non vpupas onerant, picasúe loquaceis,
Trux lacerat tutas vultur adunous aues.
Sæpè suos coruus mutat per secula nidos,
Et numerat cornix garrula sæpè nouem.
Ille quod est auibus, nobis hoc improba Mors est:
Quæ capienda fuit, quæ fugienda capit.
Atra dies hominum quæuis rapit optima primò,
Inq; bonos citiùs Parca scelesta furit.
Cæca tamen stygias quos mittere posset ad vndas,
Hic tot Palpones, tot Corydonas habet.
Mœnibus, hoc mecum, lugens vrbs cincta duobus,
Hungara, cui nomen fraga dedêre, dolet.
Ibo per exemplum: nuper laniata capillos
Squalida luctifico tota dolore fuit.

Sexta dies aderat Iulij post Cæsaris ortus,
Tunc vbi sol flauas Martis adurit opes:
Ludere nec solitâ vidi testudine Phœbum,
Veste nec ornatas versicolore Deas.
Omnia noctis erant: niger ipse præibat Apollo
Veste nouem comptas nigricolore Deas.
Heu mihi quot gemitus, quot ego suspiria vidi?
Vox eadem lacrymis & dolor vnus erat.
Ah rapuêre virum Parcæ, quo scilicet vno
Secula nemo magis viuere dignus erat.
Nempè iacet, iacet, ecce, iacet Seldnerus in vrnâ,
Seldnerus patriæ flosq; decusq; suæ.
Ornatus, pollens, sanctus, mansuetus, abundans,
Moribus, auxilio, Numine, corde, bonis,
Præluxit, iuuit, subiit, vicit, saturauit,
Omnibus, oppressos, templa, inimicum, inopes.
Cui pietas fuit alma comes: cui regula vitæ
Iuncta salutiferâ cum probitate fides.
Vidimus hortator cùm verba precantia fudit,
Seu fuit ante epulas, siue remota fames.
Sicq; suis: rerum iam pars operosa mearum,
Cùm tibi commissas res agis, adde preces.
Ardua dulcescunt quæuis orando frequenter,
Et vix sentitur sub pietate labor.
Aemula res vulgus mores à Iudice sumunt,
Et velut è speculo fasq; nefasq; vident.
Quem genuit viridi natum melioribus æuo
Imbuit, & Musis noluit esse rudem.
Qui, quòd amat doctas agnouit & ipse Camœnas,

Virtu-

Virtutesq; bonas, à Genitore venit.
Non exempla suis desunt conformia vitæ
Patris, erit natus quod fuit ipse Pater.
Sobrius auroram vidit, Solemq; cadentem,
Grande nefas solitus dicere sæpè gulam.
Non erat, vt multi, congesto pauper in auro,
Diuitiasq; suas noluit esse suas.
Aera, cibos, ouium lanas & tergora, largus
Contulit in miseros qui stipis æra petunt.
Quid iuuat hæc pietas? quid sobria vita? quid ingens
In miseros largi more parentis amor?
Nempè iaces, Seldnere, iaces prostratus in vrnâ:
Nempè iaces patriæ flosq; decusq; tuæ.
At quoniam Fato iam primos tendis ad ortus,
Et cinis in cinerem mox solüendus abis?
Ito, senex, animam non ægrè reddere Christo,
Quod facis, & viuus sæpè precatus eras.
Quem dederas vitæ cursum, iam, Christe, peregi:
Hanc, precor, hanc animam suscipe Christe meam.
Sit mihi dulce mori: nec enim valdè horreo mortem:
Est mea namq; tuâ morte redemta salus.
Lucra mihi, non damna feret Mors: Mortis imago
Sum: volo, cùm Mortis me volet hora, mori.
Vota Deum tetigêre: tuos Mors clausit ocellos:
En ad humum vetereis isq; redisq; vias.
I: tuo sub tumulo feliciter ossa quiescant:
Spiritus Elysiâ valle beatus ouat.
Nos dabimus busto violas, & serta quotannis,
Albaq; candidulis lilia iuncta rosis.

Namq;

Namq; prius tellus hæc nesciat Hungara montes,
Et iuga muneribus consita, Bacche, tuis.
Quàm sit Seldneri quoq; fama sepulta Ioannis,
Nec sint virtuti præmia certa suæ.
Sic populus Musæq; nouem cum præside Phœbo,
Magne vir, interitu congemuêre tuo.
Ast hæc me lacrumans citò condere ductor Apollo
Iußit, & hos elegos ad tua saxa dedit.

EPITAPHIVM.

SEldneri recubant heic ossa sepulta Ioannis,
Qui quodcunq; fuit cum pietate fuit.
Cultor, Rex, Miles, coluit, rexit, superauit,
Christum, animum, satanam, corde, timore, fide.
Cuncta, malum, socios, tulit, horruit, ædificauit:
Vana, Deum, requiem, spreuit, amauit, habe.

Epitaphium
GEN. ET EGREGII DO. IOÁNNIS CAROLI, aliàs GOTSIT, & duorum eiusdem filiorum STEPHANI & FRANCISCI.

ECce sub hoc vno, post vltima fata, sepulcro
Carolidum placidè corpora trina iacent.
Cum genitore duo nati: virtutibus orbem
Hungariæ implerunt; vrna sat vna tribus.
Iane pater; Stephane & Francisce, ô nobile fratrũ
Par; vos olim iterum suscitet alma Trias.

Vltimum

Vltimum vale
VRSVLÆ EDENPHIANÆ,
Mag. & Generosiß. Matronæ, &c.

CVr me defletis pia dulcis pignora lecti,
Hâc ego quòd genetrix Vrsula condor humo?
Fructus ero! nam me cum semine semen Aprilis
Dum recipit, meßis tempore fructus ero.
Heîc generosa quidem coniux de coniuge fœtûs
Bis quater ipsa dedi, bis quater ipsa tuli.
Triginta & bis sex quùm viderim in ordine messeis,
Non potui messem, Christe, videre tuam.
Bis triginta, ast sex sine, meßibus vsa, sepulcro
Sùm semen meßi iam quoq; Christe, tuæ. (lis
Christe etiã hæc aperi monumenta vbi summus Apri-
Venerit, vt granum sim quoq; Christe, tuum.

Epicedion
GENER. ET EGREGIO
Nobilißimoq; Domino,
ALBERTO SOOS.

DVlce quidem decus est, proauito semine cretum
Esse; at auos maior laus decorasse suos.
Id Soos Albertus. sex vxor sœta Simone
Miczban; quà Bela rex; dat semel vna mareis.
Vltimus hinc Stephanus, tandem hinc Albertus; at
Ob patriam pius & fortis vterq; iacet. (armis

AD

AD

MAXIMILIANVM FABINI

Collegam meum.

ERgò non ſat erat iacere ſolum,
Te, Maxæmiliane & meq; iuxta
Is ſors lauticiis ſimul beauit,
Vt nollem licet, otium diebus
His lecto traherem canis moleſti.
Hoc eſt ſcilicet aureum piorum
Sæclum: hæc commoda Chriſtianitatis.
Hæ ſunt diuitiæ bonorum, & hæ ſunt
Noſtræ delitiæ. Dei propinat
Ex ſcypho ſuboles ſuo beatè
Heic qui viuere geſtiunt: bibendum eſt
Nectar tale: ſed ebibant priuſquam,
Vt ringuntur & ore, nare, contra
Vt certant: caro debilis repugnat,
Quùm ſe ſpiritus offerat paratum.
Et ne quid taceam miſer, fatebor,
Cum Petro reor: ibo vel moriri.
Sed cùm Mors oculos meos ſtat ante,
Mox Chriſtum abnego: mox prius retracto.
Mox turpem palinodiam recanto.
Tu quicì ſis animatus his in arctis,
Fòrs ignoro, Fabine: ſed rogemus,
Vt poſthac Dominus ſalutis & fons
Omnis proſperitatis æſtuanteis
A nobis abigat febres ad Indos.

Audi

Audi vota Deus: tamen voluntas
Quod censet tua id optimum arbitramur.
Pars modò tibi destinata simus.
Sed tu, quà potes, inualens, Fabíne,
Ne sis; fac valeas probè deinceps.
Quamuis à Ioue sint, Homerus olim
Vt vates cecinit, malum omne Hygeiæ,
Morborum variè graues labores.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ

Filiis GEORGII RAGACENI,

Concio. Scl. Epper.

ASpice, qui transis, Ragaceni busta Georgi,
Hâc qui conspicuus pastor in æde docet.
Ista parens caræ viuus monumenta parenti
Et natis septem dedicat ipse suis.
Quinq; mareis, binas formâ præstante puellas
Hâc mœstus sacrâ contumulauit humo.
Alme parens rerum, mœstum solare parentem,
Fac videat rursus teq; tuosq; Polo.

AD

V. PRV. ET CIRCVMSP. D. ANTONIVM SCHOLCIVM,

Coss. Epper. de suæ Coniugis obitu.

O Felix, quicunq; dati peruenit ad æui (dit.
Terminum, & hoc misero tempore morte ca-

Non is imhumanos rursum pauet anxius hosteis;
Non qui mißilibus bella cruenta gerunt.
Ah vereor; victis Geta trux dominabitur Hunnis:
Ah nos seruitio, peßime Turca, premes.
Nec Diis nunc æquis, nec viribus arma mouemus,
Heus sors hæc Thracas sentiet ægra manus.
O coniux igitur felix carißima, Scholci,
O felix coninx est tua facta nimis!
Ecce iacet placidè tantis erepta periclis;
O felix coniux est tua facta nimis!
Hanc illi non inuideas, mœstißima, sortem,
Quàm sibi vir prudens quisq; vouere queat.
Tempus erit, tantis etiam eripiendæ periclis
Coniuge cum coniux tu quoq; rursus ages.
Tu tamen hoc serus, fatis melioribus, æuum
Desere, & in superas Nestor abito domos.
Hoc velit oratrix, nostræ spes vnica vitæ,
Ipsa Dei suboles, quæ regit omne, precor.

In vexillo
GENER. ET EGREGII D.
ANDREAE PACOLT,
sepulchrali.

HOc fuit Andreæ generosum insigne Pacolti,
Hâc iam defunctus qui requiescit humo.
AEger is in patriam dux venit ab arce Fileci,
Vir pius, atq; domi militiæq; grauis.
Treis Mariæ liquit natos post fata Balassæ,
Vnus denato vix patre natus erat.

Epi-

Epitaphium
FILIIS DVOBVS DOMINI STEPHANI GOLOPI,
C. Caſſ. V. *optimi.*

VRſula *cum* Stephano Golopi *poſuêre parentes,*
Filiolis binis hæc monumenta ſuis.
Hic Stephani *aureolum ſortitus nomen in æde*
Saluificâ; ex iſtâ luce triennis obit.
Ille Ioannis *habens nomen vix tranſiit annum;*
Felix, qui Martis tempore Morte cadit.

IN
Vexillo funereo
GENEROSI ET EGREGII
Fortißimiq; Viri,
D. IOANNIS MONAKI, *&c.*

HEic Monaki *herois requieſcunt oſſa* Ioannis,
Belliger & Præſes Fillacienſis erat.
Quem Turcus nequiit vel vincere Tartarus; illum
Sola truci potuit ſternere Parca manu.
Is coniux genuit treis trina coniuge natos,
Quos iterum vt videat, faxit amica Trias.

REVERENDO, DOCTISS.
& cordatißimo Theol. & opt. Viro,
D. IOANNI FABRICIO,
Epperieß. &c.

Tvq; iaces, qui me visebas, Iane, iacentem?
Teq; valetudo vexat amica minus?
Aspera sic hodie mihi, cras tibi, iussa Tonantis
Expedienda, licet te meruisse negem.
Quid faceres? quodcunq; iubet Rex ille, ferendum est,
Et scis, quâ miseri conditione sumus.
Cum granis paleæ veluti nascuntur in agris;
Alba caret spinis vt rosa nulla suis:
Sic mala se nostris immiscent plurima cunis,
Et remanent, donec rursum ineamus humum.
Fer placidè, quæcunq; nequis mutare; peribunt,
Vt nubes, æquâ si mala mente feras.
Qui sis, te nosti! scis, quæ sint scita professis
Christum, & quæ maneat sors super orbe pios.
Tunè frui velles, quo nec tuus ille Redemptor?
Quæ dominus tolerat, seruum ea ferre decet.
Insere te numero gregis illius, orbe magister
Quem suus hoc duram vult superare crucem.
Scilicet hæc nostræ sunt instrumenta salutis;
Crux nobis quantas certa ministrat opeis?
Lætis atq; piis; discordia magna duobus
His est; æqua nimis sors sinit esse probos?
Tu tamen haud dubites, pòst hæc meliora sequentur;
Heîc etiam pietas præmia ferre solet.
Sed persta: decus est & laus, non cedere duris;
Plus animi sacro debet inesse viro.
Nil pia mens trepidat; dubiis patientia rebus
Crescit & in mœstis pascitur alma Fides.
Tempus erit nostri quò cessent semina morbi,

Nullus

Nullus in infirmo corpore nævus erit.
HIS sed ego volucreis quid Athenas mitto Mineruæ?
Quùm teneas vngueis hæc velut ipse tuos.
Vota tamen faciam pro te: pia vota precesq́;
Næ præsens omnis sunt medicina mali.

In Sepulchro EGREGII, NOBILISS. ET *fortißimi* Herois *ac* Domini ALBERTI KIRALY, *&c.*

HAEc loca qui transis, consiste parumper, amice,
Mortua vbi Alberti Kiralidæ *ossa iacent.*
Sex & viginti, Princeps, tibi seruiit annis,
Transyluane, animis, ense fideq́; potens.
Huic sua terga duci Sinan *dedit; hicce* Braillam
Cepit; erat præstans, Agria *clade tuâ.*

In vexillo eiusdem sepulchrali.

STirpe satum ex humili quem vexit ad ardua vir-
Heîc sunt Alberti Kiralidæ *ossa loco.* *(tus,*
Bis denos & sex annos qui seruiit aulæ
Septem castrorum, duxq́; per arma fuit.
Quem Sinan *extimuit venientem, & qui alta* Braillę
Mœnia vicit, atrox & tibi, Turca, fuit.
Captam vbi sunt Agriam *propter fera prælia gesta;*
O quanta Hungariæ *heîc fama salusq; iacet.*

Ægrotanti ob immodicam ingurgitationem.

Corpore vt in sano tibi mens sit sana, quid oras?
Nonné valetudo te penes illa fuit?
I, morbum coram durâ quiritare nouercâ,
Lurconi mater nunquam Hygiia fuit.

Inuido mihi mortem vouenti.

Quid te optare mihi lethũ iuuat inuide? nempè,
Quod sua vota canes, vt moriantur equi.
Me studium pallere facit: te pocula, cypris,
Ambitio; tibi nex, vita mihi illud erit.

Epicedion Mortuo, Ob immodicum Vitæ aquæ vsum.

Disce viator: obit, quem saxum contegit istud
Immodicè vitæ quando bibisset aquas.
Disce viator, obire potes, sic viuere si vis:
Christus habet vitæ, cætera mortis aquas.

In Vitro-phagum Cracouiæ suffocatum.

Sors vbi me vellet medios transire Polonos,
Et dominâ mansi tres ego in vrbe dies.
Sarmata quà vitreas, fuerant quæ pocula testas
Dente fero ipse sibi triste vorauit opus.
Nam misero frustum cum voce in faucibus hæsit,
Et frustrà auxilio cætera turba fuit.

Vix ter dixisses noster Pater, exhalauit,
Pulmonisq; tenax fusile fecit iter.
Vt vidi, ipse ferè perij cœliq; verendum
Extimui, ne nos perderet illa domus.
Iiam contemptor Superi, æde stupenda, ede vitrum:
I nunc, & vetitis vescere, lurco, cibis.

Seni vix ductâ puellâ mortuo.

HOc ego sperabam, nec me spes illa fefellit,
Nex est, quod vitam credidit esse senex.
I nunc, quisquis aues, tali te credito bello:
Viuificat iuuenes virgo, necatq; senes.

Gen. & Egr. V.
D. LAZARO HOFFMAN.
Cæs. Epperießini Trices. defuncto.

SEmper vt exsanguis, mors nullum fronde pudo-
Exhibet, & quæuis optima, cæca, rapit. (rem
Ecce, cui transacta fuit sine vita Lyæo,
Ecce heîc sobrietas heîc tamen ipsa iacet.
Cùm videas alios Baccho velut amne natanteis,
Iniustè interdum Nestora Parca facit.
Pace tuâ liceat sic dicere, Lazare, parcè
Quòd Cereris caperes munera nempè iaces.
Quòd latices epulasq; Deûm damna esse putares,
Contraxti immodicè corpore damna tuo.
Sed nunc Ambrosiam & Nectar, ceu Lazarus alter,

Elysiâ felix hospes in arce capis.
Vesceris in cœlo, & duodena in stirpe Iacobi
Iudex, tibia quùm postera clanget, eris.
Vtere sorte tuâ. mi Lazare: torreat illos
Styx: tu ne digito da, prece surdus aquam.

Votum
pro valetudine recuperandâ
ILLVSTRIS ET MAGNIFI-
ci Domini, Dom. SIMONIS Pat. & Dom. MICHAELIS F. FORGACZ, L. B. de Gymes. &c.

CHriste, Redemptoris meritò qui nomine gaudes:
Christe salutaris fons & origo boni. (tor:
Christe, decus Medicûm, florum herbarumq; reper=
Christe, potens rerum conditor, alme Deus.
Bina quòd ægrotent illustria corpora, nostri
Prima soli laus & gloria tota, vides.
Iste senex equidem, sed quem terra inuidet alto
Nostra polo, & Diuum seriùs esse cupit.
Huic tenero vernant anni sub flore iuuentæ,
Iam sit vt Aoniis notus in orbe viris.
Si non arte suam curaret vterq; salutem,
Ah patriæ certam quàm benè ferret opem.
Consiliis aliter nunc his prodesset in oris,
Infera quà rursus Thrax agit arma Getes.
Pro patriâ rutilis alter se ferret in armis,
AEre grauis Turcas præcipitaret equis.
Sed neutri licet ire domo, foris esse iuuentam

Præci=

Præcipuè aureolam vult latitare ſalus.
Hi duo ſe Medicis dum credunt ritè duobus,
Chriſte, *faue medicis pharmaca certa cibis.*
Vnum dic verbum, ſubitò, quæ morbida cedent;
Pendent ab arbitrio vitaq́; Morsq́; tuo.
Tu cœcis oculos, tu claudis crura miniſtras
Integra, defunctis viuida membra viris.
His quoq; per medicos fac ſana Baronibus ægris
Corpora, fac proſper viuat vterq; diu.
Porrò tibi ſoſpes ſit vterq;; ſit obſitus annis
Pluribus, & laudeis curet vterq; tuas.
Huius ego bonitatis ero non immemor vnquam;
Ipſe tibi grateis, maxime Chriſte, *canam.*
Ipſe tuum preco nomen celebrabo perennis,
Pro fautore tibi duplice gratus ero.
Tu mihi ſemper eris Deus ille, potentibus ægros
Herbis aut verbis qui releuare poteſt.

BVBALO.

R*Egnat vbiq; lues taurina & bubala peſtis,*
Bubale, *cum ſociis fòrs moriere tuis.*

Funeri
PRVD. ET OPT. VIRI,
Dn. PETRI STAINO, COSS.
Saaroſsini.

L*Ex quia dicta ſemel:* moriere; *per ora Monar-*
AEtherei, cunctos nos ea fata manent. (*chæ*

Trux Regesq; gregeisq; rapit Libitina, quot orbis
Cunq; gerit; paruus magnus & ordo cadit.
Nil ars: nil pretium: nil gloria commouet illam,
Quæ surdâ nostras respuit aure preceis.
Tullius & præstans vbi Iulius? occidit: atram
Expertus miserè cæsus vterq;, Deum.
Non heic inuictus Cæsar, qui clara Quiritum,
Quiúe Tomitarum barbara sceptra gerit.
Mixta iacent tellure suâ cum fasce ligones,
Quod Petre, care Deo, tu quoq; Staino probas.
Consul eras, ac tota tuo pendebat ab ore
Turba Sarossinæ gentis; at ecce, iaces.
Relligiosa Deum tua mens quærebat ad aras:
Aera dabas Iris largus; at ecce, iaces.
Facundus, prudens augebas publica priuis
Plus rebus, patriæ fautor; at ecce, iaces.
Sed quoniam Omnipotens hâc tempestate malorum
Ex his te terris sumpsit ad astra poli:
Vtere morte tuâ; pro funere fœnus habebis;
Ciuis in æthereâ nunc eris arce nouus.
Nos Martis Mortisq; solum formidine terret,
Dum superi, tecum nos etiam esse, velint.
Ast iam Stainiaden gener optimus, optimus hæres,
Mollerus prolem curet ametq; suum.

EPITAPHIVM.

VIr & meritis benè de patriâ optimus, vrnâ
Staino Petrus iacet hâc corpore; cœlo anima est.

Musæ

Musæ parentales.

In obitum ILLVSTRIS, SPECTABILIS & Magnifici Herois ac Domini, D. SIMONIS FORGACZ, L. Baronis de Gymes, &c.

PAnnonis heus tellus, virtutibus inclyta belli,
Te compello; meos percipe, quaso, sonos.
Si vacat, & grauium concedit cura laborum,
Quos generant horni tempora Martis, ades.
Scisné quòd obscuro fuerit Sol nuper amictu,
Quòdq; suos tenebris texerit ater equos?
Vidisti; sed more tuo, quur Cynthius vmbras
Induerit, causam visné poëta rear?
Lampas erat Phœbo nigris atrata Prophetis,
Sol etiam Hungariæ quòd perituru erat.
Nonné (fateris enim) nostræ lux vnica terræ,
Forgacides Heros occidit ille Simon?
Nulla negare potes, tantâ ferrugine Solem
Præscia venturi signa dedisse mali.
Terruit astrorum Rex Martia sydera, nobis
Copia ne tantæ lucis adempta foret.
Nollet, vt iratus, Deus hoc extinguere lumen,
Si precibus lychno quisq; tulisset opem.
Iam tamen extinctum est, ac tristeis fumat ad aras:
O precibus lychno quisq; tulisset opem.
I puer, ecce iacet, nigrum mihi porrige saccum;
I, cinereis capiti protinus adde meo.

Non

Non hederæ, aut laurus circum mea tempora, at atrâ
Pallida cum taxo tristè Cupressus eat.
Non Cygniger, cimiger vates Titana querellis
Plorabo nostri nunc obiisse soli.
Hungaris ora veni, mecum tua pectora palmis
Percutere, & mœstum plangere voce melos.
O celebrande Senex! ô temporis auree nostro
Flos æuo! clari Martis & artis amor.
O procereis inter palmaris & optima Regni
Laus, probitas, virtus, gloria, cura, salus!
Tu velut Oceanus magnorum es iure virorum,
Quos Latium, mendax Græcia quosúe canit.
Tu pius Aeneas, iustus Numa, fortis Achilles,
Hector, Aristides, Scipio, Galba, Cato.
Prò; clara amissam non sic lugeret ob arcem,
Quam dolet interitu Pannonis ægra tuo.
Ipsa tuos lacrumis tumulos adspergit Alethe:
Te penes ipsa dolet cum pietate Fides.
Te propter syluas lugubreis cernimus agros
Flere; solum hoc pullo syrmate stare procul.
Tota quiritatur te rustica concio; postum
Nunc vrna patrem clamitat esse suum.
Te plorant Regni proceres; te nobilis ordo
Mœret, & vrbanus polluit ora dolor.
Te lacrumant Charites, Peitho, Bellona, Minerua:
Te dux Musæi plangit Apollo chori.
Te luctum ex castris rediit Mars, agmine licto;
Miles & inuersâ cuspide plorat imers.
Iam cerno, enerui languore fatiscere bellum;

Iam cerno, arma ſoli cordis habere minus.
Turba nouenarum choreas agitare ſororum
Deſinit & miſerum perſtrepit ore melos.
Latè oritur planctus; latè nemus omne querellam
Triſte ciet; tellus Hunnidos atra gemit.
Credibile eſt, vndas quoq; tardiùs ire Tybiſci,
Danubiusq; ſuas ipſe moratur aquas.
Et ſcio, Mors reliquis tua dura ſat accidit oris;
Cogitur in planctûs Teutona terra ſuos.
Immò vel Europæ toti creat iſte doloreis
Tractus, vbi ſpecies Forgaciana iacet.
Non tua Pannonibus virtus heroica ſolis
Nota, ſed in toto nobilis orbe fuit.
Hei! quàm Romanus iam triſtia Cæſar habebit
Nuntia; quantus ei pectore mœror erit?
Nil Euangelij feret ille, vicarius ore
Qui canet: Hungarico ſole, Rodolphe, cares.
Si foret heîc, Septem tibi pangeret ipſe viratûs
Oſcula; Germanis pectora mœſta dares.
Auſones ornarent lacrumis; ploraret Iberus.
Mactaretq; tuos laude Britannus agros.
Iazyges hoc norunt reduci cum Principe triſtes;
Dacia te propter, Bulgaris atq; dolent.
Te quoq; flere decet, generoſi filia Martis;
Hei, grauis infandi cauſa doloris adeſt.
Ah; patriæ verum te amittere ſcisné parentem,
Inq; toga inq; ſago qui tua cura fuit?
Hungaris ora venis mecum tua pectora palmis
Percutere & querulum plangere voce melos.

Si pri=

Si priſcum luxêre Numam de corde Quirites;
Sic oratorem, Roma ſuperba tuum.
Forgacides decus omne ſolo fuit vſq; patrito;
Stellaq; Forgacidæ porrò coruſca domûs.
Flore pias arteis iuuenili, ac dulcia Phœbi
Calluit; hinc fecit verba diſerta Senex.
Et natis quoniam caris hoc orbe neceſſum,
Theſauro ac auro crederet eſſe magis,
Diſcere litterulas; Muſæ ſeptemplicis arteis
Inſtruxit genitos docta per ora ſuos.
Quid prodeſt? quamuis totus tibi pareat orbis;
Sis opibus Craſſus, Cræſus & ipſe tuis:
Nec te Pegaſides Muſæ; nec amabile virtus
Nomen, at hæc miſerè ſplendida vita iuuet.
Nil ſine doctrinâ, virtuteq; nil es, & vmbræ
Aemulus, haud hominis nomine dignus agis.
Sic, patris vt proles exemplo maſcula, nati
Quattuor, eſſet amans Pallades, vſa, Pater.
Quippe decus linguæ propter cariſsimus aulæ
Doctus is Auſoniæ munere ſæpè fuit.
Gratus erat, ſeu quid ſua vellet epiſtola Pragæ;
Siue grauis ſtaret Cæſaris ante thronum.
Fonte quòd vbertim Clario potaſſet, honoreis
Ampliter eximios per ſua regna tulit.
Suſtinuit graue Martis onus moderamine rerum;
Conſiliis populos rexit & arma ſuis.
Phœbus & oraculum bonus extitit ore, nec arma
Exſuit, aut ſumpſit legis amica cohors.
Nì prius acceſſet, probus illius vndiq; bello

Calcu=

Calculus, ac doctor non foret ante tubam.
Splendidus egregiis quid paßim gesserit armis,
Constat, & historicis res ea scripta viris.
Diceret Hungarici pars hoc simul vtraq; cœli;
Diceret Istricolis nobilis vnda suis.
Diceret hoc, quà Forgacius plus Hercule fecit,
Orbe Temesvari nota per arma domûs.
Quà gladio plagas, & vulnera stragis in actu
Est Heros passus corpore multa suo.
Turcica quùm forti trux sterneret agmina ferro,
Vnus mille neci pectora cæde daret.
Hoc truncata fero testantur acynace membra;
Hoc quoq; præsectâ verbera nare docent.
Heîc quùm vulneribus minimè ceßisset honestis,
Captus inhumano carcere vincla tulit.
Cæsaribus fuit ista tribus gratißima virtus,
Vnde etiam rursus prodiit amplus honos.
Vix ita Persa tuam celebrauerat ipse Darius,
O cordatorum Zopire summa, fidem.
Quòd pro Rege tuas malles amittere nareis,
Perdere & auriculas, victor vt ille foret.
Quùm patriis iterum tandem esset redditus oris,
Victoreis victor sæpè peremit atrox.
Pro patriâ se vindicibus clarauit in armis;
Militiæ puppis proraq; certa fuit.
Nunc etiam, extremæ per tempora cana senectæ,
Sceptra bis in bello, Cæsare dante, tulit.
Hôc toties veniente domi perterritus hæsit;
Hôc toties Hostis terga sequente dedit.

Thraca

Thraca ferum Euxini trans æquora sæpè fugauit;
Agmina de prædâ fecit onusta suâ.
Ex pugnis alij spoliis ditantur opimis;
Hic dare militibus sueuerat omne suis.
Expers inuidiæ proprium cor edentis, & expers
Semper auaritiæ, iuris amator erat.
De virtute pius sermoneis semper habebat,
In dictis constans, simplicitate grauis.
Geßit in egregio diuinos pectore moreis,
Queis solet illustreis nobilitare Deus.
Ipse sui victor Genij celeberrimus, armis
Præfuit æternùm sobrius atq; domi.
Ah, quot discipulos hoc Socratis orbe videmus?
Nemo suæ parcus præcipit ipse gulæ.
Qui scit magnificè potare, vorare; vir ille
Nobilis & nostræ Martius audit humi.
Non ita ferali quem carmine ploro; sed instar
Oderat id brutum gutture pestis opus.
En tamen, ah; iacet ille Senex prostratus in vrnâ;
Hei; iacet Hungarici sol oculusq; soli.
Non tantum armigeris Baro maximus occidit oris,
Occidit, hei, Musæ laus quoq; prima meæ.
O retrahi posset per viuos, ære vel arte;
Huc sua certatim robora quisq; daret.
Sed pugnare Deo quisquam velit? optimus is dat,
Eripit is rursum, quùm placet, orbe Deus.
Quem quoq; lugemus, Christo vicinior ipsi
Illius æthereo spiritus axe sedet.
AEre solo grandi sibi celsa palatia struxit,

Pro se proq; suâ posteritate domum.
Hâc animam Domino, cui toto seruiit æuo,
Reddidit, & placidè scandit ad astra poli.
Quattuor atq; decem terris sua lustra peregit,
Quæ nisi vixisset, viuere dignus erat.
Dignus erat Pylium transmittere Nestora seclis,
Qui nunc in cœlis adspicit ora Dei.
Adspicit, adspiciatq;, precor, dum fata requirant,
Illius adspectu nos vtriusq; frui.
Erige ploratos modicè, pater, erige vultûs;
Vltima iam pietas dicere pauca iubet.
Membra iacent tellure quidem; tellure sed imâ
Hæc eadem quondam tu rediuiua geres.
Iam licet in cinereis & humum mutabere corpus;
Vrna tibi nunquam flore senilis erit:
Lilia semper erunt vernantia dulcè sepulchro;
Semper erunt hornæ per noua busta rosæ.
Aeternùmq; pio cineri sua dona feremus;
Semper ei florens conspicietur honos.
Occule ploratos iterum, pater, occule vultûs;
Desino præ luctu dicere plura meo.
Antè tamen quàm fræna meis dem iusta querellis,
Postremùm ad maneis vox ruit ista tuas.
Salue & aue, mi sancte Senex, pater optime, salue;
Salue, & perpetuùm clara per astra vale.

AD FILIOS EIVSDEM.

MAcerat & lacerat se Pannonis ora, Simonem
Forgacium abstulerit quòd nimis atra dies.

Cur mea non tristeis quoq; nunc Elegêia capillos
Explicet & mœsto non fleat ore Senem?
Qui mihi laurigeros & Nobilitatis honoreis
A magno petiit Cæsare, morte iacet.
Sim nimis ingratus; Charitum sim nescius immò
Sim prauè oblitus nominis ipse mei:
Nî qua reponantur meritis pia; Gratia restet
Nî qua. Canam; nec me longiùs ire decet.
Diue Baro, & vos tres, illustria corda; Poêtæ
Iam mihi, Forgacidæ, vos, precor, este Pater.

AD REVERENDISSIMVM ET Magnificum Dominum, D. FRANCISCVM FORGACIVM, Episc. Nitr. L. B. de Gymes, &c.

VT lætis Francisce, Baro reuerende, Camœnis
Te canerem patrio iam rediisse solo.
Fortè tamen mœstus prohiberet Apollo, per oras
Qui nostras querulam turbat & ipse lyram.
Nigra dies agitur; solemniter intrat in aulam
Plurimus Herknechti, Marte dolente, chorus.
Pro cytharis, tuba rauca gemit; pro carmine læto,
Aera boant; patrem plorat & ora tuum.
Mars quem non valuit per plurima sternere lustra;
Hunc fera momento mors sua strauit humi.
Funere Parca virum quòd merserit improba tantum,
Ex toto, Præsul maxime, corde doles.
Quid facias? compone tuos rursum ipse doloreis;

Scis,

Scis, te quô deceat plangere more patrem.
Quattuor heîc Genitor patriæ vos clara reliquit
Lumina, Forgaciæ fulcraq; certa Domûs.
Tres pia bella gerant, tu relligionis honoreis,
Quodq; tuis humeris grande recumbit onus.
Meq;, tuo Patri carum, complectere vatem;
Qui grauis est Heros, carmen amare solet.

MAGNIFICO ET GENEroso Heroi ac Domino, Dn. SIGISMVNDO FORGACZ, Lib. Bar. de Gymes, &c.

SI quisquam Hungariæ fuit acris causa doloris,
A quo Matthias Hunniadesq; iacent.
Et Genitor, Sigsmunde Baro, felicibus armis
Hôc meruit lacrumas clarus in orbe tuus.
A primis etenim qualem se gesserit annis,
Pace, vel horrendus quùm furit arma Deus:
Notiùs est forsan, ferali carmine vates,
Tempore & hoc tristi, quàm recitare queam.
Hoc scio, serorum quòd posthuma secla nepotum,
Quis fuerit, semper voce loquentur anu.
Sed quia tu patrij successor honoris es; aulam
Ipsa gubernandam dat tibi vestra Domus.
Non minus excedet cunctas tua gloria metas,
Vt quoq; tu præstans laude ferare Comes.
Relligionis amans diuinos quæris honoreis,
Inq; tuo Pietas corde Fidesq; sedent.
Bella Saracenos contra geris; arduus heros,

Clarus & armorum veste togâq; vir es.
Aemulus hinc patriæ virtutis; & inclytus, astris
Te meritis infers tempore, magne Comes.
Deinde pias arteis & Musica corda, Camœnas
Suspicis, hunc miserum non sinis esse chorum.
Præsertim qui facta Ducum dare fortia chartis,
Et cantare solent, hos reuerenter habes.
Nam tuus antè mihi fauor est perspectus in arteis
Aonias, & quàm Pallada doctus ames.
Nuper ego, tenuis quando tibi carmina Musæ
Exhibui, rursùm protinus æra tuli.
Calcar eris studij quapropter nobile nostri;
Laude graueis posthac, teq; tuosq;, veham.
Sat licet antè cluas; te plus tamen ipse coruscum
Versûs per faciam, clare patrone, meos.
Tu modò, quod restat, sis annis Nestore maior,
Vitaq; virtuti sic diuturna tuæ.
Vsq; tuum æternes genus, opto; sit ipsa maritis
Addita spes, thalamo Iuno secunda tuo.
Heroina breui faciat te prole parentem,
Exhilaretq; tuum Tursonis illa torum.

AD MAGNIFICVM, FORTISsimum, Doctißimumq; Dominum, D. MICHAELEM FORGACZ, Lib. Bar. de Gymes, &c.

FLos Comitum, Baro, Pannonici spes altera regni;
Quem iam certatim docta tot ora canunt.

Tu quoq;

Tu quoq; progenies quùm Forgaciana parentis
Aemula sis Genio nobiliore tui.
Quid prohibet (modò sospes agas, modò vita supersit)
Laurigeros inter tu quoq; primus eris.
Acriter in pulcri certamine Martis honesto
Te tam maturè dura per arma geris.
Vt tueare genus; claris vt laudibus olim
Egregius patriæ flos habeare tuæ.
Perge Comes, vel iam præstantibus inclyte factis,
Dum possis bello crescere, perge Comes.
Tu patris exemplo tibi promereare fauorem
Cæsaris, & clarâ laude ferare procul.
Te, decus Imperij, Septemplex ille viratus
Laudet, & agnoscat clara per arma virum.
Et tua, tempus erit, quo Martia gesta legantur;
Et tua te virtus inseret alta Diis.
Astra merent bello sortes; noua quæritur armis
Res, virtus, regnum, gloria, vita, salus.

MAGNIFICO ET GENEROSISSIMO Domino, D. IOANNI FORGACZ, Lib. Bar. de Gymes, &c.

MAgnifici proles adès ô generosa parentis,
Quæ meritò ex toto pectore tristis eris.
Te licet ora ferat, quà magnus fulminat armis
Cæsar, & Imperij promouet vsq; decus.
Morte tui Genitoris ibi terrebere forsan,
Excidet & manibus protinus hasta tuis.

Sed, Iuuenis formose, dies cum laude senileis
Iam tuus attigerit clarus in orbe parens.
Te decet hunc rursus modicè lenire dolorem,
Forti porrò manu Cæsaris arma sequi.
Vt fias generis, patris ardua gloria tanti,
Forgacid en poßis condecorare Domum.
Ex patre virtutem, ex Domino iam disce laboreis,
Qui iuueneis verè nobilitare solent.
Dum potes; exerce virtutem; Palffius Heros
Te docet Euximos vincere Marte caneis.
Cuspide Lunigeros iam scis prosternere Turcas,
Duraq; quâ poßit arx ratione capi.
Viue; future decus patriæ, mi care Ioannes;
Vt viuas, nostro carmine, viue prius.
Tu mihi materies nasceris idonea; vates
Si quis ero; Musis te celebrabo meis.

AD GENEROSVM, EGREgium, eruditioneq; Nobilißimum, D. CHRISTOPHOR. DARHOLTZ, de Fynthâ, &c. Mecœnatem suum, de obitu Mag. Dom. Sim. Forgacij, &c.

TRiste quòd est hodie cœlum; quòd nubilus aër,
Nec te, Mecœnas, causa latere potest.
Vnicus Hungarici Sol occidit orbis, & istas
Induxit nostro Morte solo tenebras.
Hoc ego testabor nigro velamine; posthac
Cimmerio pullus corpore semper ero.
Hei nisi terra nitore suo splendoreq; nostra
Pòst careat; nobis quæ, rogo, lampas erit?

AD

AD INCOLAS CIVITATVM *Hungaricarum, vt Patroni sui,* D. SIMONIS FORGACZ, *mortem defleant.*

QVùm pia Forgacium deplorent corda Simo=
Certatim exsequias concio grata parent (nē;
Triste per æthereas boet æs resonabile turreis;
Testentur luctus tympana mœsta suos.
Vos etiam ciueis, qui mœnia clausa tenetis,
Mœstitiæ passim iam dare signa decet.
Iste fuit commune bonum Baro; prælia gessit
Aris pro vestris non minus atq; focis.
Per sua ceu miseros protexerit arma clienteis,
Constat, & hoc Tonsor Lippaq; turba docet.
Ipsa quidem Comiti mors lentior esse volebat,
Nostra sed impietas abstulit orbe senem.
Quùm Deus ingratis irascitur, optima regnis
Subtrahit ex medio pectora; praua sinit.
Quem nisi poscamus veniam; nisi sacra litemus;
Hei vereor nostri plurima damna soli.
Sed nobis alij (si nostro pectore nondum
Relligio & virtus excidit omnis) erunt.
Hoc superest, Dominum prece supplice quisq; roge=
Ipse velit taleis suppeditare viros. (mus,
Cùmq; Sigismundus Patri sit proximus hæres;
Det Deus, vt patriam sic regat vsq; Domum.
Rebus in afflictis medicina sit ille vicissim;

Altera Forgacij spes sit & aura satũs.
A patre magnanimo vestigia trita sequatur;
Cum sceptro doteis factaq; grata gerat.
Et faciet; fortes gignuntur fortibus; ipsam
In subolem virtus ire paterna solet.
Si generant Aquilas Aquilæ, leo & ipse leonem;
Heros Heroëm gignere nonne potest?

IN VEXILLO.

HEic sita Forgacij sunt ossa Simonis, ademtum
Quem Cæsar, virtus, Mars dolet esse sibi.
Spiritus astra colit; hâc membra sed æde quiescunt;
Pannonis huic posthac vix dabit ora parem.

Aliud ibidem.

HVngara cui nunquam sat dignas pendere grateis
Gens poterit; Forgacz heic iacet ille Simon.
Quis fuerit studio Martis; Tybiscus & Ister
Dicet, & in sera posteritate canet.

AD REVERENDVM DOCTISsimumq; Virum, D. IOANNEM FABRICIVM.

IAne; adsis; doleamus, ô Fabrici.
Qui te, meq; nouemq; qui sororeis,
Virtutemq;, Piumq;, Fasq;, Purè
Arsit, condecorauit, auxit; & quem
Rursum instar Patris Hungarus flagrabat.

Quisnam?

Quisnam? Forgacius Simon *Baro; heu! heu!*
Hunc amisimus orbis ô Patronum,
Iane; *adsis, doleamus,* ô Fabrici.

AD CHRISTVM
Pro
REVER. ET DOCT. V.
D. EZECHIELE HEBSACCERO,
P. Epper. *cùm se curationi crederet*
EXCELL. ET CLARISS. MED.
Dom. Georgió Fabuschij,
Med. Doct.

Conuenêre duo Medici, quorum haud tamen vna
Conditio; ast decus est huius & huius idē. (est
Iste animas curare solet; sed corpus hic. ambo
Dant miseris medicâ pharmaca certa manû.
Ille salutareis in templo porrigit escas:
Hic leuat in variis corpora fracta locis.
Alter vt est verbis; sic herbis alter in arte
Pœoniâ clarus. curat vterq; suos.
Aegrotos prohibent; ne fortè Charontis in vrnâ
Ad stygias rapti tristè vehantur aquas.
Restituunt vitam lassasq; in pristina vireis:
Consilium præsens auxiliumq; ferunt.
Sed quoniam gnarus manaleis pellere morbos
Corpore languorem & morbida fata gerit:
Corporis atq; animæ medicinæ, ô Christe, *reperior,*
Alter vt alterius, da, modò viuat ope.

Tu cœcis oculus; pes claudis; vita necatis;
Aegrotis ſanum corpus es: ergò faue.
Sic Hebſacceri verbis, herbisq; Fabuſchi
Flos Eccleſiolæ creſcet in orbe tuæ.
Mutua & amborum ſic ars te, vere Machaon,
Laude ſuper terras & ſuper aſtra vehet.

Ad monumentum NOBILISS. AMPLISS. & Doctiſſimi Viri, Dn. IOANNIS BELSII, C. Epper. Soceri mei cariſſ.

STa; transis quicunq: quis hâc ſit, noueris, vrnâ.
Belſius heîc recubat, Bocatij ille ſocer.
Ore vno linguas tenuit ſeptem, Hungarus, Auſon,
Hebræus, Græcus, Sarmata, Teuto, Getes.
Trinus eum varias Cæſar legauit in oras:
Bizanti longas traxit in vrbe moras.
Hoc monumentum illi ſtatuit gener, optat & ipſe,
Cum ſocero Elyſiâ poſſit vt arce frui.

AMICI, Bocatiano tumulo, ſi meretur, hoc ſuperaddite:

BOcatij recubant heîc oſſa ſepulta Ioannis,
Cui ſtudium Pietas, atq; Poëſis, erant.

Epice-

Epicedion
DOCTISSIMO VIRO ET
Theologo disertißimo,
M. SAMVELI SAVTERO, WIR=
tembergico, Affini meo.

AH! heic Eloquium iacet ipsum; Suada vel ipsa,
Vel si quid Suadâ Suadius esse potest.
Quis, quæris? Christi Sauterus ouilis & ædis
Rex huius; nullo more vel ore minor.
O pòst vix habitura parem Res-publica multis
Anxia Sauterum prosequere hunc lacrumis.

Dolor epitaphicus
ALEXANDRI DARHOL.
μικροβίου.

SIc rosa, sic violæ, sic lilia candida lappas
Ante cadunt; infans ceu bonus hic cecidit.
Sed rosa, sed violæ, sed lilia, mortua prosunt:
Noxia post lappas spina manere solet.
Pumile! care, tener, mi pusio blandule! natum
Te iuuat? ablatum nec tamen esse nocet.
Me genitor tuus vsq; suum quia Compater ardet,
Dum rosa, dum violæ, lilia dum redeunt.

Ecce
VIATOR.

MAior Alexandro iacet heicce Darholtzius i
Cur? illo infantes plus moriendo gerũt. (fan

Maxi-

Maximus in regno cœlorum est, quisquis in orbe
Seu pueri instar abit, seu pueri instar obit.

Funeri SPECTABILIS, MAGNIfici & Generosissimi Domini, Dm. STEPHANI DRVGETH, Lib. Bar. de Homonnâ, &c.

FLebilis Hungaricas nuper matrona per oras
Seq; genuq; suum plangere visa fuit.
Quæ sibi rumpebat teneros de fronte capillos,
Cuius & in facie nil nisi squallor erat.
Pullus & ex lanâ sat simplice pauper amictus,
Syrmate pulueream fine trahebat humum.
Talis nobilium compar solet esse virorum,
Cum viduo coniux morte carendus abest.
Territus aspexi, propiusq; accedere mœstam
Dum conarer; in hos proruit illa sonos:
Illa ego, quæ toties infelix vulnera multos
Nunc annos Getico Marte furente tuli:
Quæ lacrumis mea damna prius iam prosequar vdis?
Tot mala sunt oculis flenda reflenda meis.
Quid querar antè? graueis patior quæ porrò ruinam;
Publica seu videam, seu bona priua, iacent.
Ah! licet armigeri sim filia Martis, & olim
Horruerit nostras Cæsar vterq; manus.
Hei! tantùm rigidæ sum obnoxia Thracidos armis,
Vt superesse mihi nil videatur opis.

Anxia

Anxia ſperaui meliora; ſed vſq; recurrunt
Antè malis longè deteriora ſuis.
Hinc mouet Euximus; illinc Hiſpania bellum,
Quæ fera Teutonicas depopulatur opes.
Confirmanda forent æternæ fœdera pacis
Omnibus, à Chriſto nomina quotquot habent.
Hei! Turcis etiam decies crudelior ipſis,
Trux per Germanos ſæuit Iberus agros.
Tartarus innumeros heic deſtruit igne colonos,
Cædit, & abducit cum grege, rege, viros.
Talia quis curat? quis ad ardua prælia ſurgit?
Seria nemo gerit: ludicra quemq; trahunt.
Si grauitas vnquam nobis & maſcula virtus
Defuit; ah! iſto tempore tota deeſt.
O vbi nunc Ratio? Prudentia gnara Tyrannos
Opprimere, aut noſtris arte fugare malis?
Abſtulit heroas nuper Mors improba binos.
Abſtulit, abſtulit, (hei!) abſtulit illa meos.
Et Teuffenbacchium, terrâ Germanide cretum,
Sed tamen officio coniugioq; meum.
Mox hinc Forgacium rapuit Libitina Simonem,
Qui nobis, Troiæ quod fuit Hector, erat.
Bathoreum, Dobo, Drugethium, Rakocium, in (orbe
Liquerat heroës quattuor illa meos.
Horum de numero Lacheſis fera ſuſtulit vnum,
Hommonnaiacas qui Baro rexit opeis.
O quantum cecidit tibi, tellus Hungara, robur,
Drugethij flendâ ſæcula morte tui!
Non humili ſatus, obſcuro nec patre, ſed alto

San-

Sanguine, de magnis nomina traxit auis.
Est locus Italiæ, veteris quà clara Salerni
Mœnia, citrifero proxima rure solo.
Illius hâc quondam maiores vrbis honoreis,
Imperium ac fasceis, sustinuêre diu.
Posteritas donec bellorum huc tempore missa
Præfuit, ac sedeis cœpit habere suas.
Florida magnanimus regni cùm sceptra gerebat
Carolus Hungaricam rex moderátus humum.
Drugethios aluit binos tunc nobile regni
Par; titulos meritò gessit vterq; graueis.
Namq; Palatini decus alter: at alter ad vrnam
Regia honorifici Iudicis ora tulit.
Hâc de stirpe suum producere debuit ortum
Drugethiâ Stephanus clarior ipse domo.
Ceu se iactat auis Comes inclitus iste patritis,
Non minus à prisco matris honore viret.
Attila, Romano generi Europæq; flagellum,
Ex Scythiæ latebris huc vbi gressus atrox:
Sub duce septeno sua rexerat agmina, quorum
Vnus erat patriæ nomine Gyula suæ.
Inde Gyulaphiana suos habet illius ortûs
Mater, & à veteri stemmate claret adhuc.
Euphrosinæ, Gabrielis amor, decus addita cœlo
Aethere iam natum suscipe viua tuum.
Salue auia illustris, soror ô germana Ioannis
Regia progenies, Costa Ioannis aui!
Margaridos quæ nomen habes, gemmæ instar & astri
Inter Zapolides quòd Venus vna micas.

Vos,

Vos, flos Hungariæ, gens Martia; dicite iuxtà
Pannones, à tanto quæ monumenta viro.
Quòd res à puero præstanteis gesserit armis
Martius egregiè, nulla negare velis.
Quæ datur à proauis patribusq; euanida laus est:
Durat in æternos propria fama dies.
Swendius Hungaricas cùm iussu Cæsaris arceis
Ferdnandi eriperet, sorte fauente, Getis:
Centenis tulit auxilium Comes ipse caballis,
Marte potens Equiteis rexit & ipse suos.
Zakmaris ad pluteos specimen virtutis honestum
Fecit, & egregio pectore gesit onus.
Prætereà celsæ monstrauit robora mentis,
Arx vbi de requie diruta Marte iacet.
Prælia testantur Szyxouia, quantus hic Heros,
Quanta viro virtus, gloria, quanta fides.
Tunc vbi cum paucis contra agmina plurima Turcæ
Iret, & innumeros sterneret ipse viros.
Vsq; tenax calidè pugnauit, & inter atroceis
Quando foret medios, cinctus vbiq; Getis:
Obrutus à tergo tulit horrida vincula seruis
Cassus, & à sociâ porrò relictus ope.
Sed Deus & sollers industria libera capto
Membra dedit rursus, victor & inde redit
Quid memorem, qualis fuerit per Thurea ru
Mascula Turcigenis intulit arma lupis.
Hinc etiam, summo quamuis discrimine vitæ,
Fortis honorificas rettulit ense notas.
Nil referam quid præstiterit per prata Kerezti,

Res

Res vbi cum Getico bellica Xerxe fuit.
Pro patriâ vitæ contemptor in agmina mille
Se tulit, ex patriis fortior ipse viris.
Impiger ad quosuis per Martia castra laboreis,
Esuriem potuit labraq; sicca pati.
Nil aduersa mouere viri potuêre cor: vno
Deceptrice statu sorte per ora fuit.
Siue forent gelidæ niue consita tempora Brumæ,
Aspera militiam quando moratur Hiems.
Siue per æstiferi quùm Sol Canis astra vagatus
Caldior igniuomis corpora torret equis.
Grandia cum Turcis hastilia fregerit heros
Quot, quotiesq; grauis commemorare labor.
Martis erat pullus, pullos & Martis amabat,
In bello quorum strennua dextra fuit.
Sæpè facultateis donabat fortibus amplas,
Seruos vt neruos arsit vbiq; suos.
Castra iuuant hodie paucos Musæa Baroneis:
Quem capiunt Martis, spernit is artis opes.
Mars libat mulis, doctis negat oscula Musis,
Immò Deabus atrox vulnera sæpè facit.
Non sic Drugethius: sacris dedit æra Camœnis,
Otiaq; is studiis fecit honesta piis.
Sumptibus Aonios magnis prouexit alumnos,
Inq; tuas misit, Teutonis ora, scholas.
Cùmq; intelligeret sit quanta potentia doctis
Litterulis; natos imbuit hisce duos.
Ergò bonis fauit doctoribus, vtq; iuuentam
Promptiùs instruerent, larga didactra dedit.

Aure

Aure ſacerdoteis placidâ templiq; miniſtros
Auſcultare, pio maxima cura fuit.
Vtq; alij multi, ſic diceret iſta Mihalko,
Cuius ad aram operâ ſæpiùs vſus erat.
Oſor auaritiæ, ſplendoris amator honeſti,
Congrua perſonæ fecit vbiq; ſuæ.
Non eſus non vſus erat ſubruſticus: intra
Magnificum nôrat ſe retinere chorum.
Scandala vitauit velut omnia ſedulus ipſe,
Sic offendiclo præpediebat iter.
Mollis ad offenſam, motæ placabilis iræ,
Supplicibus veniam pro bonitate dedit.
Summa: mihi laudum noua ſurgeret ilias, omneis
Si res illius enumerare velim.
Luſtra decem poſtquam ſuperaſſet & inſuper vnum
Scandit ad emeritos clara per aſtra polos.
Iam rata per ſanctæ Triados ſuffragia cœlo,
Militiæ æthereæ, lætà triumphat, ouat.
Effigiemq; Patris, Chriſtum miratur & ardet,
Et nunquam intuitu ſe ſatiare poteſt.
Clauſit in anguſto demortua membra ſepulchro,
Laus auguſta palàm libera ſemper erit.
Illi parta quies: nobis mala plurima reſtant;
Ah reſtant reſtant horrida bella, fames.
Non tamen inuideo, fatis melioribus vti
Drugethium. Salue mi Baro; care pater.
Care pater, Baro magne, vale; noua gloria Diuûm,
Perpetuùm ſalue, perpetuùmq; vale.

HAs vbi luctifero fudisset ab ore querellas,
Orta vel antiquo Pœone, visa nurus:
Mars etiam certo testatus honore dolorem
Mœstus & euersâ cuspide fractus erat.
Hinc Bellona soror nigrâ circumdata pallâ
Stabat inornatis squallida tota comis.
Qualis ob AEmonium quando plorabat Achillem,
Quùm Paridis telo fortè peremptus obit.
In lacrumas Vates soluebar & ipse, nec atrox
Dicere me voluit plura (sat ergò) dolor.

AD TVMVLVM.

ASpice, qui transis; vicit fera Parca, Viator,
Thracia quem nequiit vincere Marte, virum.
Quis fuerit quæris? Germanus an Auson es, Hunnus,
Es Scytha, Thrax? noli quærere; ad Antipodas,
Ad Garamantas, ad extremos si veneris Indos
Qui iacet hîc, fuerit quis, tibi dicet humus.
Teuto, Getes, Pannon, Turca, Itala, Sarmata, Mosce,
Drugethium hunc proprios nostis vt vnguiculos.

IN EIVSDEM VEXILLO Sepulcrali.

DRugethius iacet hâc Stephanus sub sindone nigrâ,
Inclita virtutis gloria, Martis honos.
Non superesse virum, Pietas cum Cæsare magno
Mœret & Hungarici natio tota soli.

Ad

Ad eiusdem FIL. MAIOR. NATV, MAgnificum & Generosissimum Dominum, D. LADISLAVM DRVGETH, L. B. de Homonnâ, Com. Comitatus Zemplin, &c.

ACcipe, laus Comitũ, flos inclite, prima parentis
Gloria, Drugethiæ maxime stirpis honos.
Accipe consorteis lacrumas à vate, Iuuentam
Qui quondam instruxit Palladiâ arte tuam.
Bocatius, veri si quid mens augurat, olim
Te fore, ait, similem more & honore patris.
Cur animer causa est: tua mente tenaciter hæret
Erga me pietas, obsequiumq; tuum.
Nam velut aurigæ generosus paret equorum
Pullus & ad legeis itq; reditq; suas:
Sic præceptoris te iussa capessere iuuit
Tunc, vbi discipulus curaq; nostra feres.
Regibus & superis qui nunquam paruit, ille
Tradita nobiliter sceptra tenere nequit.
In patrios verò quam eiam succedis honoreis,
Vtiliter fasceis rector habere potes.
Drugethias æquare velis conamine laudeis,
Hæredem virtus te facit illa suum.
Quùm pius incipias sacris impendere curam,
Inprimisq; Deo scita profecta flagres:
Adiicient superi tibi reliqua cuncta, prealtos
Isto quæ Comites orbe manere solent.

Iuris & æquarum fueris grauis assecla legum:
Esse Themis debet sancta Baronis amor.
Plura monere meum non est; prudentior ætas
Ipsa tibi monitrix ipsa magistra venit.

MAGNIFICO ET GENEROSISSIMO Domino, Dn. VALENTINO DRVGETH, Lib. Bar. de Homonnâ, Comiti Comitatus Vngvar.

QVi virtute tuâ cunctis velocior annis
Ardua magnificè sceptra tenere voles:
Quem Comites Comitem iure elegêre potentes,
Vngvariense animis vt moderere solum:
Teq; simul compello tui sub funere patris,
Aemulus vt tanti facta sequare viri.
Et facies, credo. nondum florentior ætas
Protulit à cunis bis duo lustra tuis:
Libra tamen procerum laxas tibi credit habenas,
Patronumq; sui te cupit esse gregis.
Tu puer Aonias didicisti [illegible] arteis,
Quæ tibi subsidium, [illegible] erunt.
Subiectos igitur moderabere legiou[illegible]quis,
Et quæcunq; geres, non nisi iure g[illegible]es.
Iamq; coarctabis sceleri, iam laxa remittes
Frena bonis; clemens & metuendus eris.
Sed quoniam pietatis amor promittit honestos
Rerum successus; sacra fouere velis.
Hoc dat ruris onus, felicia iugera terræ:

Hoc

Hoc dat honoris opes; hoc dat amoris opus.
Sis vnus cum germano, partitaq; regna
Assere diuiduâ sceptra tenendo manu.
Grandior est annis Ladslaus *amansq; tuorum,*
Illius auxilio consilioq; regas.
VIVITE *concordes, par fratrum nobile; vestris*
Auspiciis virtus crescet & alma fides.

AD

Reuer. & Doct. V.

Dm. IOANNEM MIHALKONEM,
Past. Hung. Epper.

DRugethij *propter mortem feruentior vdis*
Hactenus ex oculis decidit vnda meis.
Abstersit lacrumas hodie mihi fœmina; Musam
Crediderim. Vates, *cur ita plangis? ait.*
Drugethio *binos vni succedere nescis?*
Vnius interitus vita duobus erit.
Iane–Mihalko, *tuos mecum iam corrige planctûs,*
Drugethiana *queat degenerare* Domus.

Monumentum
GENEROSISS. ET EGRE-

gij Nobilißimiq; Viri,
Dm. ANDREAE KETZER, *&c.*

KEtzer *in hoc iacet* Andreas *post fata sepulcro,*
Patri & auo gratus, Diue Rodolphe, *tuo.*
Esset adhuc si nobilitas, si conscia recti
Mens, pietas, sinerent viuere, siq; fides.

Ah! recubet felix paruâ vir magnus in vrnâ,
Gloria Ketzeridum, lausq; paterq; soli.

IN

Eiusdem tumba.

KEtzerij Andreæ *sunt heic posita ossa, Viator:*
Sta, lacruma; fleri vir quoq; dignus est.
Hoc facit & Pietas, trino cum Cæsare virtus;
Hungarias, proceres, Nobilis, acer Eques.
Clauditur hoc equidem sub saxo corpus: at alto
Mens illata polo gloria, fama solò est.

In cippo
GENEROSI, EGREGII ET
Cordatißimi Viri,
Dn. ALEXANDRI VSZ.

REgem *vt Alexandrum viridi Mors abstulit æuo:*
Vsz & Alexander *sic iacet ante diem.*
Grandis vterq; tamen factis præstantibus: ille
Marte ad se cunctas transtulit Orbis opeis.
Hic, patrios propterq; focos arasq;, cruentas
Rettulit ex Getico sanguine sæpè manûs.
Vita nihil longa est, si ingloria ducitur; annos
Non rarò virtus anticipare solet.

Fabricio meo
ægrotanti.

INdulge; Fabrici. *rarò te viso iacentem;*
Quippe puerperio nunc iaceo ipse meo.

Ioan-

Ioan. Fabricius, Bocatio P. L. suo,

εὐπράτειν.

ORnatissime & Doctissime Magister, mitto tibi noctis præteritæ meditationes, & eas quidem non in ore, sed in ipso cordis sinu & recessu natas. Ago enim nunc non Theoricum sed practicum Theologum. Verba ligata tibi, vt artifici, corrigenda permitto. Res aliquod attinet. Subscribes ipse, scio: subscribent omnes pij, qui sunt in scholâ Dei, seu crucis & lucis versati. verè

παθήματα μαθήματα.

QVid sit vera fides: quid sit patientia vera:
Quid sit vera, altos penetrans oratio cœlos:
Quid sit diuini sanctiq; potentia verbi:
Quid sit homo; quid sit mundus; quid certus amicus:
Fida quid & consors, & quid sit perfida coniux:
Orbis opes quid; quidue titillans gloria mundi:
Rebus in aduersis disces; non sorte secundâ.
Credere si non vis. credes, Crucis intus & extra
Cùm fueris iustis de causis pondere pressus.

Fabricio Bocatius.

EST ita. subscribo, Fabrici; nam rebus in arctis
Sors nos ex animo discere multa facit.
Sic alia est portu streperis affectio nautis;
Mox alia in vastis, quà furit Auster, aquis.
Ergò tuo lætare bono; quia discis, vtraq;
Quid sint sorte, Fides, Gloria, Mundus, Opes.

D. MICHAELI WIRTIO

podagrico.

De fonte acido penes Epperiess.

morbos curante.

Hôc acidas, de more, die plebs currit ad vndas,
Sueta malo ægrotos fonte lauare pedeis.
Namq; hâc (si verum est) ibi qui se luce rigauit
Aeger, ei totus sospes hic annus erit.
Vt, Wirti, valeas, ego deportabo podagram
Istuc Pegaseo crure poëta tuam.
Non cessabo lauare tuas prece, carmine, plantas,
Donec, Abantiades præpes vt alter, eas.

LE-

LECTOR BENEVOLE.

ADhuc paullùm te ſuſtine; &, ſi lubet, reſiduas etiam chartas, magis ad alienam, quàm ad meam valenteis laudem, pellege. Martius iſte tractus quoque Palladias educat proleis. Vt credas; aſpice. nam ideo fimbriam iſti meæ tunicæ non meam adſuo. Iactantię ſuboles eſſe nolim. Quis cordatus peregrino potiùs Genio, quàm ſuo, mallet clareſcere? Non tam magnus & amplus, quâm bonus & officioſus audire contendo. In hoc vitium (heu!) nos ætatis vitio pleriq;, immò omnes, proni; vt laudum illud poppiſma feramus. Sanè, non indignor, alij vel ipſius gloriæ pennis in altum ſuſtolentur; feliciùs

——————————*me mea terra tenet.*

Sunt mihi carmina: ſunt epiſtolæ; in quibus magnis (monſtrabo, ſi cupis) Architectis laudor. Sciunt hoc ex amicitiæ meæ receſſu multi. Sed illa iam non conuoco. quamuis mihi ſuppetant, Eobanum, Sabinum, Lotichium, Schoſſerum, Pannonium, & alios Deos poëticos, ſuo qui cœlo ſtellas etiam alienas, inſeruerunt. Sed

quis ego? Genus fatear? plebeium. opes? nullæ. fortunam? rara. Virtutem? infirma. Ætatem? exigua. fautoreis? modici. Amicos? fucati plures; veri pauci. Quid ergò? nemini nocere (pace, modestiâ tuâ dico.) prodesse conor multis. Perge, perge; non te pœnitebit.

LECTOR BENEVOLE.

Sed tu, Liuor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra: vel ede tua.

HV-

HVMANISSIMO ATQVE DOCTISSIMO V. D. Ioanni Bocatio, iuuentutem in ſcholâ Epperieſsinâ piis litteris erudienti, amico ſuo.

ACcepi carmen tuum, ornatißime vir, in quo talis appares, qualem te mihi Dominus Oſtroſith depinxit. Apparet enim te non tantum feliciter æmulari poëtas, ſed etiam verſus tuos Genium ſuum habere, teq; naturâ ſtudium hoc percolere. Cùm autem ego ſemper hactenus doctorum virorum amantißimus fuerim, præſertim autem eorum, qui Deum & virtutem celebrare ſtudent, & te in præclarorum eruditione hominum chorum properare iam animaduertam: lubenter & te mihi commendatum habebo, & conatus tuos honeſtiſſimos, quantum in me ſitum eſt, promouere conabor. Interea pro lepido tuo mihiq; iucundißimo carmine tibi munuſculum reddo qualecunq;. Si Dominus Deus preces tuas exaudierit, à me plus accipies. Interea valebis. Miſſæ Caſſouia 3. Septembr. Anno 1592.

Chriſtophorus

Liber Baro à Teuffenbach.

LITERATISSIMO ET HVmanißimo Domino, Ioanni Bocatio, ſuo percaro amico.

Legi

LEgi summa cum iucunditate versus tuos, carissime Bocati, mihi dedicatos. Ego in iuuentute mea similiter poëtico studio valdè sum delectatus, & semper, quando licuit, aliquid versiculorum scripsi: sed iam vocatio mea requirit alios labores, & alias curas. Et nihilominus, ex animo dico, per Musas tuas quasi renouatus & immutatus mihi videor; vt cùm bonum legam carmen, ad versiculos aliquot componẽdos exusciter. Cuius rei signum iam tibi transmitto, rogans, vt si quid hic minus rectè, minus poëticè & congruè sit scriptum, ipse corrigas. Te rogo, ne desinas optimum & tibi per naturam conuenientissimum percolere studium. Nam credè mihi, mi Bocati, quòd palpum tibi non obtrudam, cùm, te carmen scribere, dico,

Musis & Apolline dignum.

Vale. ex domo meâ.

Tuæ virtutis amans

M. Samuel Sauterus,
manu propria.

VIRTVTIBVS AC ERVDITIONE præstanti Domino Ioanni Bocatio, Scholæ Epper. Rectori, Amico nobis honorando.

Ornatissime vir, Amice nobis honorande,
Salutem.

HExametron, nobis missum, libenter legimus, & gratias pro munere isto agimus. Nuptias vobis feliciter euenire cupimus; quibus cùm nos quoq; interesse cupiatis, & id occupationibus impediti præstare neque-

re nequeamus, Egregio Domino Lucæ Fein, Cæsareo istic Tricesimatori, aliqua eo nomine in mandatis dedimus, quæ eum perfecturum non diffidimus. Benè valete. Cassouiæ vigesima Iunij, Anno Domini 94.

Georgius Hoffman,
Nicolaus Orlle.

ORNATISSIMO VIRO, DOMINO Ioanni Bocatio, Ludirectori Epperiensi doctißimo, Amico percharo, S. P. D.

ACcepi tuas litteras, vir ornatißime, accepi & Elegiacum libellum, legiq; perlubens. nam munus mihi fuit gratißimum, cùm ob carmen ipsum, docto ac poëtico planè stylo compositum, tùm quòd iuuentuti nostræ, non solùm quæ veræ nobilitatis sit origo, qui ortus, quæ incrementa, eruditè ostendis: verumetiam præcepta, regulas, & rationes, quibus pueri generis sui nobilitatem non modò tueri, sed augere, exornare & excolere poßint, præscribis. Habent igitur pueri nostri speculum, quod si subinde intuiti fuerint, dubitandum non est, quin, te præsertim præceptore & institutore, ad eam Nobilitatem, quam ex ortu acceperunt, animi quoq;, morum & vitæ nobilitatem sint addituri. Et quia in opusculo Georgij quoq; mei nomen extare voluisti, pro eo tuo in filium animo ac studio gratiam habeo: & filius aliquando, vt cætera quoq; tua merita, sic & hoc gratus accipiet. Nunc verò testandi sui in te vtcunq; animi gratia, Ioachimicos istos,

istos, quos in hunc vsum per præsentem tabellarium mihi, idem Georgius Humanitati tuæ offeret; quos peto, donec maiora præstiterit, æqui boniq; consulas. Benè vale. Cassouiæ 6. Aprilis, Anno 1595.

Tui amantissimus

Georgius Hoffman.

CLARISSIMO VIRO, DO. MAGIST. Ioanni Bocatio Lusatio, Poëtæ Laureato, Scholæ Epperiensis Rectori dignissimo, &c. Domino Amico nobis honorando.

Clarissime Domine Magister, Amice nobis honorande, Salutem & benedictionis diuinæ augmentum.

SI rectè Plato sentit, eam eloquentiam expetendam esse, quæ non futilia dicat, sed Deo grata: certè tantò rectiùs de Poësi id dici existimamus, quantò solet esse abusus poëseos maior. Ideoqúe cùm omni laude digni sint Poëtæ, qui artem conferunt, non ad ineptias, sed ad verum finem, videlicet, gloriam Dei, & salutem hominum: Certè tuum, Clarissime Domine Magister, studium non possumus non probare; quòd librum Syracidæ, qui præcepta sparsim tradit, in formam quasi locorum communium, eleganti & amabili stylo & fœcunditate redegisti; vt sperandum sit, quam plurimos iam suos mores ex eo ad gloriam Dei, ac ad sui aliorumq; ædificationem, qui verus finis est humanæ vitæ, faciliùs informaturos & instituturos esse. Deinde, amorem tuum, quem declarasti munere

pariter

pariter & honestâ de nobis sententiâ, libenter agnoscimus; Et quia virtutes sunt αὐλοξέφυντες: scias, nos beneficij tui memoriam, summâ cum charitate & beneuolentiâ semper retenturos. Interim tamen id, quod in præsenti Ciuitatis inopiâ parari tibi mittiq; potuit, quo es ingenio bono & liberali, boni æquiq; consulas, nosq; amare, & beneficio filij Dei Adolescentum studia feliciter regere pergas; cui te, nosq;, & Ecclesiam vniuersam vnicè atque ardenter commendamus. Leutschouiæ vltimâ Maij, Anno 1596.

Iudex & Iurati ciues
Ciuitatis Leutschouiensis.

HVMANITATE, ERVDITIONE ET pietate præstanti Viro, Domino M. Ioanni Bocatio, Rectori Scholæ Epperiensium solertissimo, Amico & fratri carissimo.

S. in Christo vnico æt salutis nostræ Autore.

LIbellum, à te mihi missum, Humanissime Domine Magister, accepi, vnà cum aliquot bonorum amicorum congratulationibus, quibus & meam nunc adiungo, & sincerè tibi gratulor, quòd rebus tuis Vitebergæ feliciter expeditis, in itinere, sanctorum angelorum custodiâ, conseruatus, tandem saluus & lætus ad tuos redieris; Et precor, vt Filius Dei in posterum tuæ œconomiæ suâ diuinâ benedictione adsit, omnesq; Scholæ tuæ labores fortunet, vt sint vtiles in Domino.

Pro

Pro munere mihi missio, vt aliqua erga me tuæ beneuolentiæ & gratitudinis extet testificatio, hisce tribus großis aureis te orno, quos vt boni consulas, & quæcunq; à bono amico proficisci possunt officia, tibi de me semper pollicearis, quæso, vtq; diu benè & feliciter viuas & valeas, ex animo opto. Leutschoßviæ vltimo Maij, Anno 1596.

Amantißimus tui

Antonius Platnerus.

CLARISSIMO V. PIETATE, ERVditione & virtutibus insigni, Domino Magistro Ioanni Bocatio, Poëtæ L. & Scholæ Epperiensis Rectori dignißimo, Domino & amico suo honorando.

Gratiam & pacem in Christo Iesu Domino nostro.

ORnatißime & doctißime Domine Magister, te saluum & incolumem Viteberga ad nos rediisse, non solùm lætor, verùm etiam tibi ob rem feliciter confectam gratulor, toto pectore Deum orans, vt honorem consecutum & præmia tuæ eruditionis debita, ad diuini nominis gloriam, Ecclesiæ, Scholæ & Reipub. vtilitatem, sicut facis, impendas. Quòd inter alios viros doctos, Vir clarißime, me quoq; huius tuæ Syracidæ patronum esse voluisti; fateor, eum tot grauißimorum & doctißimorum virorum iudiciis & suffragiis munitum esse, vt meo patrocinio vix opus habeat.

habeat. Et cùm opus ipsum commendet artificem: libellus iste tuus non solùm inuictus contra omnes maleuolos & inuidos (qui arrodere aliquid, sed imitari non possunt) stabit; sed etiam suam laudem & approbationem ab illis ipsis sciolis & Zoilis, licet non palàm, tamen in conscientiâ & corde eorum clàm merebitur. Cæterùm, cùm ex hac dedicatione Syracidæ tui, mihi quoq; adscripta, tuum candorem, beneuolentiam, & honestam de me existimationem, perspiciam, & à labore, eximiâ eruditione & laude tua ad me etiam aliquid laudis redeat: nefas esset, si tantum beneficium non grato animo susciperem. Et quis piorum & fidelium ministrorum Ecclesiæ tibi pro sanctissimis tuis laboribus, non ageret gratias, eosq; suo calculo non approbaret, cùm nunc multo faciliori ratione & maiori fructu in Ecclesiastico legendo versari queat? Certè, fateamur, necesse est, T. H. non solùm iuuentuti, verùm etiam omnibus Ecclesiæ ministris hoc opere inseruiisse. Vt autem ego saltem gratam animi mei significationem ostendam, mitto vnum aureum, & rogo, vt æqui boniq; consulas, ac magis animum meum erga te beneuolum, quàm munusculum ipsum respicias. Vale. Datæ Cibinij, eodem die quo tuas acceperam, Anno 96.

H. T.

Addictissimus

M. Georg. Trösterus,
Pastor ibidem.

EX EPISTOLA Dn. GEORGII HOFFMANNI, Cæsarei Consiliarij.

PErcurri tua castra: Deus bone, quàm scitè, quàm vtiliter disposita omnia: quàm valida & quàm multa ad conficiendum hostem illum tuum, imò omnium conquisita armorum genera. Mitto & ego, vt voluisti, militem, sed Tironem inermem, imbellem, imperitum: non inter legionarios illos tuos peritos & exercitatos: sed inter calones & lixas referendum. Quisquis tamen est, boni consulas, cùm heri primùm literis tuis sub vesperum redditis, iustum ad ornandum eum tempus defuerit. Benè vale. Cassouiæ 29. Martij Anno 1597.

Tuus tuo iure

Georgius Hoffman manu propria.

EIVSDEM.

S. D. Conspicuum inter Antesignanos Tironem video, quem is locum non tam sua virtute, quàm gratia tua, mi Bocati, meritus est. Stet vbi velit, militabit non infeliciter neq; ingloriùs, modò sub tuis auspiciis signisq; mereat. Cætera, quæ addis, etsi maiora sint, quàm mea fert vel natura, vel facultas, tamen ob præclarum tuum istud iudicium, & insignem in me animum, singularemq; beneuolentiam, non possunt mihi esse non gratißima: quomodo istam tuearis opinionem, tu videris. Domino Nicolao Orlle tuũ epigramma tradidi; gratum illi munus fuit: sed gratior animus,

mus, qui ad scribendum impulit. Credo, eum peculiaribus pro eo tibi literis gratias acturum. Pueros non est vt tibi commendem, cùm satis commendatos esse sciam. Stephanus si nondum rectè conualuit, vt valetudinem recuperet, quantum in te est, mi Bocati, cura, ac ipse benè vale. Cassouiæ 5. Aprilis. 97.

Tuus ex animo

Georgius Hoffman.

MECOENATIS
Dn. CHRISTOPH. DARHOLTZ, &c.

Salutem tibi tuisq; opto, & officia mea sincerè defero.

Scriptum & munus tuum Palladium animo candido, vir doctissime, suscipio, amoremq; tuum erga me maximè suspicio. Sacrasti mihi, meoq; sub nomine emisisti Castra tua, quibus turmam illam Bacchicam, acerrimum Pietatis hostem, ad internecionem vsque deuincere, aut ad colendam Sobrietatem reducere conaris.

Quo autem meo merito hæc ego à te? quem vnicus iste annus de facie mihi notum fecit, atq; interim omnem gratificandi aut benefaciendi occasionem mihi ademit. Sed quid non facit amor? Depingis me, non qualis sum, sed qualem me cupis esse. O sincerum sinceri amici studium! Dispeream, nisi amore & gratitudine tecum certare contendam. atq; vtinam in hoc certamine mihi herbam porrigas. Interim vt vel leui-

culam grati animi mei significationem edam: mitto tibi æratos atq; armatos aliquot principes, quorum operâ etiam extra castra tutò vti poteris. Vale, & me tibi commendatum habe. Ex Somiano tertio Non. Iulij 1597.

Obseruantissimus
tui

Christophorus Darholtz,
de Fynthâ, m. pp.

M. IOANNI BOCATIO, AFFINI *suo, Salutem dicit Seuerinus Sculteti.*

PEtis, clarissime affinis, vt ego quoq; in Castra tua poëtica expediam militem aliquem. Tardè & postremum omnium me mones: peccas & in hoc, quòd nullum militi meo locum assignas. Quid agam? amicitiæ & affinitati nostræ aliquid tribuam: petitioni tuæ annuam. Sed quia nullum locum (omnes enim stationes castrorum tuorum plenæ sunt militibus) pro satellite meo certum assignas locum, post principia stabit. mandabo tamen, vt strenuè pugnet, contra detestandam ingluuiem, pro sacrosanctâ Temperantiâ, præsertim contra Bacchum nostri Ecclesiastici ordinis hominibus imperantem. Proinde sumam hunc militem meum ex castris theologicis scripturæ sacræ & D. Augustini, qui in libro sermonum ad fratres in Eremo, Serm: 33. de scandalis & incommodis Ebrietatis sic scribit, &c.

Dm.

Dm. MICHAELIS KATHAY CAES. Cert. Equitum Capitanei, &c.

POst desiderio desideratam tui notitiam, Eloquentissime Bocati, in tantum me tibi singulari quâdam beneuolentia coarctasti, vt in posterum, vel absens, ad tui præsentiam arriuare cogar. Neque id mirum. Sæpè enim mutua conuersatione exoleti amores redintegrantur: ignoti verò conciliantur. Amabo te, prout decet, & tecum in eo partiario munere concertabo, ne plus à te amari ego, quàm tu à me officiis afficiri videaris. Ad extremum, meum est rogare, tuum verò præstare, vt Philippus frater meus doctrinâ & religione ita informetur, ne post tot sumtus laboresq; exantlatos, oleum & operã amisisse iudicetur. Tantò magis enim me tibi conciliabis, quantò eum plus redamaueris & expoliueris. Benè vale, & me, vt cœpisti, ama. Datæ Epperies 18. Iunij Anno 1598.

Tui amantissimus
Michaël Kathai, &c.

DOM. MICHAELIS WIRT, Iudicis & Notarij Epperiessini.

S. Etsi non tam elatam mihi clementissimus Deus mentem dedit, vt inanis gloriæ cupidus nomen meum passim celebrari exoptem; ac probè scio, me magnis virtutibus non esse ornatum: tamen quia tu, vel singulari erga me amore, vel bonorum persuasione motus, carmen tuum, honori meo dicatum, lucem

videre voluisti, par est, vt postpositis maleuolorum sinistrè iudicantium obtrectationibus, tuum erga me studium cognoscam & probem. Transmitto autem, per harum exhibitorem, exiguũ suscepti laboris præmium, amanter petens, vt boni consulas, & me omnia, quæ non solùm à pio magistratu, sed amicissimo homine proficisci possunt & debent, beneuolentiæ officia expectes. Deus, à quo omnes sunt potestates, votum tuum benignè confirmare, & tuis quoq; laboribus benedicere dignetur, vt ex scholâ tuâ, tanquam seminario pietatis, bonarum artium & linguarum aliquando prodeant viri, ad Ecclesiæ & Reipub. gubernationem benè instructi. Vale feliciter cum familiâ & toto cœtu scholastico. Raptim in festo D. Matthiæ apli, Anno Domini 1598.

EX EPISTOLA Dn. GEORGII HOFFMANNI, Cæsarei Consiliarij.

CArmina, de quibus scribis, mitti poterunt, siue Cæsari, siue, quòd mallem, purpuratorum intimis, per illos Cæsari offerenda.

De Iaurino tuo respondere hactenus non potui, curarum mole, vt scis, occupatus: Legi carmen: summa in re eruditio, facundia, prudentia: magna in verbis copia & delectus: in sententiis varietas singularis: figuræ adhæc & poëticæ inuentiones, vt multæ, ita lectu gratæ ac iucundæ; inter quæ illud non postremum est, quòd cum diuersarum nationum virtute res gesta sit, ita omnium laudes moderaris, vt æquè omnes au-

dacia

dacia inter se certasse, & nullæ alteris virtute cessisse videantur. Itaque & Iaurinum & Duces & milites habent, quod de suarum laudum precone sibi gratulentur.

Filios tibi commendo: quibus nulla sit, non dico dies, sed hora sine linea. Nam de victu, de commoda habitatione, in ista commensalium frequentia, te hortari nolo: cùm nihil earum rerum desiderari mihi pollicear. Vale. Cassouiæ 28. Iunij. 98.

Dn. STEPHANI HERTZEG, SEN. primarij Reipub. Cassou.

Salutem & omnia felicia precor.

QVòd minus hactenus literis tuis responderim, causa fuit, & occupationum mearum moles, & quòd aliquot dies, ob certa quædam negotia, domo abfui: nihil tamen neglectũ censeo. Libellus ille, vti quibusdam aliis, sic quoq; filio meo dedicatus, multò nunc ostendit illustriùs, quod mihi iam antè filius meus, tui amantissimus, non obscurè significauerat, ita te instituere discipulos tuos, vt inter fideles præceptores non vltimum locum mereare. Quò itaq; maior est præceptorum fidelium inopia, eò mihi carior esse debet tua erga filium meum diligentia, quam quidem omnibus officiis & studiis, quæ à me proficisci possunt, perpetuò celebrabo, inq; eius rei signum, hoc munusculum, nummum videlicet Arabicum, nomine filij mei, tibi offero, quem æquo animo vt recipias, rogo. Denique, qui has tibi meas literas reddet, numerabit etiam victus

nomine decem florenos, quantum videlicet per quartam anni partem soluendum est. Quod reliquum erit, dabo operam, vt id iusto tempore transmittere queam. De cæteris omnem meam, quam possum, operam tibi lubens defero. Datum Cassouiæ die 17. Iulij A. 1598.

ILLVSTRIS ET MAGNIF. DOM. Dm. Simonis Forgacz, Lib. Baronis de Gymes, Cæs. Consil. & Pincernarum Regal. in Hung. Magistri, &c.

Docte ac pie vir, amice nobis plurimum honorande; Post salutem plurimam & officij nostri commendationem:

Literas tuas, vnà cum historiâ recuperati Iaurini, versibus tuis comprehensam, rectè per Dom. Iohannem Fabricium accepimus, quod etiam à te magni muneris nomine habemus, cùmq; otium nobis ab istis festis diebus erit, eam nobis diligenter perlegi curabimus, eâq; nosmet ipsos reficiemus. Interea, quod à nobis in literis tuis flagitasti, id libenter præstitimus, cuius etiam exemplar his nostris inclusum hîc transmittimus. Quod reliquum est, te diu superuiuere & valere cupimus. Datum Herknechti 16. Iunij A. 1598.

EIVSDEM FILII Dom. Michaëlis Forgacz, Lib. B. de Gymes.

Salue mihi plurimùm, Musarum alumne.

Nimis sollicitè meam amicitiam affectas, tu tot doctorum

ctorum magnorumq; virorum amicus, quos nec Apollo ipse aut Pallas aspernetur amicos. Habes me vltrò offerentem, quod petis. Toto sinu te admitto. Quid ni autem? cùm per tui similes potiùs, quàm per me ipsum liceat mihi clarum euadere, & locum nomenq; inter doctos obtinere. Nam quod vos amici amore veriùs, quàm iudicio mihi tribuere soletis, studiosum me earum rerum profiteor, non possessorem. Amo literas, colo literatos, quid mirum si mea nubes à tot solibus colore tincta est, non suo. Sed vt boni duces in ipso feruore pugnæ fugere hostem, incitandis animandisq; militibus proclamant: ita vos segnitiam meam lentis passibus contenditis ad illa, edita doctrinæ sapientum templa serena, velut iam conscenderim, instigatis. Paratus ego sequi benè monentes. Sed multa sunt, quæ cursum meum tardant aut impediunt, quæ singula vt recenseam, non est necesse; morbi maximè & cura valetudinis, quæ multarum magnarumq; rerum gloriam mihi inuidit ademitq;. Sed hîc querendi locus non est. Pati & ferre nati sumus mortalia: Quousq; Deus & fatum permittent, enitemur. Ego ab acceptis tuis literis, in castris versatus sum Temperantiæ tuæ. nam quid aliorum dicam? Nulla est virtus, quæ his moribus, his temporibus plures desertores, pauciores cultores habeat. Eat mihi quis nunc in castra nostratium; vix erit, vt locum, quo diuertatur, inueniat, nisi fortè apud eos, quibus nimia gula fastidium induxit. Sed tamen milites tui strenuè pugnant, & bellè hîc quidem in chartaceo campo vincunt. Qui autem mori, seu po-

tiùs publico errori, quàm rationi magis vult obsequi, vapulet. Nullum vitium certiores grauioresq; pœnæ comitantur, quàm Ebrietatem. En à me quoq; ferentarium, qui telum suum à postremo agmine coniicit:

Ore canis, sus ventre, caper lasciuiâ, asellus
Voce sit; hoc monstrum non putridũ esse putes?
Quando vomis, stertis, saltas atq;, Ebrie, clamas,
Dissimilis monstro, si potes, esse nega.

Iam vale, & vt cœpisti, Heliconias Deas, iamdudum exulantes, in Hungariam nostram reuoca. Votum tuum pro me, & Illustri Domino patre meo, Deus optimus maximus ratum habeat faciatq;. Nos grati erimus & memores, quod breui re quoq; & munere testabimur. Dominum Iohannem Fabricium meo nomine plurimùm & officiosè salutatum volo; vtatur opto meliori fortuna & valetudine. Interim vale. Datum in valetudinario nostro Herknechtiano 16. Septemb. Anno 1598.

Amicus tibi & Musis
Michaël Forgacz, M. pp.

MECOENATIS MEI.

Clarissime & doctissime vir, salutem tibi tuisq; & mea officia defero.

HAc *ipsa horâ 8. ipso noctis crepusculo relatum est ad tuas literas à Magnifico responsum: quòd non prius rescripserit, in causa, indicat mihi suo scripto, fuisse phlebotomiam, quâ vsus, præteritis diebus officio manus in scribendo vti non potuerit. Petit à me, vt Gallo-*

vt Gallobelgicum Mercurium ad tempus ſibi accommodem: ſi iis libris carere poteris; tranſmittes: faciam ipſum voti compotem, eâ tamen conditione, vt libri iterum breui ad te redeant, quos poſtea tam diu apud te retinebis, quàm diu tibi viſum fuerit. Filioli noſtri ſint tibi iterum atq; iterum commendati. Breui filium Domini Georgij Szabo, communis noſtri amici, (quem iam apud me retineo) tibi tuæq; ſcholæ tradituru. Benè & feliciter vale. Raptim in Demethe ad lucernam 17. Decembr. Anno 98.

Tui obſeruantiß.

Compater

C. Darholtz de Fyntha m. pp.

IOANNES BALOGVS

Ioanni Bocatio Salutem.

Salue plurimùm vir ornatiſſime.

ACcepi tuam Troiam cum Hectore, Aiace. Gratulor patriæ meæ; quòd te talem præconem nacta ſit. Prædicari ab exteris, ſæpè ſuauiùs, honorificentiùs ſæpè. Quanquam adeò tu noſter es, vt noſtram etiam duxeris. Sic tu, Sabine, Poloniæ; ſic tu, Bocati, Pannoniæ. Iam te, tuo merito, certatim amamus, allicimus, attrahimus Hungari. Viue viue & flore; ô Vatum caput, ornamentum noſtrum! Amori non do; ſeriò dico & iudico, quod ſentio, &c. Quod mihi commiſiſti, hodie exequar & conſequar cum voluptate. Ego & mea te tuamq; officioſiſſimè ſalutamus.

Non-

Nondum Iuno Lucina. tu potiùs iuua prece, & vale. A feriis primâ. 1598. ex hortulo meo præsentibus hospitibus.

DOM. IOANNIS CRAVSII,

13. in Scepusio oppid. Prou.

S. P. Vir doctissime, & bonorum omnium amore dignissime, D. M. Bocati.

DVm hîc nunc in lectulo hæreo, stomachi dolore grauatus, offeruntur mihi Musæ tuæ, quas vt inspexi & perlegi, adeò mihi fuerunt iucundæ, vt dolor nonnihil remisisse videatur. Gratias tibi habeo, quas possum, maximas, quòd amicitiam, semel inter nos firmatam, tam iocundissimis honorariis gratam esse testeris. Vtinam & ego tibi tuisq; aliquando (quod equidem maximopere cupio) commodare possem: non paterer desiderari studium meum. Deum toto pectore oro, vt te, Virum clarissimum, diutissimè florentem & feliciter valentem conseruare velit. Antidorum accipe perexiguum; boni consule, & me amare perge, Ex lectulo Epperiessino.

T. certè omni studio
& officio

I. Kraus m. pp.

MAG. DOM. MICHAELIS FORgacz, Lib. Bar. de Gymes, &c.

S. P.

PLange, Bocati, & omnes tuæ Musæ. Amisimus heri Heroëm magnum, Hungariæ solem, patrem

meum

meum carißimum & omnium bonorum. Plange Bocati, *& omnes tuæ Musæ.* Nec plura. Vale. Datum Herknechti 21. Septemb. Anno 1598.

Lugens mœrensq;

Michaël Forgacz
m. pp.

RESPONSORIA
M. Ioannis Bocatij P. L.

AH, *Magnifice & doctißime* Baro, *quidnam audio!* Heri *sub vesperam accepi cum lætitiâ tui ad me Illustris Domini parentis; hodie summo manè legi tuas. Ibi mentio vitæ; hic mortis.* Vix *reprimor, quin curram & videam. Ante 12. horas ille ipse, quem tu rebus humanis exemptum ais, à me petebat, vt adolescentem ex meâ sibi scholâ mitterem, quem ex* Biblis *coràm voce clarâ scita sacrosancta legentem auscultare, & ore præuio, vel noctibus etiam, cum* Domino Iesu *sermones habere posset.* Nam *huius meminerat; se partem noctium, quæ iam longiores fiant, lectione sacrâ transmissurum.* I *iam nunc,* Adolescens, *accipe diuinum illum codicem, vt cordatus ille noster* Simeon, Simon Forgácz homo nomine, re diuus; *ne dolor tangat, vox angat; vicariam tuam vocem, per orificium illud religiosum in ipsum sibi cor immittat, & veræ fidei plenus & robustus, fòrs & annorum & huius æui satur (licet* Cæsar, patria, *& omnes boni,* Senem, *tam egregiè cordatum & vtilem, superis adhuc inuideant) pace sui* Saluatoris, *patriam iterum*

repetat,

repetat, nos in hoc tristi, per Mortem & Martem, orbe deserat. O Magnificè & mœstißime Comes! hæc, inquam, dum loquor, & lectorem tuo patri formo, instruo, ablego: madidum tuum lacrumis epistolium video, lego & ipse ferè iaceo. Meum votum; præsentia tanti Machaonis; patris nupera duntaxat hilara confabulatio; frons & nobiscum ad mensam confeßiuncula, non hoc polliceri videbantur. O Parcæ Parcæ! nihil vos puduit, illustrem hanc domum & Dominum sic inciuiliter inuadere? morem vobis rusticum inaudieram: quòd importunâ vestrâ calce, & æquo pulsetis pede pauperum tabernas, Regumq; turres; iam experior. Sed habet benè; vos Herus noster, vt hoc eum celaueritis, indice clandestino monitus, venturas præsciuerat. Valete rigidæ Dominæ; fila resecta iam alij finite. Ocyùs vos hinc mouete; dum iuris in illum habeatis amplius nihil. Hanc mihi, Generosißime Baro, iustam Atropos ipsa extorsit expostulatiunculam. En enim nocturnæ illius subolis astutiam; bellũ, quod gessit, non indixit. Vt hostis non rarò terga dare, immò procul abire & fugere se simulat, quò metu liberet, & securum faciat, nilq; respicientem vincat alterum: sic Mors interdum ægrotos decipit. Sed habet benè; Heros noster, Vlysse vigilantior, militiæq; domiq;, hosti suo fidem esse nullam didicerat. Iam panopliam adsumserat: iam stabat lumbis circumcinctus balteo per veritatem, & indutus thoracem iustitiæ, assumto scuto fidei, galeâ salutis, & gladio Spiritus, qui est Verbum Dei. Apostolus ita loquitur. Militauit iam bo-

nam

nam militiam, habens fidem & bonã conſcientiam, penes Regem regum, Dominum dominantium, in cœleſti illo exercitu. Is, quia ſemper hactenus legitimè certauit, & ad mortem vſq; fidelis remanſit, νικητήριον ſuũ, immarceßibilem illam vitæ & gloriæ coronam nactus eſt, quã ab ipſo accipiet nemo. Deniq;, quia ſemel iam tranſiuit ex Morte in vitam; nobiſcum viuere nauſeat. Licet nos illius obitum æquo animo ferre nõ poßimus.

Luget enim Forgacziana domus: mœret equeſter ordo: Hungaria hæc tota ſenio conficitur: ſqualent arma: Tu, Rodolphe Cæſar, cum tuis afflictaris. Quis enim fuit, quem omnes deſideramus? ſollertia ſimul & facto ſalutaris. Hic hic tu dicas Homere:

οἷος ἐκεῖνος ἔλιο βουλεύεμεν ἠδὲ μάχεσθαι.

Is cuiusmodi erat, ſeu pugnâ ſeu conſilio!

In ore & oculis omnium fortißima tui patris, nobilißime Comes, monumenta: pro patriâ & Chriſto ſuſcepti labores domi foriſq;. Tu Fides ne ſubtice; tu Mars teſtare; tu Gratitudo nunquam obliuiſcere. Si quis Pannoniæ vixit; hic vixit. Virtutem, immò Deum teſtem allego. Aſt fuit & fugit, de quo mihi ſermo. Proinde, tu Michaël, vt noſti, hoc etiam ex humanis vnum feras, & nobis defunctum virtute tua referas; quod te facturum ſperamus & exſpectamus. Si tam alta; tam præclara tua Indoles in te tecum diurnat; ſpes ſperata minimè nos decipit. Patri tuo non iam voueo, ſed faueo vitam æternam. Tibi dent ſuperi feliceis canos & annos; cætera iam pridem habere cœpiſti.

Hæc ad te ſcribo robuſtiùs, ne plus æquo ſuper obitu

vene=

venerandi tui pectoris lugeas, ψυχῆς νοσούσης ἰατροὶ λόγοι. *Quæ tamen quà tibi, vel me tacente, nota sint; nuper coràm degustaui. Si diei sciens ero, quo corpus defunctum ad sepulturam dabitis, ego quoq; lacrumis meis funus cohenestabo. Tu meliùs vale. Epperiesini 21. Septembr. Anno 1598.*

DOM. GEORGII CAPRONCI, *Cæs. Consiliarij.*

Clarissime ac doctissime Vir, Domine & amice plurimùm obseruande, Salute plurima ac officiorum meorum promptissima commendatione præmissâ.

CArmina per Do. Tuam diuersa, in gratiam horituli, filiolæ meæ Iudit, & congratulatorium de accessione dignitatis meæ, ab eadem vultu sereno ac candido pectore deducta, accepi, atq; Do. T. pro sua erga me tam syncera animi promptitudine & christiana precatione, maximas ago gratias, & defero mea studia & officia, quibus confidenter vti in omnibus possibilibus poterit. Faxit Deus Opt. Max. vt inter cæteros, & Domin. tuæ, iuxta in me fixam fiduciam, prodesse possim. Plures sunt, qui gratulantur mihi, sed adsunt quoque æmuli inuidi: at non curo eos; verùm Deo committo vindictam. Virtuti comes Inuidia. Sola miseria caret Inuidia. In reliquo Do. tuam cum suis charissimis felicissimè valere desidero. Raptim Cassouiæ 6. Decembr. Anno 98.

Do. tuæ ex animo ben. amicus

Georgius Kaprontzai, m. pp.

ALIA.

S. P. Quod nomen meum tuis elegantißimis versibus ad posteros transmittere volueris, tibi gratias ago maximas, & duos aureos nummulos, gratitudinis ergò, offero. De cæteris me ad omnia promptum habebis; & vtinam intra eadem pomœria poßimus habitare. Dabo tamen operam &c. Cassouiæ.

T.

S. Artnerus Notarius
m. ꝑpria.

ALIA.

Salutem plurimam, &c.

EIus quidem, Ornatißime Vir, vicine & affinis obseruandißime, animi eramus, vt Claritat. T. ad nos iam ad festum Natiuit. Domini aduehi curaremus: sed relatum est nobis, C. T. futuram conuiuam Gen. Dom. Christophori Darholtz, qui non minus, quàm nos præsentiâ C. T. delectatur. Sed vtut est, noster tamen, vt cœpisti, amicus & coniunctißimus esse non desines. Deinde rogamus vehementer, vt si fortè munusculo tuo poëtico, quo nos omnes quidem ornasti, non omnes respondemus, illud vitio nobis non vertat C. T. sed absentiæ fratrum adscribat. Ego verò hoc exiguum remitto, quod vt grato accipiat C. T. animo, rogo. Vale. Datum Brezeꝓwitzij 2. Ian. Anno 1599.

Tuæ Claritat.

Amicus
Andreas Brezeꝓwicij,
de eadem.

ALIA.

S. Quæ res adolescentibus plerunq; obesse solent, Vir Humanissime, vt in ignotorum virtute & eruditione præstantium virorum amicitiam illico venire non possint: ætas nimirum atq; pudor: eæ mihi ante hoc tempus semper impedimento fuerunt: quò minus Tuæ, Vir præstantiß. Humanitatis, mihi notitiam reddiderim familiarem. Cùm enim præclaram Nominis tui existimationem, non solùm ab honestis iuuenibus peregrinis in locis degentibus, augeri perciperem: sed etiam à doctis & magnis viris splendidiorem indies fieri intelligerem: libenter ego quoq; meis eam literis prædicassem: modò per ætatem aut pudorem mihi id licuisset. Nunc verò literis vt te, Vir clariß. visitem: occasio commoda me hortatur: ansam Patria mea dulcißima præbet: materiam carmen tuum, de recuperato Iaurino scriptum, mihi suppeditat. Cùm enim isto tàm excellenti bono recuperato hîc gauderemus: nostraq; Academia & Verbis & Facto toti Patriæ nostræ congratularetur: dici non potest: quantus cumulus veri gaudij nobis sit adhuc additus tuo illo carmine; à Dom. Frölichio, cuidam Doctori Legumq; Academiæ huius antecessori, transmisso. Quod, licet omnium calculo, cùm propter ipsius maiestatem, tùm propter figurarum elegantiam, per se sit bonum: tamen quia factum admirandum, & omnium literis & prædicatione condecorandum, continet, non modò fit optimum; sed etiam laudem à magnis & præstantibus viris consequitur maximam, &c.

Quæ

Quæ omnia cùm tu, Vir Doctiß. versu & bono & pulchro celebraris; atq; ita celebraris; vt non Patriæ nostræ modò, verùm etiam toti Christianorum orbi, qui præ nimio gaudio exultare, & præ lætitia gestire videtur, gratuleris: cur & ego Patriæ meæ dulcißimæ non gratuler? quòd ei à Deo Opt. Max. is sit datus; qui cum diuini Numinis gloria ita eius Scholam regit & moderatur, vt in turbulentißimo armorum strepitu Musas colligat, defendat, excolat, & propaget. Qui tuus conatus in gubernanda conseruandaq; Patriæ meæ Schola, (cuius & me surculum esse fateor) vt semper sit firmus atq; indefessus: faxit is, qui Turcos Iaurinenses deduxit in puteum interitus, & efficiat, vt verum sit semperq; maneat seminarium, quod celebret brachium Domini, & omni posteritati annunciet potentiam eius: Cuius protectioni te cum tua schola, atq; adeò Patria mea dulcißima, quæ, laborante schola, salua esse nequit, fideliter commendatum, benè valere opto; meq; tibi commendatum ex animo cupio. Argentinæ 3. Idus Ianuarij Anno 1599.

T. H.

summâ obseruantiâ colens

Daniel Fabinus Epperiensis.

ALIA.

Salutem in Christo Iesu, vnico æternæ nostræ salutis authore, H. V. precamur, cum studiosa officiorum nostrorum commendatione.

HVmanissime & Doctissime Vir, amice nobis honorande: In eam curam piis omnibus, maximè verò Magistratui, incumbendum esse, vt non modò Politia externa floreat; verùm etiam cum Ecclesiis, scholæ benè & laudabiliter constituantur, nemini, qui Christianam profitetur fidem, dubium esse potest. Etenim quàm vtiles & necessariæ sint scholæ generi humano, verbis explicari non potest, quippe quòd ex iis prodeant viri literis exculti, pietate, optimarum grauissimarumq; rerum cognitione, præstantes & conspicui, quorum opera indefessoq; studio, & Ecclesia Filio Dei colligitur, & iustitia subditis, summa omnium bonorum cum acclamatione, administratur. Hinc factum est, & non immeritò, vt seminaria Ecclesiarum & Rerumpub. Scholæ dicerentur. Hæc cùm sint extra controuersiam posita, Nos quoq;, cùm schola nostra nũc temporis Rectore destituatur, de idoneo aliquo alio, pio, docto, & modesto viro, in locum prioris surrogando, consilia instituimus. Etsi autem & alij quoq; in electionem venire potuerint; Nos tamen, illis omissis, Humanit. vestræ munus & officium Rectoris scholæ nostræ, (quod felix & faustum sit) offerimus, cùm aliis de causis, tùm quòd de eius pietate & eruditione nobis omnibus optimè constet. Et hanc Vocationem Humanitas vestra statuat verè diuinam esse, cùm omnium non tantùm Senatorum, sed etiam sanctrosancti Ministerij, & vniuersæ Communitatis, dulcissimo consensu, & nemine prorsus contradicente, peracta sit. Quòd ad nos attinet, Humanitati vestræ amanter & proli=

prolixè, omnia beneuolentiæ & humanitatis eximiæ studia & officia deferimus, eidemqúe in quibuscunque rebus necessitas postulauerit, patrocinium & defensionem, & sustentationem honestam, seu stipendium annuum, 80. nimirum florenos, & alios omnes reditûs, quos antecessores perceperunt, pollicemur. Ipse Dei filius, ad dextram patris sedens, faxit, vt hæc vocatio in sui nominis gloriam, scholæ nostræ emolumentum, & multarum animarum æternam salutem vergat. Hisce Humanitat. vestram Deo commendatam, quàm diutissimè rectè valere, exoptamus. Actum Epperies 20. Ianuarij Anno 94.

Huma. Vestræ

paratissimi

Iudex & Iurati Ciues

Ciuitatis Epperies.

ALIA

Clarissime Vir, Domine amice & fautor nobis honorande:

INprimis Cl. Tuæ, quòd nostram Rempub. quoq;, Opusculo suo, continenti vota Noui anni, inserit, nobisq; cum multis aliis honestissimis viris Nouum annum faustum esse vult & salutarem; gratias quas decet agimus. Deinde, verum Ianum, æternum Filium Dei, veris votis oramus, vt Tuæ Cl. nobisq; omnibus & feliciter clauserit veterem, atque annum nouum hunc, iamq; currentem, feliciùs aperiat atq; prouehat, ad sanctissimi nominis sui gloriam, ac ad vlteriorem nostri nostrorumq; in afflictissimis hisce Hungariæ parti-

bus, permansionem. Cæterùm, vt capiat præmia digna labor, hocce munusculum Cl. Tua animo liberali à nobis accipiat; ὅτε δὲ χρὴ φιλέοντα φιλῆσαι, *pro sua in nos beneuolentia, nostrum sibi amorem & candorem semper paratum sciat. Leutschowiæ vndetrigesimo die mensis Ianuarij, Anno 1599.*

Claritati T.

optimè propensi amici

Iudex & Iurati Ciues

Ciuitatis Leutschowiensis.

ALIA
DOMINI LADISLAI DRVGETH,
Lib. Baronis de Homonnâ, Comitis Comit. Zemplin, &c.

CLarißime Vir, *præceptorq́; quondam obseruandißime, certò constare* D. V. *non dubito, Patrem nostrum carißimum, piè memoriæ, Magnificum Dominum* Stephanum Drugeth *de* Homonnâ, *Comitem Comitatuum Zempliniensis & Vnghvariensis, è viuis exceßisse, qui huic regno nostro Hungarico, eiusdemq́; coronæ, in diuersis expeditionibus bellicis, non parcens corpori vitæq́;, cum effusione sanguinis sui, strenuè & fideliter inseruiit, nec inter cæteros proceres & Magnates regni Hungarici postremus fuit in re militari. Meretur igitur, vt lugubria carmina de eo canantur; In compositione verò carminum excellentiorem* D. V. *scio neminem in istis partibus superioribus regni Hungarici. Fretus itaq; beneuolen-*

tiâ

tiâ D. V. rogo eandem obnixè, velit nõ grauatim hanc prouinciam subire, ac Epitaphium in mortem Domini Patris nostri conscribere; Dom. Vestram ob laborem secundum votum & voluntatem eiusdem contentam me redditurum promitto, &c. Quòd autem superest, Deus Opt. Max. D. Vestram diu felicem & incolumem conseruare dignetur. Datum ex curiâ nostra Hoßamezõ 2. die Martij Anno 99.

D. V.

studiosißimus
& obsequentiß.
Ladislaus Drugeth,
L. B. de Homonnâ, m. p.

ALIA
CIVITATIS CASSOVIENSIS.

Posteaquam proxima hyeme M. Albertus Gradwerus, è Schola nostra, cuius ipse Rector biennium fuit, in Germaniam disceßit, ea nos inprimis, hos ipsos totos Menses, cogitatio tenuit, ecquemnam dignum haberemus, quem in Gradweri locum sublegeremus. Nam ipsa Iuuentutis nostræ frequentia, suo certè iure poscere à nobis publicè magnam curam videbatur deligendi, eius, qui ei Iuuentuti rectè atq; vtiliter præficeretur. Is cùm tu vnus, præter cæteros, multorum prudentium virorum testimonio & prædicatione, eo dignus munere videare, Magistrum te & Rectorem Iuuentutis nostræ scholasticæ, communi omnium suffragio, elegimus & vocamus, pensionesq;

omnes, stipendia commoda Rectorum reliquorum promittimus, & beneuolentiam nostram deferimus. Qua in re cùm facilè videas, ipsi quanti tuam, in instituenda Iuuentute, sedulitatem faciamus, erit tuæ Humanitatis dare operam, vt quam tibi scholasticæ pubis docendæ regendæq; curam atq; prouinciam ineundam & obeundam deferimus, læto atq; alacri animo prima occasione suscipias. De cæteris, te cum tuis feliciter valere cupimus, amicum responsum expectantes. Datum Cassouiæ die 11. Maij Anno 99.

Iudex & Iurati Ciues
Ciuitatis Cassouien.

ALIA.

Salutem ab æterno salutis
authore.

TErtia post decimam Septembri effulserat Eös,
Inq; poli medio tramite Phœbus erat.
Fortè recumbenti, & biduum mediocriter ægro,
Redditur Ausonio littera scripta stylo.
Sumo, characteres speculor studiosiùs, & mox
Nosco manum, propera moxq; resigno manu.
Vtq; resignâram, reperitur Epistola duplex,
Vna soluta modis, altera nexa metris.
Vtraq; nimirum, præclare & docte Bocati,
Pectore nata tuo, pollice arata tuo.
Vtraq; lecta mihi, placuit simul vtraq;, nempè
Vtraq; propenso plena labore fuit.
Quas cupida dum mente lego, relegoq;, subinde
Miror & inuentum, miror & artis opus:

Vndiq;

Vndiq; tanta meas subiit fragrantia nares,
Tantus vbiq; nitor, tantus vbiq; decor:
Tantus vbiq; lepos, culto vt mihi visus in horto
Sim violas inter siue sedere rosas.
Quippe quod est aliis benè consitus hortulus, in quo
Suauis odor floris versicoloris inest:
Id tua, crede mihi, fuit vtraq; littera, plena
Quæ simul officiis, deliciisq; fuit.
Hortus alit sapidos flores, benè fragrat amomo,
Suaueviret violis, suaueoletq; rosis:
Littera candorem redolet tua, spirat amorem,
Germanamq; sapit Musaq; mensq; fidem.
Sæpè sed vt flores inter viret herba, latente
Quæ calcaturos vstulat igne pedes:
Vna tuos inter flores sic herbula pungens
Hæret epistolio, Iane diserte, tuo.
Si quæ sit rogitas: ea sunt Encomia, quæ te
Digna magis: sed me iudico digna minus.
Constat enim, quàm sit sterilis mea venula, constat
Quàm larga ingenij flumina quanta tui.
Et licet Aônides teneris sectatus ab annis
Nunc quoq;, dumq; sinet Parca seuera sequar:
Non tamen hos titulos, laudes non assequar istas,
Ille mihi meritò nec tribuetur honos:
Queis tua me cumulat, nimio fòrs lapsa fauore,
Nec benè iudicio Pieris vsa suo.
Namq; nouenarum quamuis mihi casta Sororum
Numina cum claria sint adamata cheli:
Summaq; quantumuis fuerit mihi cura, flagrantem

Bellerophontæo *fonte leuare ſitim:*
Me *tamen arcta domi res, & popularis egeſtas*
Curſantem in media præpediêre via.
Hinc mihi Parnaſsi *montis iuga ſumma petenti*
Vix tenuem radix præbuit ima locum.
Atq; Meduſæas labris primoribus vndas
Vix mihi guſtandi copia facta fuit.
Vnde rudis, ſimplex, inculta, inamœnaq; Muſa,
Et minus in plauſus ambitioſa mea eſt.
Inde nec vt lauder; ſcribo: ſed ſi qua remanſit
Horula, pro libitu quæ ſit agenda meo:
Occupat hanc Flaccus, Maro, Naſo, Lotichius, &
Sæcula Maiorem *vix puto noſtra ferent.* (quo
Hos lego, dumq; lego, paribus quandoq; laboro
Pauca, vel imparibus, cogere verba modis.
Verùm ea non prælo aut cælo, non luce: ſed vmbra,
Emendaturis vel magè digna rogis.
Scilicet omne quibus punctum, quod proſit, & ægra
Corda quòd à triſti nube ſerenat, abeſt.
Quando igitur mea ſunt adeò tenuicula, quorum
Sat cutis: at modicum pleraq; carnis habent:
Menè coronandum, dignum vel honore putâris
Laurigeri? cui non Thyrſigero eſſe licet.
Parce, nec argutis me confer Oloribus, anſer
Gutture quem ſtrepero nolit habere parem.
Sæpè caua placidum quis currere lintre per amnem
Nouit, & in paruis eſt Palinurus *aquis:*
Non tamen illeidem tumido ſe credere Ponto
Auſit, & inſanis pandere vela Notis.

Alta

Alta petant alij, stratas mea cymba per vndas
Lusitet, à portu non procul acta suo.
Sic mihi non scopuli, *non* Scylla, *nec vlla* Charyb=
Sic rapidus vortex non metuendus erit. (dis,
Si mihi grandisonis titulis clarere negatur,
(Quorum nulla mihi cura, nec ardor inest)
Glorior, & satis est, quòd censeor inter Honestos
Mente, manu, vita, nomine, req; Viros.
At quia tanta mihi tribuis præconia, certum
In medioq; dari vis Helicone *locum:*
Dignaq; laureolo censes mea tempora serto,
Meq; nouis auctum fascibus esse cupis:
Quæ mihi vix vnquam poterunt obtingere, namq;
Viribus & meritis sunt grauiora meis.
Hæc eadem tibi vir præstans, tibi clare Bocati
Hæc animo & voto non simulante precor.

Vota Deus *firmet, tua sic non antè silescet*
Fama, *nec antè tuus diminuetur honos:*
Quàm Ver *flore nouo, quàmq;* Æstas *messe carebit,*
Fructibus Autumnus, *frigore tristis* Hyems;
Quàmq; dies æstiua breuis, nox longa: vicissim
Longa dies, breuior nox hyemalis erit.

Quod superest, benè viue, bonis bonus vtere fatis,
Et benè perpetuùm, docte Poëta, VALE.

Dabantur Cassoniæ 20. Septembr. An. 1598.
Tuus

Caspar Frank
m. ppria.

ALIA.

ALIA.

S. P. D.

ACcepi lepidos tuos phaleucos
Et legi querulos tuos phaleucos,
Vir doctißime Iane: vis resoluam
Nodum, carminibus suis disertis
Quem nuper dederat tuis Camœnis
Soluendum ingenio potens & arte
Francus noster amor decusq; nostrum.
At ne frangat & angat ista mentem
Posthac cura tuam, tuis petitis
Absq; ambagibus annuam, repandam
Secretum numeris quod eruditis
Musa Francica comprehendit, aures
Ergò da faciles, arare si vis
Samsonis vitula minus sinistrè.
Quod te sollicitum tenet, quod angit
Tanto tempore, Francicus docebit
Versus par monosyllabων: at iste est:
(Quodqúe Ius negat obtinere vi vis.)
Voces sunt igitur duæ, repugnant
Quæ plerumq; sibi, sed hæc in illam
Transit, littera si loco mouetur,
Ius & Vis. animum resume viue.
Non cogere mori, vigere sacrum
Et florere diu volunt poëtam.
Et Francus pariter Thebesiusq;

Tui

obseruantiß.

Ioh. Thebesius, m. p.

ALIA.

S. P.

TVos hendecasyllabos, Amice
Optatißime, ter trium Sororum
Cultor strenuè, chare mi Bocari,
Illos hendecasyllabos, iocosis
Nusquam non salibus, cauillulisq;
Mistos dulcacidis, & hei seueræ
(Si veræ modò) litigationis,
Arculæuè meæ refractionis,
Nuncios caperatulos amanti
Fronte, mente, volens, valens, fauensq;
Legi, multotiesq; lectitaui.
Sed quid hoc amabô noui? quid hoc est?
Mirer siue querar? tuis phaleucis
Atrocem mihi quòd dicam minaris?
Vim tantam mihi quòdq; machinaris?
Versus quando meos imeruditos,
Et nugigerulos, ineptulosq;,
Legandosq; rogo, rogas legendos
Vt mandare typis velim, retruso
Quos in scriniolo benè obserato
Ipse iudico perpetim premendos.
Ac, si fòrs renuem (velut recuso)
Nolim, siue velim, palàm minaris,
Quòd vel Iure velis id obtinere,
Aut si Iura tibi reclamitabunt,
Vim, fraudemuè strues meis Camœnis,
Eruas modò dum meas Camœnas.

Et sic

Surreptesq; mihi meas Camœnas,
Et sic me spolies meis Camœnis,
Meq; sic spolies meas Camœnas.
Ehodum bone Vir, quid hoc? quid hoc est?
Vnde Proteus hic inopinatus?
Vnde Practicus hic inusitatus?
Accusator eris? Amator antè
Qui (nî fallor) eras amiculusq;?
Et qui comis eras, nec efferatus,
Nunc fies tetricus, feroculusq;?
Dum, quod pace bona impetrare nescis,
Quodq; Ius negat, obtinere vi vis?
Euge, docte Vir, euge mi Bocati,
Non declino fori fores, forenses
Nec formido virosuè calculosuè:
Sed si tam benè Iurium peritus,
Si sagax & acutus es Poêta,
Prius, quàm mihi, vel meis Camœnis
Lis vel vis moueatur aut struatur,
Paruulum tibi complicabo nodum,
Nouellam dabo Quæstiunculamq;;
Vnum par monosyllabων habetur.
Par vnum, inquio, vocularum habetur,
Quibus vix, puto, vel potentiores,
Latiùs vel erunt patentiores,
Per quas Regna, domus, sacra, & profana,
Aut immota sua basi tenentur,
Aut euersa basi sua teruntur.
Et sunt tam sibi dispares, paresquè,

Ouis quàm paria oua, lacq; lacti,
Quàm sunt disparia, atra nox diesq;
Pares sunt ita: Quotquot Hæc, tot Illa
Constat literulis, & exarantur
Iisdem literulis & Hæc, & Illa.
Dispares ita sunt: Quòd Hac & Illa
Nil pugnantiùs inuicem, nihilq;
Obstinatiùs experitur Orbis.
Nam quod Hæc statuit, reformat Illa:
Quod Hæc suadet, idem recusat Illa:
Quod Hæc damnat, idem tuetur Illa:
Hæc Illam grauat, Hanc molestat Illa:
Si blandè monet Hæc, minatur Illa:
Si torum videt Hæc, renidet Illa:
Sed tamen, licet vndiquaq; tellus,
Vrbes, Regna, domus, sacra, & profana,
Tales experiantur Hanc & Illam;
Sunt cognatæ adeò, vel hinc, vel illinc
Si postrema, loco remota, primum
Cedat literula in locum, retroq;
Vel Hæc vocula, vel legatur Illa,
Hæc in Illam abit: Illa in Hanc, & vna
Mox fit altera: lectione, sensu.
Eia iam monosyllabas tot inter
Voculas, monosyllabæ gemellæ
Quæ sint, tam sibi dispares, paresquè,
Nobis dicito, amande mi Bocati,
Nodum soluito, docte mi Bocati,
Quem cùm ritè resolueris, deinceps

Litem

Litem intendere si mihi libebit,
Grandem scribere mî dicam licebit.
Interim benè viuito, vsq; & vsq;
Nobiscumq; perenniter valeto.

Cassouiæ Nonis Nouembribus An. 1598.

Tui

sincerè amans

Ca: Frank m. pp.

ALIA.

SAlue poëtarum doctißime & clarißime Domine M. Bocati, & Mokoschinum te redamantem, vt cœpisti, ama, ab eoq; omnia veræ beneuolentiæ officia tibi parata accipe, velut ego tua in me profecta amplexus sum singulari voluptate.

Verumenimuerò inter omnia Epigrammata, meo Operi Sacro nullum cultius, rotundius, & neruosius acceßit, quàm ex tua officina & incude elaboratum; & sanè tempestiuè mihi exhibitum est, tunc, cùm tabellarius noster Vitebergam iter adornaret, missus cum expensis edendo meo Sacro Operi, Munificentiâ Illustris Domini mei Comitis mihi fauente, deputatis in auro Num: 50. addito sumptu itineris fl. 25.

Doleo Dominum Balogum inter Epigrammata deesse; intermissum tamen officium compensabit aliâ occasione; neq; enim iam conquieuit in me spiritus poëticus, proritans me ad Prophetarum historiam in nostrum carmen redigendam.

Nunc ad te, Doctißime Domine M. Bocati, reuertor, tibiq; meum Epigramma, Operi Hungaridum nostrorum

ſtrorum præfigendum, (ſi dignum exiſtimaueris) ex tempore natum, mitto. Gratulor Patriam meam ornari tua elegantißima Poëſi; illam non ingratam tibi & mihi futuram, ſi mens ſpe bona fulta non fallit, auguror. Danielem Faginum, literarum mearum tabellarium, ſi in claſſem Diſcipulorum tuæ celeberrimæ ſcholæ receperis, erit mihi gratißimum; idq; vt haud illibenter facias, planè rogo; mea iterum in te conſtabunt officia. Vale Doctißime Domine M. Bocati, & Dominum Balogum ex me ſaluta. Datæ Lypſæ Teutonum Aprilis 29. Anno incarnati Chriſti 1599.

Tuæ clariß. Humanitatis
amicus beneuolentiß.
Leonhardus Mokoſchinus Vice-
Archidiaconus Eccleſiarum
Comitat. Liptouien: m. pp.

ALIA.

CVm te, docte nouem decus Bocati
Muſarum, decus artiumq; ſeptem,
Laudent propter Hyanthias puellas
Graias, Auſonias, Palæſtianas,
Sclaui, Teutonis, Hungari, Poloni,
Quos tu ſuauiter, annuente Phœbo,
Demulcesq; docesq; perſonasq;
(Iſtis artibus his tribusq; linguis
Quas in tot populis tot vrbibusq;
Es famâ meliore conſecutus
Hinc bacca viridante laureatus)

Demulcesq;, docesq;, personasq;
Ex hac vrbe cui dedêre nomen
Enascentia fraga molliore
Terrâ Pannonibus diu dicatâ:
Laudant nunc magis ad patrem quòd Albim
Lutheriq; Melanthonisq; busta
Longinquum capis his iter diebus
Magos stella quibus tulit coruscans
Ad cunabula dulciora Christi.
A Magis vt etenim Magister extat;
Sic hoc tempore adis gradum Magistri,
Sic fers obsequium tuis Magistris,
Sic hoc tu studio statuta firmas,
Quæ sancta ratione iußit esse
Diuino ingenio potens Philippus.
Ergò nec Boreæ ruentis antrum,
Canæ nec rigido gelu pruinæ,
Celsi nec niue candicante montes,
Vndæ nec glacie parum retentæ,
Sæuæ per iuga nec feræ vagantes,
Nec cincti gladiis feri latrones,
Nec te sollicitæ preces tuorum,
Nec mouent lacrymæ per ora fusæ,
Quin carpas iter & periculosum,
Quin carpas iter vtilißimumq;.
Ergò Pegasidum chorus Sororum
Tali te super astra voce tollit;
Est virtus tibi, nulla sola virtus,
Est constantia, fortitudo, candor,

Obser-

Obseruatioq;, eruditioq;,
Est industria, & ardor, & facultas,
Est virtus tibi, nulla sola virtus.
Ergò stella Magos vt illa duxit,
Felices tulit & Tonans supremus,
Reduxit simul ad suos penates;
Sic te sospitet, augeat, gubernet,
Cunctarum moderator ipse rerum,
Deducat comes Angelus reducat,
Lætum Pannonicisq; sistat oris.
Sic te, culte nouem decus Dearum
Ioannes, decus artiumq; septem,
Laudant propter Oreades, Napæas,
Ebræas, Latias, simul Pelasgas,
Sclaui, Teutones, Hungari, Bohemi,
Quos tu suauiter annuente Phœbo,
Demulcesq;, docesq;, personasq;,
Ex hac vrbe, cui dedêre nomen
Enascentia fraga molliore
Terrâ Pannonibus diu dicatâ.

Ioannes Balogus, Conciona-
tor Szilueñ. & Demeteñ. scr.

ALIA.

S. P. D.

CVm, Clariß. Vir, Domine & Affinis amicissime, inter excudendum, Commentaria tua Hungaridos relego, Deum immortalem, quantum illis delector!

Ita enim festiui libri isti sunt, ita docti, vt expleri nequeam mentem, ardescamq; legendo: quin non tuum, sed ipsius Apollinis aut Camœnarum opus esse videantur. Vnum verò in illis argumentum est, in quod quotiescunq; incido, toties suspiro, & apud intimum animum meum illud perpendo, deploro. Quodnam sit quæris? Scribis de miseria vitæ scholasticæ. O quàm vera: sed quàm indigna! Ad politum quendam Politicum: Hic (inquis) vulgus rude temnit, execratur nos qui Pierias docemus artes. O pietas, ô sancta fides, quoties ego hoc re ipsa experior? Et ad alium quendam nostri ordinis bonum virum, nostro hoc vitæ genere, nihil esse contemptiùs, nihil molestiùs, nihil pauperiùs, affirmas; Et hoc quis sanus negare ausit! Addis: Sustinemus nos cœlum humeris Atlantis ingens, Et fòrs conditio rudis bubulci est nostrâ potior: Infers: nec vlla nostris sors arridet conatibus: nulla datur, aut certè mala gratia. Sententias, mehercule, dicis, dicis oracula. Hæc enim ita rata ita firma sunt, vt firmiora dari non possint. Et in prouincia scholastica, ad Ornatiss. Iuuenem Dn. Dauidem Guttgesell, miseriis nostras viuis coloribus depingis: cui ego Propempticum, in eandem propè sententiam, sed non eadem arte, dispari calamo subieci: de quo quid senseris, in Epigrammate alio, ad me nuper dato, commonstrasti. Confirmatus nimirum meo es exemplo: & in puluere scholastico amplius nobiscum desudabis. Sed num etiam consenescemus? De te non habeo quod dicam: me voluntati diuinæ committo: & propter Iuuentutis

proter-

proteruam malitiam, plerorumq; etiam ingratitudinem, cum Poëta exclamo:

O ſocij neq; enim ignari ſumus antè malorum,
O paßi grauiora dabit Deus his quoq; finem.

Scripſi autem ἐπιγραμμάτιον in tuam Hungarida, quod vnà cum his literis accipies: Tu iudica: & ſi placebit, apponi cura: ſin diſplicebit, ad Garamantas mitte. Vale Vir doctißime, Muſarum decus; Affinis amicißime ſalue & vale. Burtphæ ex Piſtrino meo ad 18. Maij Anno 99.

Cl. T.

Candidè amans

M. Nicol. Erhardus Dalhemius Palatinus: Rector Scholæ Bartph. m.pp.

AD

DOCTISS. V. D. M. NICOL. ERhardum Dalhem. Palat. Gymnaſiarcham Bartph. cordatiß.

BArtphenſis bone Gymnasi Magiſter,
O & delitium nouem Dearum!
Quùm Guttgeſellius imperatum abiret
Scholæ examinibus Belenſis; ille
Phœbi Calliopesq; cultor; ille
Muſæ filius; ille amor bonorum:
Amicum volui monere paucis
Noſtrum verſiculis ſcholæ moleſtis
De laboribus; vt minus beatam
Hanc Spartam tolerare poſſet æquâ

Mente, ac tristia deuoraret omnia,
Exemplo monitoris, & procacem
Vulgi concoqueret subinde vocem:
Solum me querulum arbitrabar esse
Scholarum per acerba tanta regem.
Sed cùm te quoq; conqueri viderem,
Ipse in hæc citò verba sum solutus:
En vir iste graui eruditione
Longè celsior, atq; maior æuo
Te, quid non queritur simul, Bocati?
Sumpsi rursùm animos mareis; dolorem
Contra fortior ire cogitaui.
Non aduersa probè feruntur vni.
Est commune malum medela cunctis.
Tuæ virtutis & eruditionis
æstimator
sincerus

Io. Bocatius.

ALIVD.

SI decus ingenio, si gloria surgit ab arte:
Siq; decet gnarum pulchra corolla virum.
Si quoq; Pierides referunt sua præmia doctis,
Præmia, queis meritò segnis inersq; caret.
Certè dignus honos, te, præmia digna sequuntur
Bocati, Aonij lausq; decusq; chori.
In studiis alacer triuisti tempora multa
Doctrinâ laudem conciliante tibi.
Carminibus specimen scribendis sæpè dedisti,
Quæ propter laudem, nobile nomen habes.

Pro

Pro tantis ausis tibi præmia digna rependit,
Retribuetq; tibi commoda larga Deus.
Ac nunc Hungariæ longè digressus ab oris,
Limina Leucoridis cùm petis alta scholæ:
Scilicet vt capias summos virtutis honores,
Dignaq; pro duro præmia Marte feras:
I, pede felici, Musis gratantibus, almus
Candor eat tecum, cum pietate, comes
I, felix, felix: nostris onerataq; votis
Numina inoffensam dent superare viam.
Et pater omnipotens gressus fortunet, vt auctus
Saxoniâ referas lætus, honore, pedem.
At re confecta, fueris si sortè reuersus
Ad loca quæ naues Odera stringit aquis:
Odera stringit aquis, animos percellit Apollo,
Nempe vbi Francorum sunt vada: iussa cape.
Quos mihi sanctus amor, studium quos iunxit amicos
Iane salutabis nomine quæso meo.
Iane salutentur Vencelius atq; Pelargus,
Qui sunt Marchiacæ lumina clara scholæ.
Gratus ero, nostris fueris cùm redditus oris,
Pro reditu dicens carmina grata Deo.
Quod restat, placidus nostrum, precor, accipe votum,
Scripsit quod properans rustica Musa: Vale.

M. Nicol. Erhardus Dalhemius Palatinus, Gymnasij, quod Magnificus & Generosus D. D. Gregorius Horwath &c. fouet in Neerer, Rector: 26. Ianuarij Anno 96. perscripsit.

ALIVD.

DVm mihi Carpatiis fit Cynthius obuius oris:
Miror, namq; diu non mihi visus erat.
Miror, & obstupui, non hîc Parnaßia credens
Castra, nec Aonidum (munera magna) decus,
Mox Phœbus, non hæc nostri est angustia regni,
Nostrum ora imperium claudere nulla potest,
Ne me (namq; nefas) incerta sede vagari
Speres, hîc nostri membra requiro chori.
Nulla mihi regio, nullus mihi clauditur orbis,
Omne solum, tellus omnis vbiq; mea est.
Nunc quoq; Carpathio deprendi militem in orbe
Bocatium, nostris sedulum in officiis.
Huncce mihi tenerâ coniunxit ætate dicatum,
Hunc foui, & tinxi fonte labella sacro.
Hunc modò Leucoreas iubeo remeare Camœnas:
Vt tribuam facili publica serta manu.
Publica serta, caput quæ nobili honore coronent:
Hunniadum & constent vt mea regna solo.
Hæc cape, Iane, tibi sertum hoc tibi cedat honori.
Nobile & hinc æuum floreat omne tibi.
Nec non laude tuâ Hungaricæ clarißima gentis
Nomine, sint toto nobiliora solo.
I pede felici: nostras felicior oras
Mox repeda, & Phœbi sis decus vsq; chori.

M. Ioannes Rhau,
Rector Leutschouiensis.

ALIVD.

DVm scribunt alij certatim carmina Iano,
Qui capit en summi præmia summa gradus,
Carmina Laurigeri dum fundunt culta Poëtæ,
Qui leue Nasonis ritè sequuntur iter.
Ergò agè Bocati præsenti plaudito luce,
Menteq; sub tacita gaudia mille foue,
Omnes inclusas Musarum pectore dotes,
Namq; tenes clarij gloria summa chori:
Ergò quis inuideat meritis his liuidus? Ecquis
Non putet hæc precibus cœpta iuuanda suis?
Ipse preces promam tibi nunc ex sensibus imis,
Et pia pro docto carmina vota feram.
Vota feram Christo, studiis qui præsidet vnus,
Splendida dum nequeo carmina, vota feram.
Vt nouus iste gradus tibi sit felix, pariatq;
Perpetuum nomen, perpetuumq; decus.
Ipse Deus solus studiorum fautor & autor
Annuat his vobis, atq; secundet ea.

Martinus Brechtelius
Ciuis Cassouiensis.

ALIVD.

GLoria virtutis comes est, ceu corporis vmbra,
Sole quod in claro stat radiante loco.
Non hæc diuitiis, auro paratur auorum,
Hæc non delapsa ex æthere sponte venit.
Multo, crede mihi, sudore paretur oportet,
Quod doctis pariat nomen in orbe viris.

Exemplo est nobis tua virtus, docte Bocati,
Cui sunt Epperies tradita sceptra scholæ.
Nam quibus exuperes alios virtutibus vnus,
Et quas possideas cognitionis opes:
Testantur qui te ritè audiuêre docentem,
Ingenij testes sunt monumenta tui.
Hæc non immeritò cuncti miramur amici,
Hæcq; aliis, quibus est candida vena, placent.
Ergò iure tibi magni debentur honores,
Qui sint virtutis præmia larga tuæ.
En tibi serta parant Heliconis laurea alumnæ,
Teq; iubent memorem muneris esse sui.
Frondibus his igitur confestim tempora tinge,
Magna Magisterij nomina lætus habe.
Et nos ex animo tibi qui gratamur honores,
Fac iterum toto pectore frater ames.

Ioannes Gerstman scholæ Bartphensis Collega primarius.

ALIVD.

EGregium decus est, claro de stemmate nasci;
Et titulos patriæ posse referre suæ.
Sed maius decus est propriis clarescere factis,
Seu fiat valido Marte, vel arte bona.
Nam laus maiorum post funera concidit omnis,
Nec datur hæredi, patre cadente, nouo.
At decus ingenij propriâ virtute paratum,
Post obitum floret, post obitumq; viget.
Hoc, Regina velut, patulo dominatur in orbe,

Hoc ſpreti iuuenis tollit ad aſtra caput.
Et medios inter generoſo ſanguine cretos
Collocat, ac claros reddit in orbe viros.
Et quanquam radix virtutis acerba videtur;
Melle tamen dulci dulcius eſſe ſolet.
Non refert, quòd quis Mopſo ſit patre creatus,
Dum modò ſit clarus laudis honore ſuæ.
Hæc quoq; tu vigili Bocati mente reuoluens
Ipſe ſtudes propriâ laude iuuare genus.
Ipſe tuum nomen (quamuis ſit carmine clarum)
Clarius vt fiat condecorare ſtudes.
Dum procul hinc repetis dulciſſima Leucoris arua,
Vt clarum titulum nomen & inde feras,
Gratulor ergò tibi toto de corde, precorq;
Vt Deus omnipotens Dux velit eſſe tuus.
Hoc precor, hoc voueo, votis hoc omnibus opto,
Vt redeas ſanus, ſanus vt exieras.
Vt ſanus redeas, ornatus laude Magiſtri,
Et clarum videas nomen in orbe tuum.

Maximilianus Fabinus Sepuſius, Collega Epper. Scholæ.

ALIVD.

ERgò quòd Aonias coluiſti gnauiter artes
Iane tibi & Muſis eſt ſine dulce nihil,
Et magè quod libuit caput has efferre per artes,
Per quas conſiſtunt Curia, Templa, Scholæ,
Tempus quàm vanis vacuum conſumere rebus,
Gaudia vel mundi perniciosa ſequi,

En modò

En modò concedit ſummi Iouæ æqua voluntas
Scandere virtutis clara theatra tibi.
En tibi decernit meritos Academia honores,
Quam fouet Albiaco Leucoris alma ſinu.
Et confert titulum ſumma cum laude Magiſtri,
Atq; tuum prohibet nomen in orbe mori.
Nempe vigil clariæ ſudas ad culmina Cyrrhæ
Clarus ab innumeris dotibus ingenij.
Atq; Meduſæos non vltimus inter alumnos
Carmina præſenti numine plena canis.
Carmina ſic Charites, adeò ſpirantia Muſas
Effluere ex ipſo vt miſſa Helicone putem.
Vnde ſacer meritò Phœbus te curat amatq;,
Te cupit Aonios inter adeſſe choros;
Atq; etiam Iuuenis celebris regis Epperiani
Gymnaſij fidâ tradita frena manu.
Nunc igitur meriti tibi decernuntur honores,
Et bona pro ſummo ſumma labore capis.
Ergò tuo lætus manſuro grator honori,
Atq; nouo gradui proſpera quæq; precor.
Hinc ventura tibi celebris per ſecula fama
Surget, & æterno tempore ſtabit honos.
Hinc tibi viuacis præclara merebere laudis
Nomina, quæ nullo ſunt peritura die.
Perge tibi ſtabilem ſtudiis acquirere famam,
Quæ venit à ſtudiis fama perennis erit.

Adamus Kuniſchius, Collega docentium in ſchola Caſſouienſi, moris & amoris ergò F.

ALI=

ALIVD.

IAne ô Aonij Bocati gloria ſumma
Gloria ſumma chori.
Hæc optata dies fauſto ſe protulit ortu,
Docte vir ecce tibi.
Qua decorare tuum meritò feſtinat honore,
Dulcis Apollo caput:
Atq; parare tibi vernanti è flore coronam:
Dona Magiſterij.
Hoc meruit pietas tua, virtus, atq; labores
Hoc meruêre tui.
Macte nouis titulis: ſic famâ ſidera tangas;
Perge age, magnus eris.
Perge perenne tibi, tali ſuffultus honore,
Conciliare decus.
Ergò tibi imparibus, partos gratatur honores,
Noſtra Thalia mortis.
Faxit, vt impoſita æternùm capiti ipſa vireſcant
Florida ſerta, Deus.
Vt ſic ingenio, multis, curâ, atq; labore
Vtilis eſſe queas.
Dignus es hoc titulo, his meritis, hac laude per ora
Iam volitare virûm.

Amicitiæ ergô ſcripta
à Stephano Peregio
Caſſouieñ.

ALIVD.

ECquid adhuc rerum tangit te cura tuarum?
Ecquid adhuc titulis addis Iane tuis?
Quid facis? ô nimium mortalibus aspera Fata;
An linques temerè limina nostra precor?
Heu miserum qualem via te ducet ad Albim?
Fortè quoq; ignoti syderis arua petes?
Quis fugiat demens? Fatis parere necesse,
Albidos vt videas flumina, fata volunt.
Fata volunt: quo tu decoratus honore Magistri
Præmia Musarum digna fauore feras.
Ecquid enim melius, quid vitæ suauius est? quàm
Qui virtute sua, nomen & omen habet.
I pede fausto igitur, Duce Christo, docte Ioannes,
Vt Zephyrus cœptis spiret vbiq; precor,
Spiret vbiq; precor: Mauortia Pica facessat,
Neu cornix longum garrula rumpat iter.
I pede, carpe viam, felicibus vtere ventis,
Vt possis, præstent Fata, redire, vale.

Martinus Rosenman
Carponensis.

ALIVD.

SI dignum virtus titulum præclara meretur:
Gloria si doctis conuenit vlla viris,
Quis fraudare queat meritò te laude perenni
O lux Aonij Iane decusq; chori?
Nam benè tu pulchras es doctus Apollinis artes,
Naturæq; patent abdita quæq; tibi:

Quo

Quo nihil existit toto præstantius orbe,
Cætera non firmo stantq; caduntq; gradu.
Quò tibi laus igitur, quò nomen honosq; paretur:
Adueniunt meritis laurea serta tuis.
Id tibi nos cuncti vt faustum felixq; precamur
Esse velit summus qui colit astra Deus.

Stephanus Telegdius Vngarus, beneuolentiæ declarandæ, gratæq; recordationis ergò, faciebat Vuitebergæ.

EPIGRAMMA
ad
SPECTABILEM ET MAGNIFICVM Dominum Christophorum, Liberum Baronem à Teuffenbach, Equitem auratum, Cæsar. nec non Sereniß. Archiducis Austriæ Maximiliani Consiliarium bell. & Generalem superiorum Hungariæ partium Capitaneum, &c.

ISTud Otomanæ semen furiale Megæra
Hungarin atroci Marte cruentat humum.
Forsitan & Scythicæ laniantis acinacis iræ
Romano propiùs imbiberentur agro:
Ni, Teuffenbachi, scelus hoc tua mascula virtus
Cœlitùs indultâ mitificasset ope.
Vt tamen & Musas liqueat te iungere Marti
Et pollere togâ non minus atq; sago:
Perlege Siracidem non durâ fronte Bocati
Grande Poëtarum carmina pondus habent.

Vuitebergæ faciebam
Fridericus Taubmanus, Francus: Poëta & Professor.

ALIVD.

DE moribus piè docebat Socrates:
Platoq; Aristotelesq; par clarißimum
Scripsêre de virtutibus volumina
Non parua; quæ suæ memoriæ quis magis
Monimenta censeat relicta & gloriæ.
Virtus, colenda vt sit, quidem rectè docent,
Sed quæ timore cassa vero numinis
Non Christianam percipit præsentiam,
Finemq; nacta peßimum, menti nocet.
Pleno Dei sed quæ timore pullulat
Et corde surgit, sola virtus viuida
Hæc est, bonoq; fulta sub fundamine,
Casta fideq; nixa Christi sanguine.
Ergò piis quòd hanc doces laboribus
Notamq; cunctis esse docto carmine
Optas, Bocati dum Syracidæ libros
Sacros in ordinem ductos exhibes
Accommodo discentibus fusos metro:
Opus bonum Deo, bonis & omnibus
Gratum facis. Laudabiturq; & posteris
Nomen tuum; cœloq; merces te manet.

Ernestus Hettenbach Medicinæ Doctor & Professor, pro tempore Rector Academiæ VViteber.

ALIVD.

CArmine lasciuos multi modulantur amores,
Potandiq; artem non quoq; nemo docet.

Inq;

GRATIARVM ACTIO.

Qui largo corpus potúq; cibóq; refecit
Pascat & æterno pectora nostra cibo.

PRECATIO CONTRA TVRCAM.

O Deus humanæ spes unica & optima turbæ
Inclina ad nostras corda paterna preces
Huc oculos demitte tuos pater optime rerum,
Et lapsis rebus, tu potes, adfer opem
Tu Mahometigenum pro nobis pellito Turcã,
Errat enim medio cymba relicta mari
Mactantur miserè qui te pie Christe fatentur,
Scinditur in dubias Teutonis ora uias
Nos nomẽnq; tuum uindex fortißime serua,
Exaudi famulos conditor alme tuos.

IN ICONA D. MELANTHONIS.

Ista repræsentat mitem pictura Philippum,
Quo duce Germani Musica turba sumus,
Quo duce Pægasides priscum inuenere nitorẽ,
Et redijt Musis, quod fuit ante, decus,
Quo duce Cecropiæ redijt sua gloria linguæ,
Et caput exeruit Romula lingua suum.

DE PAVLO APOSTOLO= rum principe.

Nil Ciceronæum curo faciõue nitorem
Dum uoluo libros maxime Paule tuos.
Tanta tuæ currunt ornatæ flumina linguæ,
Vt iurem labris fulmen inesse tuis.

Esse

Esse quid hoc dicam? cœlesti numine plenus,
Cœlesti didicit nil nisi mente loqui.

DE PASCHATE.

Exultet toto quicquid modo spirat in orbe,
Sentiat ut bifidus iubila læta polus.
Vicit Tænariam domito Plutone paludem
Christus, & extincta morte trophæa tulit.
Languida facta iacent Stygij tormenta tyranni
Nec sua luctator fulmina dæmon habet.
Astrigeri ergo Dei clarũ celebrate triumphũ,
Pro nobis fracto quem Phlegetonte tulit.
Solis ad occasum, quæ terra est solis ad ortum
Gaudeat, & cantet Paschatos esse diem.

DE CONCORDIA.

Publica dic quando res floret, & omnia cedunt
Et nemo, de quo iure queratur, habet?
Cum felix socias nectit concordia mentes,
Quiq; præest alijs, quod iubet, ipse facit.

IOANNI STIGELIO.

Clare uir, & doctos inter celeberrime uates,
Quos uel habet Latiũ, nostra uel ora tulit.
Cum duce iam Christo nuptã tibi legeris aptã,
Cui caste dicas, tu mihi sola places
Tu mihi sola places & tu mihi sola placebis,
Dum mea adhuc aliquis spiritus ossa reget.
Perlege legitimas referentia carmina tædas,
Carmina felicis præscia signa thori.
Non plenè nostro carmen respondet amori,
Quale tamen cunq; est, consule quæso boni.

Non

Nō hodie, ut cupio, possum cōponere uersum;
Dum formo mores cara iuuenta tuos.
Ocia carmen amat, curam geniúmq; requirit,
Quod celebret tædas Iane diserte tuas.
Viue uale Clarijs succurrere nate Camœnis,
Non nisi Mœonio carmine digne cani.

DE COMMODIS MATRIMONII carmen, scriptum in nuptijs Ioannis Stigelij poëtæ pij & docti.

Non hîc obscœna scribam de Laide uersum,
Nec referam Cypriæ gaudia cæca Deæ
Hîc ego conabor parcis deducere uerbis,
Quæ sint legitimi commoda uera thori.
Degeneres ualeant fœdo cum carmine uates
Vix digni truncos inter habere locum,
Qui sacra deformant studia, et præclara reperta
Prorsus ad inuidiam garrulitate uocant.
Et iuuet & prosit sacræ pictura poësis,
Ars nata innocuas ire redire uias.
Hinc uates niueos iactant insignia cygnos
Quòd Christi laudes & pia facta canant.
Ast ut eò redeā quo sum digressus, hic ille est,
Quem super est ueri gratia larga boni,
Legitimi quisquis curans pia fœdera lecti
Vxorem castam repperit atq; piam.
Non Venus aut Iuno thalamū sanxere iugalē,
Instituit socium sed Deus ipse thorum,
Et iustas præsens tædas ornauit Iesus,
E lympha faciens pro bonitate merum.

Ergo quis ingressus Christo duce uincula lecti,
Quæ sint coniugij præmia uera, uidet.
AEterni sequitur mandata uerenda parentis,
Et discit miti pectore ferre crucem.
Sobrius, ingenuus, casus est fortis ad omnes,
Exercet uera relligione fidem,
Qua sola Domino iusti reputamur, & illam
Ingredimur, quæ nos ducit ad astra, uiam.
Ridet fallacis ludibria gaudia mundi,
Mordacísq; minus corde doloris habet.
Ac Paphios ignes & desidis ocia uitæ
Vitat, nec dubijs pendet imaginibus.
AEstuat & procul est à ueræ tramite uitæ,
Illiciti quisquis uulnus amoris habet.
Commodius multò studijs incumbit honestis,
Et minus ex omni parte ruboris habet.
Constantem retinet dubijs in rebus amicum,
Ac uerum ueræ pignus amicitiæ.
Quæ uenit à Dño coniux thesaurus habenda,
Vxor enim à Domino non aliunde bona est.
Vt decet, hæc orat, hæc fida ministra laborat,
Exhilarat thalamum nupta pudica pium.
Dulcia confusæ præbens solatia menti,
Dependet collo sarcina grata tuo.
Oblectat lætum, tristem solatur amicè,
Erigit alloquio pectora mœsta suo.
Illa domi & blandos comes est iucunda per hos,
Res agit, & partas sedula curat opes.

Informat

Informat dulces communia pignora natos,
Hóſq; docet uera mente timere Deum.
AEgrota eſt dño Podalyrius atq; Machaon,
Dum ſedet ad patrios officioſa lares.
Sed mihi tã facile eſt deſcribere cõmoda lecti,
Quàm facile eſt lingua deficiente loqui.
Quale etenim te cunq; malũ turbátue premít=
Commodior uelis hinc uenit aura tuis. (ue,
Ergo Poëtarum decus & laus uera Stigelli,
Et mihi germani fratris amate loco,
Cum uitæ ſociam celebrem uirtute puellam
Legeris & patris conſilióq; Dei,
Ingenio claram, nulli pietate ſecundam,
Moribus & niuea dexteritate parem,
Gratulor & uerè ſortem tibi gratulor illam,
Atq; tibi ex animo fauſtũ Hymenæa precor.
Et ſidus patriæ cæſtiſſima Barbara terræ,
Virgineos inter gloria uera choros,
Omnia quæ ſpernis generoſa Barbara mente,
Et cupis egregij uatis inire thorum,
Quæ dote ingenij doctas Heroidas æquas,
Atq; potes Charites inter habere locum,
Gratulor adplaudóq; tuis hoc carmine tædis,
Ac tibi coniugij commoda mille precor.
Gratulor inprimis talem tibi uirgo maritum
Cui clarum nomen prima iuuenta dedit.
Qui puer ornatus Daphneide tempora lauro,
Excoluit ſaltus Calliopea tuos.

Iam ſuaui æſto ſuccedit carmine uati,
Martia quem nobis Heßidos ora tulit.
Nam ſi non ſuperat Pelignum carmine uatem,
Certè illi merito proximus eſſe poteſt.
Quælibet illuſtres miretur terra poëtas,
Et iactet uates Italis ora ſuos,
Dum modo Stigelio tribuāt in carmine palmā,
Laudíq; adſcribant Teutona terra tuæ.
Singula quid referam? ſolus quid poßit Iolas,
Illuſtrans ſomnum Carole Quinte tuum.
Conſule ſollicitos uel habēt quos Phocidos am
Mitib. aut ſtudijs qui inuigilare ſolēt. (nes,
Quale uel Auguſti ſcripſiſſet tempore carmen,
Vel Macedū princeps dū ſua ſceptra tulit?
Munera magnanimo uel Cæſare digna tuliſſet,
Famáq; impleſſet ſolis utramq; plagam.
Cunq; ſacras nemo ſuperet Permeßidos undas,
Qui cubat ad patrios ſegnis inérsq; foros,
Ille tuus ſponſus placitis digreſſus ab oris,
Multa tulit terra, multa pericla mari.
Turingi præter naturam plurima adiuit
Regna per ambiguas tantum adeunda uias.
Diuerſos uidit populos regéſq; ducéſq;,
A quibus exceptus non ſine honore fuit.
Es locuples teſtis Dacij rex inclyte regni,
Carminis es teſtis terra Britanna mei.
Eſt etiam ueris à Cæſare honoribus auctus,
Geſtat & in clypeo ſigna probata ſuo.

Nec

Nec nummis meruit nec fœdo insignia fuco,
Virtutis quod habet nomine nomen habet.
Multi etenim titulos & inania nomina iactant,
Nil animo ueræ nobilitatis habent.
Est aliquid clarum doctrina acquirere nomen,
Quæ uenit ex merito gloria iusta uenit.
Adde quòd innocuo deducit carmina plectro,
Et celebrat laudes optime Christe tuas.
Quódq; decet uates, acri non gaudet Iambo,
Sed peragit uitam non sine laude piam.
Hinc & fatidico uerè placet ille Luthero,
Et tibi Castalij uita Philippe chori.
Hinc etiam est uerè facundo carus Ionæ,
Ac tibi Cecropiæ lux Ioachime domus.
Atq; alijs, quis .n. numerauerit ordine, nostris
Temporibus quorum nomina magna uigẽt?
Ah quantum est, tales Heroas habere patronos
Laus est principibus uera placere uiris.
Ergo Deus thalamo quia uos coniũxit in uno,
Iam uestrum læti tollite ad astra caput.
Ambo felices concordi uiuite lecto,
Credentes Domini non procul esse diem.
Vt decet, útq; licet, iucundam uiuite uitam,
Pandite lætitiæ candida signa nouæ.
Ipse Deus multa faciat uos prole parentes,
Fortunétq; noui fœdera iusta thori.

ODA AD STIGELIVM.

Turgidos iactent alij smaragdos
Et caput uendant dubias per oras

Congerant aurum, Tyrióq; uestes
Vellere tinctas.
Ambiant fasces Lybicósq; campos
Fulgido pascant oculos monili
Ambulent aula, Parióq; ductis
Marmore tectis.
At secururæ memores salutis
Nos Deus noster beet optimarum
Artium cultu, modicáq; seruet
Sorte Stigelli.
Vt uenenati speciosa mundi
Gaudia, & luxus Sybariticorum
Et uagum uulgus fugiamus, atq;
Turpia lucra.
Et salutares, pia dona, Musas
Ac pias uere ueneremur arteis
Quæ iuuent, prosint, aditúmq; monstrent
Sidus ad altum.
Educat quicquid spaciosus orbis
Inuidum tollit uitiátq; tempus
Sola cum sacris bona fama Musis
Effugit hostem.

AD IMITATIONEM AVSONII.

Fune gulã stringens auro plenam inuenit ollã,
Et sumpto, laqueum, munere, ponit humo.
Amissa gaza qui condidit Euclio nummos,
Inuento laqueo pallida colla ligat.

FORTVNA.

Cæa

Cæca uolubilibus Rhamnusia flexibus errat
Ludit, lascia quæ stat in orbe Dea.

AD LVCRETIAM.

Constans dum stricto figis tua pectora ferro,
Tecum abit immenso qui fuit orbe pudor.

AD GERMANIAM.

Quando erit ut miseris tandē moueare querelis
Ac pellas rabidos Marte fauente Getas?
Hactenus & ferro & tormentis nescia uinci,
Iam pateris nomen succubuisse tuum?
Si quid habes, ut habes, cerebri Germania sani,
Ardua pro patriæ bella salute geras.
Pelle pharetratum diuini nominis hostem,
Vtere flamma, undis, utere Marte, tuba.
Crede, tibi fausto succedent omnia Marte,
Ac priscum magno surget honore decus.
Terga dabūt Christū contra fera bella gerētes
Porriget & famulas barbara terra manus.
Sceptráq; cum magna uictricia laude tenebis,
Cantabunt laudes postera sæcla tuas.

PRECATIO D. PHILIPPI
carmine reddita.

Omnipotens & uiue Deus, fortißime iudex,
O sine principijs ô sine fine pater.
Te pater haud dubio ducens suspiria corde
Inuoco, nec ficto pectore fundo preces.
Respice me solū propter, tua munera, Christū,
Nos tibi qui solus conciliare potest,

Quē, ne conuicti cæcam ingrederemur abyssum
Passus es, indigné flagra crucémq; pati.
Me rege, sanctifica, serua me pneumate sancto,
Ne Phlegetontæo uictus ab hoste cadam.
Collige, flecte, foue, tua qui pia iussa uerentur,
Qui tua templa colant, collige, flecte, foue.
Da pater optatæ felicia tempora pacis,
Tempora nominibus non inimica tuis.
Próq; tua nobis uictum bonitate ministra,
Nósq; doce sanctas ire redire uias.

SYMBOLVM APOSTOLORVM
per P. Suederum.

Vnum mente Deum credo uenerórq; fideli,
Qui regit arbitrio cuncta creata suo.
Quémq; innupta Deū concepit fœmina Chri=
Numinis adflatu uiuificante sacri. (stum,
Qui, ne Tartareā cuncti ingrederentur Abys=
Pro nobis mortem duráq; fata tulit. (sum,
Mortéq; deuicta fractóq; Acherōte triūphās,
Astra grauis Iudex, pòst rediturus, adit.
Te quoq; credo fide simili spirabile numen,
Omnia sanctificas qui bonitate tua.
Et te communi, sanctißima concio, uerbo
Tristia peccati soluere uincla reor.
Nec dubito reducem deserta ad corpora uitam
Vitam quæ stabili lege perennis erit.

VIS MVSICAE.

Musica tristitiam depellit Musica curas,
Nonne satis magnum Musica robur habet?

Timo

Timotheus fregit crudelem uoce tyrannum,
Nonne ſatis magnum Muſica robur habet?
Publica ut eſt ſomnus cuiuis medicina dolori,
Vt fouet officio cœrpora feſſa ſuo:
Sic animos hominum recreátq; tenétq; iuuátq;
Muſica ſollicitos pellere docta metus.
Somnia ſi placidam turbant tibi nocte quietem,
Atq; animus dubijs pendet imaginibus,
Siue cupis ſtudijs animum intendiſſe ſeueris,
Blanda tibi promptam Muſica præbet opẽ.
Pectora diuerſis uidi malè ſaucia curis,
Et non Pœonia reſtituenda manu.
Vidi ego non paucos in luctus gurgite merſos,
Integrè ad placidum conualuiſſe melos.
Si ſonus è terra dulci cum carmine abiret,
Et fugeret ſocium Muſica grata chorum,
Triſtitiæ comites, mœrórq; dolórq; metúſq;
Inuiſa quaterent regia ſceptra manu.
Sit tibi fertilibus quicquid depromit ab aruis
Mœdus, & aßiduis ſolibus uſtus Arabs,
Si te nil prorſus blandißima Muſica tangit,
Quercubus & truncis adnumerandus eris.

AD PVERVM.

Ad claras poſtquam ceruicem erexeris auras,
Chriſto quas debes fundere, funde preces.
Iure tuæ careant ueſtes, ſit fimbria munda,
Nec ſit ab heſterno ſordida palma luto.
Non uolitet curua rigidus ceruice capillus,
Stillet & è cornu ſtiria nulla tuo.

M. LVTHERVS.

Sobria per magnum redijt doctrina Lutherum
Prodijt & uicta nube serena dies.

P. MELANTHON.

Exulib. reparat Musis decus omne Melanthō,
Et Christi inuictis ornat ouile libris.

I. IONAS.

Mille pericla subit pius & facundus Ionas,
Extendit nomen dum pie Christe tuum.

I. BVGENHAGEN.

Per freta per terras, uarijs Pomeranus in oris
Ambulat, ut ueram monstret ad astra uiam.

DE VERE.

Omnigenis nitidi pinguntur floribus horti,
Aurea milleno prata colore micant.
Quis florum dns? Solus qui cuncta gubernat,
Quicqd id est, supera non nisi ab arce uenit.
Nō tenuē uiolā mutántue creātue Monarchæ
Quos uel habet Latiū, Græcia quos uel ha=
Hac agnosce deū semper ratiōe potentē, (bet.
Quo sine mortales turba relicta sumus.
Sit tua spes Christus, rebus nec fide caducis,
Felix in domino qui cadit, ille cadit.

MORS.

Inuida nec precibus, fuluo nec flectitur auro
Mors, rapit et tollit quicquid in orbe uiget.

VIRTVS.

Corpora debentur bustis, deridet at urnam
Virtus iniustæ nescia sola necis.

Mandata curantes Dei
Nigros repellunt ſpiritus
Nobíſq; læta nunciant.
Veram fouent Eccleſiam
Artes tuentur utiles
Scolaſticis adſunt pijs
Beatam alunt concordiam.
Hos ne fugemus ſpiritus
Ventris grauati gaudijs
Tu ſumme rerum conditor
Nobis adeſto iugiter.
Fac corde puro & ſimplici
Mandata curemus tua
Ne qui dies mundo imminet
Nos oſcitantes opprimat.

DE VITA BEATA.

VItam quæ faciunt beatiorem
Hæc ſunt, credito, care Chriſtiane,
Peccata agnita concione legis
Deplorare, queri, dolere, flere,
Et mentem miſerámq; territámq;
Ac certamine ſauciam ſeuero
Verbi fonte Dei ſalubriore
Per Chriſti meritum crucémq; duram
Tranquillare, rigare, roborare,
Et uitæ nouitate Chriſtianam
Exercere fidem, atq; ita ambulare
In uero Domini Dei timore
Iniunctámq; ſequi uocationem

Et qui non procul est, paratiore
Expectare animo diem supremum,
Hæc uitam faciunt beatiorem.

IVVENIS ORTHODOXVS PAPISTAE SENIORI.

Ergo adeo cæcæ capiunt tua lumina noctes
Vt nequeas pulsa nube uidere diem?
Fama meas nuper constans peruenit ad aures,
Te facere Ausonium numina summa Iouem,
Heu nimis est uerũ, meminisse pigétq; dolétq;,
Diceris à Latij partibus esse Dei.
Vnde hæc impietas? unde hæc persuasio menti?
Vnde tibi fictæ relligionis amor?
An tu Romuleis mauis confidere laruis
Atq; sequi Papæ, quàm pia iussa Dei?
Corrige & emenda uitiatæ munera mentis
Et tibi si non uis parcere, parce animæ.
Fide Deo & fluxos mundi fallacis honores
Sperne saginatos toxica ut ipsa lupos.
Ac fuge degeneres Plutonia fulmina Papas
Et Franciscanæ cætera monstra domus.
Vlterius noli rasæ seruire cohorti
Quæ didicit nummos præter amare nihil.
Erratum satis est, Christo iam porrige mentẽ,
Est tempus, nugis non adhibere fidem.
Est leue peccatum cecidisse, sed esse tenacem
Erroris, nullum maius in orbe malum est.
Humanum est labi, turpe est non surgere uelle,
Qui uidet errorem & corrigit, ille sapit.

Si mo=

Si mō Romanos Christo duce spreueris nostes
Mille mihi facies gaudia, mille tibi.
Te præbe facilem, Christo iam fidere disce,
Crede, tibi contra dicere nemo potest.
Nos sumus astriferi nomen defendere Christi
Non hominum nati sordida iussa sequi.
Vincere duricia ferrum atq; adamanta uidere,
Et potes humanæ mentis habere nihil,
Si te Romanæ non tangant fulmina pestis,
Ac poßis tonsos iam coluisse patres.
Extulit ante Deum ueterum Papa ossa Deorū,
Et fœdas bullas extulit ante Deum.
Multiiugo extrusit uilē pro munere pannum,
Vendidit & miseris ossa inhumata uiris.
Turpe quidem dictu, sed cogor scribere uerū,
Vix numerus Papæ fraudibus esse potest.
Quòd si cuncta uelim iusto deducere uersu
Ilias est operi longa futura meo.
Cerea distraxit spaciosum sacra per orbem
Quàm Papa hac melius parte propola fuit.
Quem referat quæris? rectè cognoscitur illo
Cerberus & Stygij cætera turba lacus.
Non ego iam refero Niobes mendacia casus,
Fraudibus impleuit solis utramq; domum.
Seruorum seruum se dicit, & omnia seruat,
Inq; Deos aliquid iuris habere cupit.
Septimus Henricus perijt quo funere Cæsar?
Arte Papæ, dolor est, toxica dira bibit.

Quartus qua perijt Conradus morte Sueuus?
Ausonij manibus concidit ille patris.
Hunc potes amplecti? potes huic seruire Baali?
Ah idem est lapides & coluisse Papam.
Ah quoties Latiæ reminiscor fraudis & artis
Ora super lacrymæ fluminis instar eunt.
Turingæ segetis citius numerabis aristas,
Et quot producat Trinacris Hybla fauos,
Quàm tibi Romuleæ referantur tormina frau
Ac fiat Latij mentio iusta lupi. (dis,
Pro diuis lapides & sordida uendidit ossa,
Dona tulit uotis uberiora suis. (be,
Adde ego uera loquor, pueris & constat in or=
Vendidit astrigerum, quo caret ipse, polũ.
I nunc & Latij iacta pia facta parentis,
Et seruanda bonis Romula iura uiris.
Non ita uixerunt quondam Paulúsq; Petrúsq;
Hoc non est Petri sancta statuta sequi.
Sollicitum tenuit Petrum sola area Christi,
Hic mouet abiecto bella cruenta libro.
Ille inopes iuuit, sine fine hic urget egenos
Innumerabilibus sollicitudinibus.
Quare etiam misso, Christo confide, Baale,
Sit tibi pro Christi nomine, uile mori.
Tutius est, summum uerè coluisse parentem
Qualia quàm Papæ cunq; statuta sequi.
Ergo animo non fracte, mali fuge limina Papæ,
Ac laruas contra fortiter ire stude.

Fide

Fide Deo, Ausonias toto fuge pectore fraudes,
Te decet hoc tantum, quantus es ipse, uirũ.
Præbebis uitámq; tibi mortémq; fugabis,
Si patula nostras suscipis aure preces.
In terris breuis est & tantum ficta uoluptas,
Aptior est alio uita futura loco.
Omnino nihil est humanis credere rebus,
Fluctuat & nutat quicquid hic orbis habet.
Ad mortem ueluti metam properamus ad unã,
Serius aut citius funeris hora uenit.
Noscere nunc hora est, quæ sit diuina uolũtas,
Est tempus, Christi iussa uerenda sequi.
Ecce ferunt canam bis sex tibi lustra senectam,
Et foueam, condat quæ tua membra, uides.
Ad uitam de morte redi, fuge, desere Papam,
Atq; hoc in memori pectore carmen habe:
Quisquis adhuc audet Latijs adsistere monstris
Aut totus malus est, aut ratione caret.

DE PVERO IESV.

En iacet in paleis & inani & paupere tecto
Natus, inhumanum uagit & ante pecus,
Qui sacro sacri fabricauit numine uerbi; (bet.
Quicquid habet cœlũ, quicquid et orbis ha=
Non sunt Aßyrio bene culta palatia luxu,
Sed parua est magni pompa puerperij.

DE CHRISTI REGIS
natali hymnus.

Algente quicquid sub polo
Et quicquid est ad limites

Vtriusq;

Vtriusq; ſolis gentium
Exultet & nunc gaudeat.
Eſt matre natus uirgine
Promiſſus Abrahæ puer
Hominem pius qui liberet
Merſum malorum in gurgite.
Placatus eſt nato Deus
Offenſus Euæ crimine
Veterum patrum præſagia
Iam ſunt rata & firmißima.
Amica nobis tempora
Veniæ locum dant commodum
Stygio iacet Pluto lacu
Et ſoluitur cæcum chaos.
In cunulis brutum pecus
Sentit ſalutis principem
Cœleſtis & ſimul chorus
Infantulo ſeruit Deo.
Qui lacte paruo paſcitur
Venerandus ille puſio
Manu fouet largißima
In orbe quicquid naſcitur.
Lux præuia offerentibus
Munus Magis è Perſide
Monſtrat ſalutis principem
Viáſq; tutas indicat.
Nimium beata ciuitas
O Bethleem quæ ſuſtines

Regem

Regem tremunt quem tartara
Cui paret orbis & polus.
Cuius triplex laudem canat
Mundus per omne ſæculum
Cuius potentiam tremat
Terra polóq; quicquid eſt.

AD HERODEM.

Hebræo fruſtra perfundis ſanguine cunas,
Et fruſtra multus tollitur enſe puer.
Nil tua rex natus mortalia regna moratur
Nil facit Iſraël ſceptra ſuperba domus.
Verum Iudæo princeps de ſtemmate natus,
Et cœli & rector totius orbis erit.

MVSAE.

Rebus in humanis mortis ſunt omnia, parta
Labore uiuunt nomina.
Aurũ et opes, Tyrio pereũt de murice ueſtes,
Laurus manet Phœbo ſacra.
Omnia tempus edax uel ſint adamãtina rodit,
Muſæ perire neſciunt.

VIS ORATIONIS.

Si quis inexhauſta peccati mole grauatur
Si quis habet duri conſcia corda mali,
Veráq; deiectæ quærit ſolatia menti
Ambit & admiſſo pharmaca certa malo,
Supplex ille Deum uocet, oret pectore toto,
Hic, bene quo curet uulnera cordis, habet.
Rebus in humanis gemitu nil maius habemus,
Quo fiat moti mitior ira Dei.

Vult

Vult gemitus lacrymáſq; Deus, cœleſtia tantũ
Numina ſunt molli concilianda prece.

PRO PACE.

Da pater omnipotens trãquillæ tẽpora pacis,
Qua nihil hic magnus firmius orbis habet.
Exaudi gemitus & uerba precantia Chriſte,
Solus pro noſtra bella ſalute geris.

PRECATIO MATVTINA.

Optime Chriſte, potens uitæ reparator ademptæ,
Suſcipe non rigida ſupplicis aure preces.
Fac tibi ſyncero poßim confidere corde,
Et fac ne ſæuo preſſus ab hoſte cadam.
Tu mihi ſis clypeus, robur, ſolamen, Aſylum
Nanq; ſalus à te, non aliunde, uenit.
Dux ſis atq; comes rerum pie Chriſte mearum,
Me rege per totum pro bonitate diem.

PRECATIO VESPERTINA.

Chriſte pater rerum, tellus cui paret & æther,
De cuius pendet munere noſtra ſalus.
Suſcipe per totam iam me defendere noctem,
Ne noceat Stygij uis truculenta lupi.
Ne mala conturbent ſanam contagia mentem,
Pendeat aut dubijs mens mea imaginibus.
Cura meæ tibi ſit ſoli data Chriſte ſalutis,
Te melius nobis nemo præeſſe poteſt.

BENEDICTIO MENSAE.

Fac tua Chriſte pijs accedat gratia menſis
Vt noſcant ſuperas pectora noſtra dapes.

AD PVERVM DE Grammatica.

Fabula Nasonis cunctas est nota per oras,
Icarus & Phaëton quo periere modo,
Dũ studet hic Phœbi moderari stultus habenas,
Non natis alis dum petit ille polum.
Sic ne te similis fiducia friuola fallat,
Qui cupis Aonij nomen habere chori,
Tu duce Grammatica ueras te confer ad arteis,
Et sic de sacræ Phocidos amne bibes.
Pro duce sic Thæseus comitantia fila secutus,
Edocto uicit tecta recurua gradu.

SPES.

Speramus trifido donec spiramus in orbe,
Spes alit et nutrit quicquid hic orbis habet.

DE MONACHIS.

Vt Christi stabiles Monachi uideantur amici,
Pallida distincto corpora fune ligant.
Sed fera uestitu natura potentior omni,
Esse docet rabidum sub pietate lupum.
Heu quàm difficile est, cultu cælare furorem,
Natura expelli nescia, corde sedet.
Funigeri didicere patres imponere plebi,
Elabi manibus non didicere Dei.

DE SVMMO PONTIFICE.

Romuleus cœlos & uendidit astra sacerdos,
Ad Stygios igitur cogitur ire lacus.

AD DOLETVM GALLVM.

Ecce

Ecce tuos rodunt blattæ muréſq; libellos,
Tam ſapiunt uerſus dulcé, Dolete tui.

AD PAPISTAM QVENDAM.

Quid quereris ſocia magnũ cũ gente Lutherũ
Tollere latronem laude, necare Papam?
Scripſimus ex animo latroni encomia dextro,
Abs te qui moriens Chriſte petebat opem,
Qui ſua confeſſus ſummo peccata parenti,
Promeruit rutili gaudia larga poli.
Vos iam latronem ſummé laudate ſiniſtrum,
Nam uos nunc eſtis, quo fuit ille loco.
Iam moriens latro dixit conuicia Chriſto,
Et ueſtro horrendum uirus ab ore fluit.

AD AMICVM.

Vis niger eẽ, cupis Chroſcæſius eẽ, q̃s ergo es?
Fuſcus es, idcirco tu potes eſſe niger.

E GRAECO.

Quòd monſtras Tyrio radiãtes murice ueſtes,
Et ducta artifici ſeria fila manu,
Ac tua quòd flagrãs depingit membra ſmarag
Atq; in Erythræo gẽma repta freto, (dus,
Indicium non eſt caſti mea amica pudoris,
Ornata uberius fœmina raro proba eſt.

DE MONACHIS.

Non malé ſunt Monachis grata indita nomina
Cũ numerẽt natos hîc et ubiq; ſuos. (patrũ,

DISTICHON.

Sæpius eximius tenui turba indiget heros,
Præda fit exiguo ſæpius urſa cani.

Aliud

ALIVD.

Reb. in humanis pereũt, æs, purpura, et aurũ,
Culta Thalia manet nescia sola mori.

PVLEX CATENATVS
loquitur.

Sanguinis en guttã de uentre famelicus hausi,
Et tamen hinc collo uincula dura fero.
Iã quæ uos maneant Romanos uincla molossos,
Sternentes uiuum corda professa Deum?

AD FAMVLVM.

Nil prorsus feci, quando te uerbero, clamas,
Te ferio idcirco quòd facis ipse nihil.

DE SACERDOTE PA=
pistico ebrio.

Ebrius ut tractet sacra mystica mane sacerdos,
Ad sacrum somno uictus anhelat opus.
Officij admonitus, respondet prosit amice,
Et socios inter se putat esse suos.
Huius quis dubitet penetrasse oracula nubes?
Vota mouent superos scilicet ista Deos.

AD AMICVM MAXIMVM.

Cyclopes uincas, superes Polypheme Gigãtes,
Donec eris pauper Maxime, paruus eris.

IOCVS.

Esse cupis ficus & ficos non cupis esse,
Quæ ratio est? artus est Phagedéna tuos.

AD PRINCIPES GERMANIAE.

Surgite & unanimes Turcarum frangite uires,
Et ruite in sæuos prouida turba Getas.

Linquite

Linquite iam lepores & desidis otia uitæ,
Vos capitis lepores, oppida Turca capit.
Discite ab exemplo præsens uitare periclum,
Alterius damno qui sapit, ille sapit.
Crudeles etiam Turcas uidere sueuit,
Nunc sapit accepto pulcra Vienna malo.
Fidite ductori Christo, auxiliaribus armis,
Hic uertet facili castra inimica manu.
Ante tamen iustos quàm uos uertatis ad enses,
Pax erit in uestris constituenda plagis.
Et surgat patrias concordia sacra per oras,
Qua nil, quem regitis, firmius orbis habet.
Qua sine uestra feros plorabũt carbasa uẽtos,
Qua sine non faustum suscipietis opus.
Carmina dij faciãt temeraria nostra uocentur,
Dij faciant uersu pondus abesse meo.

TVMVLVS HVTTENI.

Sustinui duri qui mille pericla laboris,
Hic mea sub uiridi cespite membra cubant.

IOCVS.

In nostris Venerem diuulgas esse libellis,
Quódq; sit in uersu non Venus ulla tuo.
Hoc tibi iamdudũ bone uir concedimus omnes,
Namq; solet scriptis gratia abesse tuis.

ÀD DOROTHEAM.

Quòd Dorothea uiro dicis te nubere nolle,
Concedo, iuuenem nupta pudica petis.

De Pytha=

DE PYTHAGORAEIS EX Quintiliano.

AEmula Pythagoræ deuicto turba ſopore,
Solerti tenuit plectra lyrámq; manu.
Promptáq; ſic poſitis aggreſſa negotia curis,
Præfuit officio non ſine laude ſuo.
Clauderet ante etiam placidus quàm lumina ſomnus,
Corda tulit quicquid corde doloris erat.
Nos quoq; delectet, tangat, recreétq; iuuétq;,
Muſica mordaces pellere docta metus.

Epigramma in Franciscanos.

Cordula nodoſa, pes nudus, cappa doloſa.
Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.

Sum quis sum ego sum
Georgius Bassitius

Sum collector hujus libri
per me Georgium Sextorē
Anno 1634

DE VERO PURGATORIO.

Qvid est Purgatorium Christianorum? Christi Sangvis per fidem aspersus in corda, sicut enim aurum igne probatur; sic filij DEI, Sangvine Christi & fide purgantur, mediante verbo. Unde Christus ipse ad suos discipulos: Jam vos, inqvit mundi estis propter sermonem, qvem à me audivistis, Joh: 15. & Pet. Act: 15. Fide purgatis Cordibus illorum. & 1 Joh. 1. Sangvis JEsu Christi, emundat nos ab omni peccato & Paul: Eph: 5. De Ecclesia & Christo, Purgans inqvit eam lavacro Aqvæ per Verbum: lege ibi & Cap: 4 pluribus: vide & Heb. 10. Præter hoc Purgatorium nullum aliud credendum est; si ergò qvi Fidem habent, purgati sunt, non egent purgatione, nec jam qvicqvam impedire potest, qvo minùs in Cœli palatia evolare qveant, de morte enim, ut Christus ait, transeuntes ad vitam, in Paradiso, in reqvie, in sinu Abrahæ, in manu DEI, & cum Christo ipso ad sunt, ubi nullum illos tormentum pœnæ agitare, ac detinere poterit, Amen.

FINIS.

SPECULUM JUDICUM,
IN ONOMASTERIIS
GENEROSI NOBILIS-
SIMQ; DOMINI,
Dn. ELIÆ JELENII,
JUDICIS SOLNENSIS
Spectatissimi, Patroni, Fau-
tori & Compatris sui colendissimi,
A. O. R. M DCC V.
die 20. Julij.
Occasione, reimpressarum in Typographia
Solnensi, aliqvot pagellarum, Spe-
culi Szegediniani,
eâ, qvâ par est observantiâ, repræsentatum,
à DANIELE KRMANNO, Eccl:
Evang: Solnen: V. D. Minist:
[ficale

POntificum Speculum Szegedini, Ponti-
exhibet ingeniũ, ac imperiũ, interitũ
Perlustrans illud, metuebas, caute JELENI,
influxum capitis membra referre sui.
Nec malꝰ augur eras, nã mox expertꝰ es horũ
ingenium, imperium, sed simul interitũ.
Ut

SE 7441, Nr. 1

Ut Cervusq;, hydris, canibusq; lupisq; agi-
(tatus,
captâsti fontes juge fluentis aqvæ.
Utq; is dictamno salso sua vulnera lenit,
dicebas: JESU LENI! amara SALE.
Et bene! nam Tibi ferre dedit mala, damnâ
(rependit,
addidit officio Judicis, hancce diem.
Qvâ Tibi Natalem gratatur qvisq; fidelis,
& sibi qvod placeat, carminis audet opus.
Nomine tam multo, grator qvoq; Magne
(Patrone,
ac ut perpetuet Te DEus, usq; precor.
VIVE DEo, vigeasq; Tuis, patriæq; virescas,
Euge, nihil sileas, dicito grata DEO.
JUDICUM & exactum Speculum, qvos
Solna creabit, Justitiâ, arte potens, &
pietate sies.
Felle carens, noctuq; videns, ac auris acutæ
Sis Gelen, ELIAS integritate cluas.
Et totidē cernas, qvot Cervus secula cernit
Eliæ tandem scande, Patrone rotas.

SOLNÆ, in Typographia Dadaniana per
Wenceslaum Krolop, A. 1705.

SLOVENSKÁ
KNIŽNICA
MARTIN

XI

DISPVTATIO DE MATRIMONIO CONTRA LEGEM PONTIFICIAM de cœlibatu. Autore M. Caspare Cantagiser Saxonici Collegij apud Erphordiam Decano.

Cum præfatione Philippi Melanthonis.

VITEBERGÆ.

Anno.

M. D. XLVI.

BARÓ RADVÁNSZKY KÖNYVTÁRA RADVÁN

PRÆFATIO.

QVAE res occasionem præbuerit, ut hæ tam accuratæ sententiæ ederentur, prius narrandũ est, ut libentius legantur, & ut bonæ mentes confirmentur, & gaudeant se non adiuuare seuiciam iniustißimam eorum, qui adhuc uagas libidines & Idola impiorum sacrificulorum defendunt. Nuper adolescens natus in coniugio honesto & pio sacerdotis Euangelium docentis, petiuit sibi doctrinæ testimonium, una cum ceteris honestis & doctis iuuenibus tribui in Academia Erphordiana, renunciatione gradus Magisterij Philosophici, ut uocant. Hunc non nulli ardentes odio ueræ doctrinæ, repellendum à gradu censuerunt, tantum hanc ob causam, quod natus esset in Sacerdotis coniugio, Offendit hæc iniuria & seuicia multos honestos homines in ea urbe & Academia, ut consentaneum est, Suntq; deliberationes ita uariæ secutæ, ut eo tempore ritus tribuendi testimonia prorsus intermissus sit. Quid facerent sic accensi odio in rebus maioribus, cum crudelitatem suam in re tali, & aduersus adolescentes declarant, qui undecunq; nati essent, in uirtutis curriculo adiuuandi essent. Hæc eò commemoro, ut boni gaudeant se alienos esse à societate talium parricidarum, qui unum hoc dies noctesq; meditantur, & moliuntur, ut ueritatem opprimant, & pios Euangelij ministros, & Principes fouentes pia studia ueræ doctrinæ interficiant.

CE 7441 prin. 2

Dulcis

Dulcis & uera consolatio est nobis uere inuocantibus Deum, etiam siquos neuos & siqua uicia habemus, tamen contagia impietatis & seuiciæ hostium Euangelij uitare, ut possimus cum Dauide dicere, Cum impijs non sedebo, Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine. Ne perdas cum impijs Deus animam meam. Hæc etsi aspides illæ surdæ nolunt audire, tamen nos audiamus, & gubernari & defendi nos a Deo precemur, Sicut in Ezechiele promittitur, ubi Deus sumpturus pœnas de sacerdotibus, & populo, iubet excerpi & seruari gementes propter Idola, qua descriptione misericordia Dei mirifice commendatur. Significat .n. Deus multos esse, qui cum impij teneant gubernacula & antecellant potentia, non possint abolere Idola, Hi si tamen gemitu ostendant, se dolere uicem Ecclesiæ, & ueram doctrinam, et ueram inuocationem amare, excerpi se sciant ex multitudine impiorum, ne cum eis pereant. Tales consolationes mlutas proponit Deus, quibus se confirment boni, ne fracti pertinacia, superbia insolentia ὕβρει, & terroribus potentum, eorum furorem & seuiciam adiuuent. Non dubito tantisper Deum Ecclesias nostras defensurum esse, donec studium in nobis recte, dextre, pie docendi Euangelij erit, Sicut filius Dei inquit, Mansionem apud eum faciemus. Spero autem & Principibus pijs curæ futurum, ut illæ Aspides in his regionibus, ubi tot gentes ueram doctrinam probant, tandem strychno obiecto sopiantur.

DISPVTATIO DE MATRIMONIO CONTRA LEgem pontificiam de Cœlibatu, Autore M. Caspare Cantagiser Saxonici Collegij apud Erphordiam Decano.

1 CVm Matrimonium a Deo ipso institutum, ordinatum & sanctificatum sit, impijssime faciunt, qui uel abutuntur eo, vel illud prohibent.

2 Est enim Matrimonium legitima maris ac fœminæ coniunctio, instituta a Deo indissolubiliter, ad procreandam sobolem & ad vitandam fornicationem. Gene. 2. Matth. 19. 1. Corin. cap. 7.

3 Quare lex pontificia, quæ sacerdotibus interdicit coniugium & contracta matrimonia dissoluit, impijssima est, & diabolica, pugnans cum iure diuino, iure naturali & veteris ac Catholicæ Ecclesiæ consuetudine.

4 Nam primum cum Pau. dicit 1. ad Timo. 3 Oportet Episcopum vnius vxoris maritum esse. Item ad Titum, liberos habens fideles &c. Aperte testatur & docet

sacer-

ſacerdotes licite ac pie uti ſancto coniugio poſſe.

5 Imo, ideo diſerte mariti mentionem facit, ne per ſuperſtitionem prohibeatur coniugium miniſtris eccleſiæ.

6 Item 1.Cor.7. Propter ſtupra vitanda, vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat, & ſuum quæq; virum habeat. Mandatum eſt vniuerſale, ad omnes pertinens ſine diſcrimine, qui non habent donum continentiæ, aut non ſunt ad cœlibatum idonei.

7 Sic enim interpretatur ſeipſum Apoſtolus, paulo poſt, cũ ait, Melius eſt nubere quam vri, quam vocem, nulla humana autoritas, nulla lex, nulla vota tollere poſſunt.

8 Quia hæc non tollunt naturam & concupiſcentiam.

9 Et Chriſtus clare dicit Matt.19. Non omnes capiunt hoc verbum, ſed quibus datum eſt, hoc eſt, non omnes homines ad cœlibatum idonei ſunt.

10 Primo Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis a fornicatione, vt meminerit vnuſquiſq; ueſtrum poſſidere vas ſuum in ſanctificatio-

ne, & honore, non vt obtemperet affectibus. Hic locus aperte testatur, vsum coniugalem esse sanctum, id est, opus ordinatum à Deo, & approbatum verbo Dei, & Deo placens.

11 Ideo dicitur 1. Corint. 7. Sanctificatur vir infidelis, per mulierem fidelem &c. Id est, vsus coniugalis est sanctus, licitus & Deo placens.

12 Ornatur & egregia laude officium coniugale 1. Timot. 4. cum ait. Saluatur Mulier per filiorum generationem, si manserint in fide, sanctificatione &c.

13 Nam cũ Paul. coniugalem castitatem (quæ est moderate vti consuetudine coniugali, vitare adulteria & vagas libidines) sanctificationem vocat, significat certe coniugium vsum esse sanctum & licitum.

14 Item Christus vocat coniugium coniunctiõem diuinam, cum ait, Quos Deus coniunxit &c,

15 Et Paulus de coniugio, cibis & similibus rebus inquit, Sanctificantur per verbum & orationem.

16 Hebræ 13. Honorabile coniugium in omnibus, &c. Itidem est honorificum & insigne

insigne testimonium matrimonij diuinitus instituti, quod Pontifices & monachi Sodomitæ pessimi & Diaboli mancipia horribiliter deformarunt.

17 1. Tim. 4. Paulus prohibitionem cõiugij clare vocat doctrinam Dæmoniorũ cum ait, Spiritus autem diserte dicit etc.

18 Cũ autem certo constet Pontifices et monachos prohibuisse coniugium, manifestissimum est et sine ulla dubitatiõe uerum, quod Romanus Pontifex cum universo ordine suo & regno sit ipsissimus Antichristus, quem Paulus in citato loco ad Tim. ualde perspicue & apertissime depingit, ac figuratum proponit, ueluti digito commonstrans Ecclesiæ.

19 Item 2. Thess. 2. Paulus clare ait in Ecclesia dominaturum esse hominem peccati, extollentem se supra cultum Dei etc.

20 Constat autem in Ecclesia et titulo Ecclesiæ dominari Pontifices, defendentes Idola.

21 Quare adfirmo nullam unquam extitisse hæresin, neq; adeo futuram esse, cui uerius & certius hæ Pauli descriptiones conuenire ac competere queant, atq; huic pontificio regno.

Nam

22 Nam cui per Deũ immortalem obſcurum eſſe poteſt in tam clara Euangelij luce, Papam, iuxta Pauli uerba, defeciſſe & diſceſsiſſe quàm longiſsime a fide & Chriſti Eccleſia, Siquidem is neglecta, obſcurata & deleta Euangelij doctrina ac ueris cultibus, quibus ſe Deus coli teſtatur & præcipit, inſtituit alienos & Phariſaicos cultus, a Deo prohibitos, & recepit ac condidit ſuperſtitioſas traditiones, ut ſunt uota, cœlibatus, diſcrimina ciborum ac ueſtium ac ſimiles, de quibus Chriſtus pronunciat, Fruſtra colunt me mandatis hominum.

23 Imo, auſim affirmare, Pontifices & Monachos etiam abſurdiora docuiſſe, quam multi ueteres hæretici.

24 Impudenter enim hos inſignes errores defendunt, quod traditiones mereantur remiſsionem peccatorum. Quod ſint pares baptiſmo. Quod ſint cultus Dei. Quod ſint perfectiones. Quod ſint ſatisfactiones pro peccatis. Quod merita eorum alijs impartiri poſsint. Addunt etiam quod traditiones ſint neceſſarij cultus, ſine quibus fides ſit inutilis, excommunicant

eos.

eos, qui non obseruant ipsorum traditiones, & eiusmodi multo plures absurditates & εἰδωλομανίας docuerunt.

25 Propheta Daniel etiam hæc duo tribuit Antichristo, uidelicet, quod Idolum in templo collocet & auro atq; argento colat, & quod non afficiat honore mulieres.

26 Hæc duo propria esse pontificatus Romani, quis nõ aperte uidet? Idola manifesta sunt impiæ missæ, cultus sanctorum & statuæ, quæ in auro & argento ostenduntur, ut ibi colantur, id nusquam fit, nisi in pontificio regno.

27 Deinde in nullo regno unquam prohibitum fuit legitimum coniugium, nisi in pontificio regno. Ergo conuenit ad id, quod ait Daniel, Non futuras in honore mulieres.

28 Etsi enim multæ gentes libidinib. horribiliter sunt & fuerunt pollutæ, tamen nusquam alibi publica lege perpetuo prohibitum est uerum coniugium, magno ordini hominũ, nisi in hoc regno Papistico.

29 Qualis autem turpitudo, quanta animarum pernicies & quàm monstrosæ atq;

horribiles libidines hunc coniugij contem ptum & prophanatiõem secutæ sint, tanq̃ ueri fructus, & proprij effectus, experien tia docet, & horrent animi pij uel cogita re uel nominare.

30 Præterea, tot crudelia homicidia, quibus interficiuntur pij Sacerdotes pro pter sacrum coniugium, satis etiam mon strant et indicant autorem huius Tyran nicæ legis de cœlibatu. Nam cum Diabo lus natura sit homicida, etiam parricidijs suam legem defendit.

31 Hæc ergo cum apertissime conueni ant ad regnum pontificium, nihil dubium est, Danielem & Paulum concionari de regno pontificio.

32 Quare sciamus admoneri nos, ne assentiamur impietati pontificum, sed de testemur, & animo atq̃ corpore abhorre amus, Nam sonat vox diuina, fugite ido triam, Et in Apocalypsi clamat Angelus. Exite ex Babylone.

33 Quod uero lex de cœlibatu pugnet cum iure naturæ, hinc manifestum est, quod coniunctio maris & fœminæ est iu ris naturalis.

Sicut

34 Sicut & rectissime & sapientissime iureconsulti dicunt.

35 Et testantur hæc uerba Gen. 1. Masculum & Fœminam creauit eos, hoc est, indidit utriq; sexui mutuam coniunctionis appetitionem.

36 Cum autem ius naturale sit immutabile, Sequitur, ius contrahendi coniugij nullis humanis legibus tolli posse, sed omnibus liberum manere.

37 Nam ubi natura non immutatur, necesse est & illam ordinationem manere, quam Deus indidit naturæ.

38 Præterea dissentit quoq; hæc lex à Decretis & Canonibus conciliorum ueterum & consuetudine ueteris ac ueræ Ecclesiæ, sicut clare testantur Historiæ, & Canones iuris pontificij, ut Distinct. 23. In Canone, His igitur, & in Canõe sequente, Quoniam, Distinct. 34. In Canone Audite carissimi, & multo plurib. locis.

39 Neq; dubium est Apostolorum tempore, & diu post in Græca & latina Ecclesia, fuisse Sacerdotes maritos.

40 Matth. 8. Aperte colligitur, Petrum Apostolum fuisse coniugatum.

Et in

41 Et in Actis ostenditur Philippum Euangelistam & alios habuisse uxores.

42 In Synodo Nicena approbata est sententia Paphnutij pugnantis contra Cœlibatum, & dicentis coniugalem consuetudinem, continentiam & ueram castitatem esse, Distinct. 31.

43 Extat & decretum concilij Gangrensis celebrati Anno Dñi. 334. quod clare statuit coniugium Sacerdotum nihil differre a coniugio aliorum, Distinct. 28.

44 Constat etiam ex Historijs, multos ex Episcopis & Sacerdotibus legitime natos, in summos Pontifices electos esse, Distinct. 56. C. Cemanensem.

45 Ex quibus omnibus perspicue apparet, ueteres Canones non prohibere coniugium.

46 Sed noui Canones, qui non sunt in Synodis conditi, sed priuato consilio pontificum facti, autore Diabolo, & prohibent contrahere matrimonia & contracta dissoluunt, contra autoritatem Synodorum, contra naturam & contra mandatum Dei.

Iam

47 Iam quæso animo perpendatur, quã impie & scelerate faciunt illi impurissimi homines, qui honestos & eruditos adolescentes ex Christianis sacerdotibus & Euangelij ministris in legitimo thoro natos, publico testimonio spurios esse impudentissime adserunt, & pronunciant indignos, qui ad honesta artificia admittantur, aut quibus honores, siue dignitatum & graduum tituli decernantur.

48 Et quod magis detestandum est & horribilis furor est, illi ipsi tam insignes coniugij contemptores, hostes et proditores (quod Deus pronuntiat sanctum esse, & Christus ipse in Chana Galileæ sua præsentia & testimonio præclare ornauit, edito insigni miraculo) manifesti sunt scortatores, uarijs libidinibus polluti & coinquinati, iudicati & damnati.

49 Primum, Iure diuino, ad Hebræ. 13. Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. 1. Corint. 6. Non erretis, neq; scortatores, neq; adulteri, neq; idolatræ, neq; molles etc. Regni Dei hæreditatem accipient.

Secundo

50 Secundo, Iure naturali. Nam supra ostensum est, uagos concubitus & libidines prodigiosas pugnare cum hominis natura, Rom. 1.

51 Tertio, Etiam iure pontificio, ut testantur uerba Alexandri in Canone Præter hoc, Distinct. 32.

52 Et Distinct. 81. Gregorius interdicit fornicatoribus sacrificulis ingressum in Templum, & interdicit omnibus Christianis autoritate Dei patris omnipotentis, ne officium audiant a tali scortatore.

53 Neq; uero minus peccant & reprehendendi sunt, quicunq; his impuratis hominibus adsentantur aut cõsentiunt, præsertim cum Euangelici censeri volũt, Scriptum est enim Rom. 1. Facientes & consentientes eadem pœna digni sunt, Et Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem.

54 Nos igitur agamus gratias ex toto corde sine intermissione, Deo opt. Max. Patri Domini nostri Iesu Christi, pro hoc inenarrabili beneficio, quod nos ex hoc Antichristi regno pro sua immensa misertcordia

ricordia clementer liberarit & eripuerit, & ex densissima caligine ac tenebris in clara lucem reuocarit, atq; ad ueram uerbi sui, & voluntatis in eo reuelatæ cognitionem perduxerit. Rogemusq; ardentissimis precibus & omnibus votis, ut porrò sanctificare, regere, iuuare, accendere & confirmare corda nostra Spiritu sancto uelit, ut ipsum uere agnoscamus, inuocemus, ei uere credamus, gratias agamus et obediamus, ne in eiusmodi Epicureos furores, & fanaticos Papistarum errores, iterum ruamus, suamq; Ecclesiam benigne gubernare, tueri & seruare uelit, qui est benedictus in secula, AMEN.

Celebrabitur in Collegio Saxonum 17. die Martij, respondente Iosepho Kirchnero uenerandi senis ac ueri Sacerdotis D. M. Sigismundi filio.

Impressum Vitebergæ, apud Vitum Creutzer.

MATICA SLOVENSKA NÁRODNÁ KNIŽNICA MARTIN

XIII

PROPOSITIONES PETRI MALVENDÆ PROPOSITÆ IN Colloquio Ratisponensi. Anno 1546.

HIS OPPOSITÆ PROpositiones ueræ disputatæ Vitebergæ a M. Maximiliano Mauro Vitebergensi docente Euangelium in aula Illustrissimi Ducis Saxoniæ Iohannis Ernisti etc.

Die Martij duodecimo.

Vitebergæ.

BARÓ RADVÁNSZKY KÖNYVTÁRA RADVÁN

SE 7441 pur 3

PROPOSITIONES PEtri de Maluenda in Colloquio Ratisponensi anno 1546. propositæ.

1 IN iustificatione peccatoris remittitur peccatum per Christum mediatorem, & gratia infunditur, idq; fit ex mera Dei gratia nullis meritis nostris.

2 AD hanc iustificationem in adultis concurrunt etiam actus liberi arbitrij moti a gratia præueniente & simul comitante.

3 Fides qua credimus historiæ Euangelicæ, & Deum Patrem misisse nobis Filium propitiatorem pro peccatis nostris, & per illius sanguinem remitti peccata, est in adultis ad iustificationem necessaria.

4 NOn tamen sola ad iustificandum sufficit, sed requiruntur etiam Spes & Caritas, & actus pœnitentiæ caritate informatus.

5 ACtus hi ad iustificationem adulti concurrentes non sunt iustificationis meritorij.

6 ETsi certum sit omnia peccata quæ ullo unquam tempore remissa sunt, aut remittuntur per sanguinem propitiatoris remitti: Tamen cũ quis firmiter & certõ statuit sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suæ, & infirmitatis rationem, iudicio magis temerario, quam scripturæ autoritate ducitur.

7 IS cui remissa peccata sunt, potest auxilio gratiæ Dei sic implere Dei præcepta, ut Deo & proximo reddat, quod debet, Quod dum facit, non solum non peccat mortaliter, sed potius est iustus apud Deum, & legis impletor, & eiusmodi homines uerè iusti sunt apud Deum, & legem eius implent, quia gratiam habent omnino peccata delentem, & suggerentem uires ad implendã legem. Non quia peccata, quæ post iusticiam acceptam adhuc maneant, illis non imputentur, aut propterea tantum quod iusticia, quam non ipsi, sed Christus fecit illis imputetur per Christum.

8 DIcimus opera hæc quibus legem iusti implent, & Dei voluntatem sequuntur.

tur, sic esse uitæ æternæ meritoria, ut eis Pauli testimonio reddenda sit corona iusticiæ.

9 POstremò multæ homines actiones sunt ante iustificationem, quæ nõ parum conducunt, ut clementissimus Deus oculos suæ bonitatis & ineffabilis misericordiæ ad ignoscendum sæpe conuertat.

CONTRARIÆ ET VERÆ PROPOSITIONES

disputatæ Vitebergæ a Magistro Maximiliano Mauro, docente Euangelium in aula Illustrissimi Ducis Saxoniæ, Iohannis Ernesti etc. Et petente gradum Doctoris præsidente Philippo Melanthone.

1 VT ante extremum agonem filius Dei precatus est, Pater, sanctifica eos in Veritate, Sermo tuus est Veritas: Ita & nos petamus, ne Deus extingui lucem Euangelij sinat, & nostras preces ad Pontificis nostri Domini Iesu Christi precationem adiungamus. Videmus enim præstigias excogitari ad obruendam Euangelij vocem.

2 ASsentitur Maluenda requiri fidem, scilicet notitiam historiæ, qualis & in Iuda erat, quæ credit aliquibus remitti peccata. Deinde uero delet præcipuum articulum doctrinę de fide, qua iubet Deus unumquencq; agentem pœnitentiam statuere sibi ipsi uerè remitti peccata, propter mediatorem, non propter alias placationes.

3 Oppono igitur Maluendæ consensum Prophetarum & Apostolorum, iuxta dictum Petri Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

4 Fateor, inquit, dari remissionem peccatorum propter Christum, & fidem flagito.

gito, Sed quia decipit lectorem Maluenda generalitate, ideo necesse est eum refutari. Intelligit fidem, qua in genere credis aliquibus remitti, non tibi. Hoc credit Iudas, imo & Diaboli.

5 Propria Euangelij promissio est annunciare remissionem peccatorum. Hæc nihil prodest tibi, si tantum credas in genere aliquibus remitti, non tibi.

6 Ideo tantum hanc generalem fidem docentes, delent Euangelium, & ueram ac salutarem consolationem conscientijs admirando Dei consilio propositam, eripiunt.

7 Paulus de hac fide loquitur, qua agens pœnitentiam sibi ipsi remitti credit, cum ait, Iustificati fide pacem habemus.

8 Quia illa generalis fides seu notitia historiæ non erigit mentem perterrefactam & fugientem Deum, sed potius auget pauores & fremitum aduersus Deũ. Eò magis irascuntur Iudas & Diaboli, quia sciunt filium Dei iudicaturum esse, & alijs melius fore.

9 Recte igitur Bernhardus dixit, Sed

adde ut credas & hoc, quod per ipsum peccata, TIBI donantur, Hoc est, testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus gratis iustificari hominem per fidem.

10 Idem nostræ Ecclesiæ docent, cum enarrant dictum Pauli, Fide iustificamur.

11 Nulla consolatio proponitur conscientijs, si hæc nostra enarratio abijcitur. Item si additur fidei conditio nostræ dignitatis, ut Maluenda inquit, non habens conditionis & infirmitatis suæ rationem.

12 Hæc prorsus est legis doctrina. Tunc habebis remissionem, cum eris dignus.

13 O tristem vocem, quæ iubet nos intueri nostram conditionem, id est, miserrimam naturam horribiliter contaminatam peccato. Quid enim dicit Dauid intuens suam conditionem. Egone recipe-rer, qui tantis sceleribus me & Ecclesiam pollui, eripui uiro sancto coniugem, pollui meam & alienam conscientiam, virũ interfici iussi, præbui causam, ut pœnæ, seditio, & infinita scandala sequerentur.

Hic

Hic certe Dauid ad mediatorem, & ad doctrinam de gratuita remissione deducendus est, sicut ipse se voce absolutionis & fide sustentat.

14 Ideo Paulus toties inculcat particulam gratis, vt discernat Legem & Euangelium, & doceat statuendum esse, gratis remitti peccata propter filium Dei.

15 Verum est oportere adesse in conuersione pœnitentiam, fidem, dilectionem, spem, bonum propositum, & alias virtutes, sed hæ non sunt causæ remissionis.

16 Ideo dicitur. Sola fide iustificamur, vt excludatur opinio seu conditio meriti, non ut excludantur virtutes ne adsint.

17 Eandem doctrinam cõfirmat hoc dictum. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non igitur datur remissio propter ulla nostra opera.

18 Errat Maluenda docens mentem pauidam & fugientem Deum in illo tristi conspectu iræ Dei, ut maneat in dubitatione,

19 Errat, quia fidem in ſuis Propoſitionibus tantum intelligit eſſe idem, quod noſſe hiſtoriam, non aſſentire promiſsioni.

20 Errat, quia affirmat renatos in hac uita poſſe legi Dei ſatisfacere, & expreſſe dicit, hac impletione legis homines iuſtos eſſe.

21 Nos contra affirmamus, renatos in hac uita non poſſe ſatisfacere legi Dei, & quanquam habent inchoatam obedientiam, quæ Deo placet in credentibus propter filium, tamen perſona eſt iuſta, id eſt, accepta propter mediatorem, iuxta illud, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

22 Multa triſtia mala manent in renatis, ut dubitationes, Securitas carnalis, frigide diligere Deum, & multæ flammæ uicioſarum cupiditatum. Hæc mala condonantur & teguntur in his, qui repugnant, ſed tamen re uera ſunt mala pugnantia cum lege Dei.

23 Sed ruentes in delicta contra conſci-

entiam

entiam executiunt gratiam & Spiritum sanctum, & fiunt rei mortis æternæ.

24 Rursus autem recipiuntur a Deo, cum conuersi agunt pœnitentiam, & fide remissionem petunt, ut Esaias inquit. Si peccata uestra fuerint ut coccinum, erunt candida ut nix, id est, Si rei fueritis, ut cruenti in supplicijs, tamen recipiemini & liberabimini ab æterna ira, & ab alijs pœnis.

25 Honesta opera non renatorum vocamus disciplinam, quæ est necessaria propter mandatum Dei, Sed non meretur remissionem peccatorum, quod re ipsa uult Maluenda, cum ait, ea non parum conducere, ut Deus cõuertat facientem.

26 Hæc Maluendæ opinio pugnat cum doctrina de gratuita remissione, & deducit mentes ad illam incertitudinem, ut querant quando satis habeant meritorũ, & tota hæc imaginatio fingitur ad obruendam doctrinam de fide. Cæterũ doceri homines, et audire Euangeliũ necesse est, Ideo & Apostolis dictum est, Prædicate omni Creaturæ, & omnib. mandatum est

tum est vt audiant. Qui non audierit, vl-
tor ero. Deut. xviij.

72 Ociosi & securi de iusticia cogitan-
tes nihil nisi disciplinam mirantur, Sed
cum expauescunt mentes conspectu pec-
cati & irę Dei, ibi vere discunt hanc conso
lationem ueram & salutarem esse, quæ
hoc decretum immotum Dei proponit,
quod affirmat propter filiũ gratis remit-
ti peccata, & uelle Deum ut fide accipia-
mus hanc consolationem.

28 Cumq; voce Euangelij nos sustenta-
mus, datur Spiritus sanctus & uere acce-
duntur in corde dilectio & aliæ virtutes,
vt Paulus inquit ad Galat. 3. Vt promis-
sionem Spiritus accipiamus per fidem.

29 Maluenda pugnantia dicit, remitti
peccata nullis nostris meritis, & tamen,
ait propriam infirmitatem consideran-
dam esse. Hoc est, querere remissionem
propter nostram dignitatem.

30 Sed eludunt hanc obiectionem, di-
cunt remitti, Sed nos non posse, nec debe
re de

re de voluntate Dei ſtatuere. Hoc ſi uerum eſſet, quid opus eſſet promiſsione remiſsionis, aut voce annunctiante remiſsionem? Non uult autem Deus mentes in hac dubitatione relinquere, ſed ſic ad ſe vocat nos edita promiſsione & conſolatione, qua confirmati liberamur a morte æterna, quia Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.

31 Ideoq; in Epheſijs multis uerbis deſcribit Paulus hanc aſſeuerationem, per quem habemus fiduciam, & audemus accedere per fidem. Etſi uarias corruptelas hic alij fingunt, tamen manifeſtum eſt, hoc ipſum præcipi, ut credamus nos recipi, & hac fide inuocemus Deum, nõ fugiamus, ut fugiunt Deum, Saul, Iudas, & ſimiles.

32 Doctrina præcipiens dubitationem, aut adducit ad deſperationem, aut in ſecuris gignit Epicureum contemptum Dei. Nam in inuocatione ita cogitant, Neſcio quid agam, fortaſſe Deus me abiecit, nec reſpicit meas preces.

Intelli-

33 Intelligatur ergo fides non tantum historiæ noticia, sed etiam assentiri promissioni gratiæ, cum quo assensu necessario coniuncta est fiducia acquiescens in mediatore propter promissionem.

34 Et quanquam multæ uirtutes simul sunt, tamen dicitur, Fide iustificamur, quia oportet esse aliquid, quo mens apprehendens Christum, acquiescat in alieno beneficio. Ita fides est quiddam apprehendens et applicans nobis Christum mediatorem.

35 Maluendæ dubitationem docenti hæc dicta erunt inanes soni, In te Domine speraui, non confundar in æternum, Item, Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebuntur. Nam si iubeas Dauidem dubitare, quomodo eriget se? quomodo statuet se curæ esse Deo.

36 Quod uero dicunt confidere, actum esse spei, res ipsa ostendit, spem quoq; excuti mentibus, si putent in dubitatione manendum esse, quare etiamsi nomen spei retinet Maluenda, tamen rem non retinet.

Fides

37 Fides eſt fiducia propter mediatorem, accipiens in præſentia remiſsionem peccatorum, ut Paulus dicit, Iuſtificati fide pacem habemus. Spes vero eſt futuræ liberationis expectatio.

38 Paulus fidem Abrahæ laudans, inquit Rom. 4. Nõ dubitauit diffidentia, Item, Præter ſpem in ſpem credidit, hoc exemplum proponit, & inculcat, ut nos quoq; amplecti promiſsionem, & uincere dubitationes, quibus uarie quatiuntur mentes, doceat.

Τέλος.

Iohannes Bugenhagius Pomeranus D. Hæ Propoſitiones M. Maximiliani ſunt ipſa Euangelij ueritas.

Impreſsum Vitebergæ, apud Vitum Creutzer.

1546.

MATICA SLOVENSKÁ NÁRODNÁ KNIŽNICA MARTIN

Sumpsêr huius libri perme Georgius Bazihus Anno Domini 1633

Inq; argumentis multa est facundia vanis,
Quæ nulla ingenuos vtilitate iuuant.
Qui solet insontes dentato arrodere iambo,
Atq; aures salibus commaculare nigris,
Hunc de re sacra iubeas si condere versum,
Aridior testâ versificator erit.
Quantò Bocatius melior, qui effundere venam
In Bachi non vult in Venerisq; iocos.
Sed pia Siracidæ lingua præcepta latina
Exprimit, & cultis versibus ornat opus.
Ite per exemplum vos ô pia corda Poëtæ,
Hoc sale qui salsus quàm benè salsus erit.

Salomon Gesnerus S. Theologiæ
Doctor & Professor VViteber.

ALIVD.

QVi decus ingenua sibi nobile quærit ab arte,
Nec par doctrinæ moribus esse studet,
Deficit ille magis, quàm proficit. Ergò tenellum
Disciplina regat semper honesta gregem.
Siracides autem vitæ præcepta colendæ
Optima, de libris, quæq; coëgit, Aui.
Quicquid enim culti facit ad spectacula moris,
Omne Deo grata cum pietate docet.
Sedulus has versa leges, teneroq; probandis
Gestibus & factis infer ab vngue, Puer;
Si probus, & sapiens, & vir pius, atq; beatus
A sera dici posteritate cupis.
En tibi, si qua minus sapiunt, & amara videntur,

Musa facit docti suauia cuncta viri.
Dulcia sic reddunt absinthia tetra labellis,
Acria sic Medici pocula melle limunt.
Curat idem quoniam sapiente Bocatius arte,
Dulcibus inuoluens dicta seuera modis,
Quis non, ingenio, & virtute valere, suisq;
Discipulis medicum iudicet esse bonum?

Nicolaus Steimberg. VVratislauiensis, P. L. C.

VIRO NOBILI ET CLARISSIMO, Dm. M. Ioanni Bocatio, P. L. C.

QVùm primùm legi tua carmina sacra, Bocatí
Syraciden Latio quæ peperêre metro:
Hæc subitò dixi doctis de versibus istis:
Quàm sapiunt venam, Naso poëta tuam!
Heu! quàm diues inest selectis copia verbis!
Carmina quàm rapidi fluminis instar eunt!
Huîc ô lanificæ, faciles estote, Sorores:
Sumet ab ingenio talia plura suo.
Auguror: hunc vatem, de quo prædixit Apollo,
Esse: mihi curto tempore par fuerit.

Shemnicij F. Matthæus Zuberus, P. L. Illust. ac Gener. Dm. D. Nicolai Forgacz de Gymes, præceptor, Anno 98. Mense Augusto.

ALIVD.

VEra quidem narras, lucem hanc non esse serenã,
Quâ mihi natalis fulsit in orbe dies.

Et causa

Et causa in promptu, me binæ funera prolis
Cum morbo & patriæ summa pericla mouent:
Sed mihi solamen Iesus, qui tollere morbos
Et tres pro bina reddere prole potest.
Ille precor nostris depellat finibus hostem,
Discat vt in solo vincere posse Deo.
Quod superest, magnas tibi toto pectore grates
Pro votis reddo, docte Poëta, tuis.
Ioua tibi vitam seruet: sis grata canendo
Gratus in hoc mundo, gratus in arce poli.

Michaël VVirth manu ꝓpria
ex lecto podagrico rescripsit
in festo D. Mich. Anno 96.

VIRO CLARISSIMO Dn. M. IOANni Bocatio, P. L. C. Gymnasiarchæ Epperiens. digniß. & mihi amicißimo.

Χαίρειν.

LAuriger Aonia vates ornate corona,
Aurea qui magna sidera laude petis:
Quòd mihi tantarum tribuis præconia laudum,
Iudicio clarum me facis atq; tuo:
Hinc mea ceu fuerint præstantia carmina censes,
Vt volitent paßim docta per ora virûm:
Ipse licet norim quàm sit mihi curta supellex,
Quàmq; Medusæa sim madefactus aqua:
Attamen à Coo malim depictus Apelle,
Aptus vt interdum non foret ille color.
Ergò citò Parcæ si non mea fila secabunt,

Non ingrata tibi nostra Camœna foret.
Nam simul ac votis meus aspirabit Apollo,
Nostraq; iam ventis vela carina dabit:
Tunc ego te primùm facili cantauero versu,
Ac alios nostram qui meruêre chelyn.
Forsitan huc etiam Musis comitantibus, vnà
Cum Phœbo, celeri candidus ibis equo.
O ego quàm promptus tibi tunc lætabor eunti,
Et dicam lætis talia verba modis:
Salue Pieridum decus ô vindexq; Sororum,
Latiùs hæc per quem Gorgonis vnda fluit,
Ex quo te viridi lauru pater Albis honestat,
Ex quadraginta deligit atq; viris:
Quem vates Taubmannus amet, sacer Hunnius ornet,
Et reliqua linguas, Pallada quiq; colunt.
Te modò quos penes est hædera insignire Poëtas,
Et tua qui cingant tempora fronde, canunt:
Diuite Gottfridus, dulci numeroq; Melissus,
Ac Vttennhofius corda mouente sono.
Te canit historicus latè fandiq; magister
Dresserus varia clarus in arte senex.
Maior Apollinea multis testudine maior
Te resonat, magnis annumeratq; viris.
Te colit eloquio grauis & virtutibus auctus
Fabricius, clariis & benè tinctus aquis.
Hebræo, Graio, celebris sermone Latinoq;,
Aoniaq; tuba, te Seraphinus amat.
Teq; Mokoschinus Christum, astra, edoctus & odas,
Qui modò Diis sacrum nobile condit opus.

Iam

Iam non obſcuris recitat Mudronius odis,
Eſt qui Pegaſeo iam benè vectus equo.
Te probat Antiſtes Kallouius ore venuſto,
Qui magna populos dexteritate docet.
Te quoq; doctrina inſignis, pietate verendus
Kappoſides, adiit qui loca multa, reſert.
Turius hinc veterem quo dia ſcientia rerum
Elucet vitæ cum probitate, mouet.
Tolnæusq; Faber, duplicis facundia linguæ,
Quem celebrem, mens, ars, frons & amica facit.
Huius diſcipulus vetus hinc Vacinus adoptat,
Per mare, per terras qui ingenij auxit opes.
Cuiq; benè Auſonium ſidus, vel Hebræa Pelaſgo
Gratia cum ferro, nomen habere dedit.
Et meritus Graiam ex violis auroq; coronam
Góncius Hunniacæ fama perennis humi.
Te Piperellus adit Phœbi præluſtris ab arte,
Notus Hyperboreis, Heſperiisq; plagis.
Schirmerusq; vocat veluti Podalirius alter
Lege Machaonia, Pœoniaq; potens.
Te carum, variis excellens artibus ille
Pilcius Auſonio carmine doctus, habet.
Atq; trium iuſto Charitum de nomine dictus,
Cui gramen, carmen, Cynthius ipſe dedit.
Te quoq; Ianſchiades & honore decorus & arte,
Cui patet innumeris bibliotheca libris.
Et Diuûm Ambroſiam dulci cum Nectare ſumens,
Multorum relegit qui monumenta virûm.
Atq; Seuerinus, Vedanius, atq; Timæus.

Præstantes linguis ingenioq; viri.
Inde Kunischius est, sequitur Rohatsius inde,
Natus vterq; dea, doctus vterq; deo.
Iam tibi qui rerum Cæsar moderatur habenas,
Vatem insigne dedit Nobilitatis auem.
Et tibi qui Dacos, septenaq; castra tuetur,
Præbuit, Aesonio vellera parta Duci.
Teuffenbachus item senior Dux Marte secundo,
Discipulus quondam diue Philippe tuus.
Te Forgatsiades animis ad sidera notus,
Hungarici pariter gloria magna soli.
Et qui Drugethio genus altum à sanguine ducit,
Natus Homonniades ad fera bella ducum.
Dersfiadumq; decus, validis seu munus in armis,
Siue in eis linguas, seu tuearis opes.
Hinc Dunauicius est heroum dignus auorum,
Diuitiis pariter viribus atq; decens.
Et Ciceronæa respondens voce Sebessus,
Liuius aut quali voce locutus erat.
Cæsaris ex Camera sapiens Hoffmannus honorat,
Ac celebrat docta carmina vestra lyra.
Atq; Darholciades, cui pectora Pallas & ensem,
Aurum Iuno, Venus membra decora dedit.
Cataiensis adhæc, sua cui Cyllenius ora,
Armaq; Gradiuus, Delius atq; fides.
Te Peteimus honos Martisq; Artisq; salutat,
Agmina cui parent Cæsariana duci.
Te Patzoltus amet rerum sandiq; peritus
Siue latina refert, siue aliena refert.

Tequoq;

Te quoq; præcipuo retinet Figedinus amore,
Qui gladio calamum iungere ritè potest.
Bornemißa simul, quem dicere plurima iußit
Natura, ingenium, Mars, genus, vsus, honor.
Te Kapiæ gentis pariter Mauortis alumni,
Pannonio quorum nomen in orbe viget.
Te Mariasenses, quorum domus inclita surgit,
Carpatus vt gelida surgit ad astra niue.
Nympharumq; trium, tres vno nomine, nati,
Quos Kapy, quos Marias, Petsia quosùé colit.
Et qui Sarosias nunc ducit in ordine turmas,
Nobile victoris qui benè nomen habet.
Et Kelemesiadum prudentior ille nepotum,
Ex Bertoltiaca gente deinde Comes.
Et rerum vario prudens Orlleius vsu,
Maxima Cæsarei famaq; lausq; fori.
Clarus & ingenio, calamoq; Capronciusvnà
Seu ferat ipse suam, seu tibi Regis opem.
A rutiloq; pium diademate nomen adeptus,
Moribus Ormanij conspicuusq; bonis.
Quiq; salem Christumq; simul benè nomine gestat,
Qui sua condiuit verba decente sale.
Berzeuicima simul, simul ac Szimeima propages,
Inde Gurisconumq;, Vßiadumq; genus.
Nec non Ketzerius, nec non Szimeinus ab aula
Cæsarea, benè qui verba latina sonant.
Cuiq; pirum Hungaridos dedit, hinc cui littera nomen,
Ac vtriq; dedit dicere iura forum.
Præterea gnarus patriis cantare Camœnis,

Roma-

Romanoq; sono Rimaiensis erit.
Te Fridericus item generoso sanguine cretus,
Qui tua maturè Castra locanda iubet.
Te Lustrator eques Lassota equitumq; virûmq;
Quos Bellona mouet, quosuè Minerua docet.
Te quoq; Mnemosynes benè quem docuêre puellæ,
Francus & ingenio, Francus & ore potens.
Te quem Nobilitas, Procerum fauor, ardua virtus,
Aurum & opes decorant, ille Szabôus amat.
Brechtelius, celebrem dea quem Tritonia fecit,
Hertzegus & Latia clarus abundè toga.
Artnerus facilis cultiq; Thebesius oris,
Mœsius ingenio, Debreciusq; pares.
Plumbea quiq; locant vacuis elementa papyris
Dauides magna deinde Iacobus ope.
Virthius hinc virtute virens, linguaq; disertus,
Et grauitate grauis Crausius atq; stylo.
Inde Peregius est, qui multa perita peregit,
Inde Rouosiadum, Perlakidumq; decus.
Deniq; te multi celebrant, qui moribus æquè
Viribus, ingeniis, ensibus, ære, valent.
Tu canis Andinum redolentia carmina vatem:
Hoc Celadon, gratans Hungaris atq; docet.
Tu Sulmonensis repetis monumenta Poëtæ:
Hoc Elegia frequens, Siracidesq; facit.
Tuq; Arpinatem decus admirabile linguæ:
Hoc duce te Getico verba soluta monent.
Tuq; breuem Crispum, Senecam, Plautumq; iocosum:
Hoc tua sæpè mihi littera missa refert.

Tu po=

Tu potes vt teneas numerosus Horatius aures,
Tu potes Argolicæ plectra mouere lyræ.
Est tibi mens hilaris, facile ingeniumq;, celerq;,
Os promptum sequitur Suada, Minerua, Venus.
Verùm ego Veris opes citiùs numerabo recentis,
Quas nunc Menalio terra sub axe parit:
Aërias & aues, citiùs, genus omne natantum,
Quàm valeam laudes enumerare tuas:
Quàmq; tot ipse viros nostro data lumina seclo,
Qui recolunt digno nomen honore tuum.
Sic ego sic coràm tenui modulabor auena,
Huc quoq; dum niueo candidus ibis equo:
Dum mea Pannonicis lucem visura sub oris
Carmina prouenient te stimulante duce.
Interea valeas, precor, ô mea cura Bocati,
Dimidium vitæ dulce decusq; meæ.

Ioannes Balogus,
P. Ecclesiæ Kissiluanæ
& Demetanæ.

INDEX
PRIMARIORVM TITVLO=
rum.

A.

Acrostichon 49.
Amman Iosephus 156.
Amorus Ludouicus 375.
Amurath 5.
Antiquus Adam 337.
Artnerius Sebaldus 220. 226. 344.
Aqua lapidescens 290.

B.

Balogus Ioannes 136. 198. 211. 459.
Bathori Sigismundus 37. 60. 353. 294.
Bassa Bertal 28.
Belsius Ioan. 320. 340. 426.
Blumius Nicolaus 356.
Brechtelius Martinus 96. 205. 338.
Bucella Nicolaus 201.
Buntzlerus Georgius 350.

C.

Caroli 308.
Cassouia 148.
Cometa 63.
Cosaci 135.
Crausius 139. 304. 314. 460.
Curtius Andreas 204.

D.

Darholtz Christoph 62. 131. 151. 154. 163. 205. 206. 220. 248. 349. 422. 427. 451. 459.
Debrecinus Stephanus 183.
Dersffi Franciscus 124.
Deus 28. 81.
Donai Ladislaus 233.
Drugeth Stephanus 337. 428. Ladislaus 435. Valentinus 436.
Dür Caspar 381.
Ducius Ioannes 365.

E.

Edenphiana Vrsula 399.
Elsula desponsa 322.
Euphemia Fabiniana 307.

F.

Fabini Maximilianus 274. 371. 400.

Fabri=

Fabricius Ioannes 243. 272. 328. 366. 373. 403. 424. 439.
Thomas 276.
Fabuschius Gregorius 425.
Filecum 33.
Forgacz Simon 36. 86. Michaël 292. 409. Simon 411. Franciscus 418. Sigismundus 419. Michaël 420. Ioannes 421. Simon 423. 456. 460.
Francus Caspar 87. 164. 242. 252. 253. 266. 283.

G.

Gæbelius Nicolaus 161. 339.
Gentius Michaël 160.
Germania 7. 14. 154.
Golopi Stephanus 403.
Grebius Michaël 240. 299.
Gunterus Melchior 326.
Guttgesel Dauid 387.

H.

Hardekius Ferdinandus 8.
Haluepappius Paullus 391.
Hebsackerus Ezechiel 425.
Hennischius Dauid 354.
Heranth Christoph. 329.
Hertzeg Stephanus 455.
Hoffman Georg. 87. 89. 157 173. 189. 192. 275. 279. 407 445 446. 450. 451. 454.
Horkwath Gregorius 321.
Hungari 131.
Hussari 30.

I.

Iaurinum 21. 49. 97.
Isdencius Ioannes 27.
Imanouski Tobias 264.
Iudita Capronciana 291.

K.

Kapronczai Georgius 237. 284. 464.
Kathai Francis. Ioan. 173. Michaël 374. 453.
Kellemeschius Michaël 222
Ketzer Andreas 437.
Kiraly Albertus 405.
Kracht Ottho 182.
Kunischius 82. 194. 367.

L.

Lacurt Philippus 377.
Lampacius 325.
Lassota Ericus 48.
Leporinus Caspar 302.

Mannius

M.

Mannus Georgius 355.
Mariaßi Franciſcus & Sigiſmundus 147.246.272.
Matthias Rex Hungariæ 341. 343. 348.
Maximilianus Archidux 51. 125. 152. 187.
Mednenskius Andreas 313.
Meliſſus Paullus 158.
Meltzer Petrus 138.
Mihalko Ioannes 437.
Mokoſchinus Leonh. 252.
Monaki Ioannes 403.
Monſtrum Varadinum 122.

N.

Nanticouius Michaël 368.
Noctua Marcus 339.
Nuſtius Ioannes 338.

O.

Origo veræ Nobilita: 164.
Orlle Nicolaus 89. 445.
Ormandi Stephanus 387.
Oſtroſithus 351.

P.

Papa 240. 241.
Palffius Nicolaus 118.
Patzolt Ioannes 402.
Peregius Stephanus 83.123.
Petö Ladislaus 288.
Placerus Erhardus 184.
Platnerus Antonius 448.
Piperellus Ezechiel 317.
Poſonium 146.
Prælium cœleſte 65.

Q.

Querela Sponſæ Chriſti 10.

R.

Ragecenus Georgius 401.
Ribiſchius Godfridus 139.
Rodolphus 5. 26. 31. 41. 148
Roſemannus Sebaſtianus 136. 141.
Rubella 302. 314. 315. 319. 320. 322. 327.

S.

Sarmata 48.
Sauterus Samuel 34. 320. 324. 427. 444.
Scholcius Adamus 332.
Sigiſmundus 265.
Antonius 401.

Sculte=

Scultetus Seuerinus 338.
Seldnerus Ioannes 395.
Senderouia 186.
Siderius Ioannes 277.
Schirmerus 310.
Smei Georgius 213.
Slesiaci milites 34.
Smelnice 200.
Solimanus 24.
Soos Christophor. 188. 210.
Albertus 399.
Schwartzenbergius 118. 121.
Sprotauus Lucas 326.
Staino Petrus 409.
Szabo Georgius 287. 330.

T.

Tartari 24.
Taubmanus Fridericus 205
Teuffenbachius Christophorus 29. 90. 150. 155. 184. 356. 443.
Than Antonius 372.
Thoraconymus Ioannes 62. 194. 250.
Tirnauia 148.
Trautmansdorff Sigismundus, Fridericus 134.
Treutlerus Michaël 323.
Trösterus Georgius 449.

V.

Vacius Gregorius 282.
Vedanius Franciscus 388.
Vernerus Caspar 352.
Vienna 145.
Vsrai Fridericus 218. 369.
Vß Valentinus 35.
Alexander 438.

W.

Wigandus Ioannes 380.
Wirthius Michaël 138. 163. 196. 197. 257. 345. 376. 440. 453.

Z.

Zalwein Ioannes 390.
Zedlicius Franciscus 96.
Zoilus 264.

FINIS

ERRATA

Quædam Typographica, quæ cursim legenti sunt visa. cætera maiora vel minora clementer iudica.

Paginâ 5. versu 2. Mahometiacas. P. 12. versu 7. congesto. P 17. ve. 10. ipsa. P. 25. versu 4. præter. P. 27. v. 18. oraclum. P. 30. v. 15. feræ. P. 40. v. 12. stirpe. P. 46. v. 3. facit. v. 25. pinguis. P. 52. v. 20. Icarus. P. 53. v. 15. habet vos. P. 55. ver. 26. det is. P. 60. v. 12. vultur. P. 63. XCVI. P. 66. v. 11. pectime. P. 71. v. 22. tali. P. 75. v. 2. est. P. 76. ve. 20. facerent. P. 77. v. 6. Adderet &. P. 81. ver 18. optime. P. 84. v. 25. tuos. P. 86. versu 17. indiciis. P. 94. v. 20. nostræ. P. 99. vers. 5. indultu. versu 28. Schwartzenbergius. P. 106. versu 18. contra hostem. P. 107. v. 5. tolerate. v. 28. pulla. P. 116. ver 28. timere. P. 121. v. 11. Tu. P. 130. v. 11. Hyreus. P. 135. v. 4. Sigs. v. 8. tuas. P. 136. v. 17. tuo. P. 147. v. 28. ipse. P. 148. v. 14. Italis. P. 152. v. 9. natus. P. 153. v. 9. cuius. P. 156. v. 7. Simplice. v. 10. large. P. 178 v. 10. æstuat. P. 179. v. 17. suas. P. 180. ve. 10. Nestora. P. 186. v. 14. Non es pue. P. 191. v. 1. doctus. P. 195. v. 3. pendulus. v. 7. Cræsus. ver 20. Abrame. P. 200. v. 21. Dextera. P. 202. versu 26. tolerando. P. 205. v. 11. tabellas. P. 215. v. 4. laboris. v. 15. Cæsare. P. 223. ver 11. pix nigra. P. 225. versu 2. fuat. P. 226. v. 14. nihil. v. 16. vlulare. P. 227. v. 1. Cassouianam. P. 241. v. 12. diceret. P. 248. ver. 9. nam. P. 249. v. 7. proq. P. 257. v. 20. latè. P. 262. v. 9.

Quin.

Quin. v. 29. discimus. P. 264. ve. 10. honoris. ve. 14. trinequam. P. 278. v. 22. facerent. P. 283. v. 8. impetranti. P. 285. v. 14. Scientiæ. P. 286. v. 23 scrinium. P. 293. ve. 23. Tunc. P. 295. ver. 14. Humus. P. 302. ve. 14. hoc exureris. P. 312. versu 19. nigror. P. 323. v. 16. dolos. P. 329. v. 17. hinc. P. 333. v. 17. siderum. v. 19. Pro te. P. 361. v. 11. meliori. P. 362. v. 27. Musa. P. 365. v. 17. tolerare. P. 371. vers. 4. coronatas. P. 375. v. 4. nostros. P. 384. v. 23. vescare. P. 387. ver. 10. Gyaros. P. 389. ver. 17. quà. P. 390. v. 4. migro. P. 391. v. 16. insolitâ. P. 392. v. 1. alite. P. 397. ve. 26. tua. P. 402. ver 13. eripiende. P. 405. v 13. Hoc. P. 409. vers 5. pendet. P. 410. versu 26. Vir grauis. P. 428. ver 17. ruinas. P. 434. versu 17. Itale. P. 438. versu 4. dignus hic. P. 441. v. 14. sustollantur.

Excudebat Iacobus Klõss.
Anno 1599.

155

SE 7441
17108659089001